Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Exercitationum Sacrarum Dodekas Quibus Psalmus XLV. perpetuo Commentario explanatur, immistis variis ad sensum S. Scripturæ hieroglyphicum & antiquitates sacras spectantibus

Lampe, Friedrich Adolph

Bremæ, 1715

VD18 10175385

urn:nbn:de:gbv:45:1-17172

Visual Library



Landesbibliothek Oldenburg

4/7

Theol. II. Bl. /155

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg

EXERCITATIONUM SACRARUM ΔΩΔΕΚΑC

Quibus

Pſalmus XLV. perpetuo Commentario

explanatur, immiſtis variis ad ſenſum S. Scripturæ hieroglyphicum & antiquitates ſacras ſpectantibus.

Autore

FRIDERICO ADOLPHO LAMPE,
Eccleſiæ Bremenſis in cœtu Stephanienſi Paſtore.

Sumtu PHILIPPI GODOFREDI SAURMANNI.

BREMÆ,
Literis HERMANNI BRAUERI, Jun. Reipublic. Typogr.
1715.

Landesbibliothek Oldenburg

EX BIBLIOTHECA
OLDENBVRGENSI

Landesbibliothek Oldenburg

ILLUSTRIBUS ATQUE MAGNIFICIS VIRIS ET DOMINIS

DN. FRIDERICO CASIMIRO TILEMAN d. SCHENK. JCto. Comiti Palatino Cæsareo.

DN. HERMANNO DWERHAGEN. JCto. Reip. h. t. Præsidi.

DN. GULIELMO A BENTHEIM. JCto.

DN. WERNERO KÖHNE. JCto. Illustris Gymnasii Scholarchæ.

Inclytæ Reipublicæ Bremensis Consulibus, Dominis meis submisse observandis, enixe colendis.

SPLENDIDISSIMI PROCERES AC DOMINI.

GLoriam Regis Messiæ avidis jugiter contemplari illumìnatæ mentis oculis, eousque Magistratibus Christianis convenit, ut nihil neque fastigio & splendore suo dignius, neque rationibus suis utilius Eos occupa-

cupare possit. Aquilas judicio Solis probari, quando irretorta acie coruscum ejus orbem intuentur, vetustati creditum est. Subtestæ sit istud fidei: certum tamen est, Illos qui Aquilarum instar supra communem hominum sortem evecti sunt, tum maxime, quod decet, agere, quando in radiis Solis justitiæ deliciantur. *Ecphantas Pythagoricus* Principibus commendavit *sacræ & divinæ adsuescere meditationi. a.* Eccubi autem sanctius, eccubi divinius erit objectum, quam quod Gloria Regis in throno gratiæ constituti menti a Spiritu Sancto inflammatæ & supra se actæ proponit? Inde Jessei-des, Servus ille Dei, quem a caulis ovium accepit, ut Pastor esset in Jacobo populo suo, nihil duxit antiquius, nihil desideravit ardentius, quam *videre robur & Gloriam Messiæ b.* & *adspicere suavitatem Jehovæ; c.* quæ nonnisi in facie Filii Dei revelata est. Et quid erat, quod Regem Israelis oportebat semper descriptum Legis exemplar ob oculos habere? *d.* quod palatium Regium in Zione, monte sanctitatis Domini, cum Templi colle cohærebat? quod conclave Synedrii ad latus atrii exstructum erat, cujus fatalis desertio tristissimo Hierosolymarum intra quadraginta annos excidio præludebat? Quo hæc omnia conspirabant, nisi ut memoria supremi Regis in Jeschurun, quem Lex & Prophetæ describebant, qui in Sanctuario habitabat, cujus universus cultus Leviticus umbra erat, identidem renovaretur? Quotquot a nomine *Christi* nuncupantur, quod *unctum Regem* exprimit, vi ipsius nominis, in quo gloriantur, ad spectaculum hoc illustre invitantur, præcipue in seculis ad finem vergentibus

a. lib. de Regno apud *Stobæum* Serm. 46. *b.* Ps. LXIII. 3. *c.* Ps. XXVII. 4. *d.* Deut. XVII. 18. 19.

Landesbibliothek Oldenburg

tibus; quorsum promissio spectat populo Dei facta: *Regem in pulchritudine sua videbunt oculi tui. e.* Et propius in Ecclesia Protestantium, post cœptam (ah! tantum cœptam, utinam ocyus & ocyssime consummandam!) Reformationem impleri debebat oraculum Davidicum: *Viderunt incessus tuos, o Deus, incessus Dei, Regis mei in sanctuario. f.* Quod si hoc officium ad singulos Christianos spectat, Proceribus in populo Dei non tantum eo se liberare non est integrum, sed etiam non uno nomine in eo exsolvendo reliquis prælucere incumbit. Quidni enim mentis oculi in Illum fixi essent jugi meditatione, cui debent, quicquid Honoris possident? Et *Homerus* quidem, quod in nulla alia re magis oculis captus esset, quam in agnitione veri *Regum Regis*, ΤΙΜΗ Δ' ΕΚ ΔΙΟΣ ΕΣΤΙΝ, *g* ait. Sapientissimus vero Regum Salomo, non alium præter illum, cujus ipse illustris typus erat, ut Authorem omnis inter homines Dominatus inducit, AETERNAM SAPIENTIAM, contestantem: *Per me Reges regnabunt & Consiliarii illorum scribent justitiam. Per me Principes imperium exercebunt, & Magnates, omnes Judices terræ. h.* Porro meminerint, qui ad gubernacula Rerumpublicarum Christianarum sedent, se Gloriæ Regni Christi Administros esse, & Instrumenta, quibus peculiari ratione uti constituit, ad limites regni sui extendendos, populumque suum inter fluctus & tempestates variarum afflictionum, inter stridentes inferni portas, protegendum, conservandum, propagandum. Nec sunt ulli honorum apices & tituli cum iis comparandi, quibus

e. Jes. XXXIII. 17. *f.* Ps. LXVIII. 25. *g.* Iliad. 2. *h.* Prov. VIII. 15. 16.

ornantur qui *Geruli* & *Lactatrices* Ecclesiæ audiunt. *i.* Nec potest gloria Magnatum in altius fastigium evehi, quam ubi *inferent* aliquando *gloriam & honorem suum* in cœlestes Solymas. *k.* Quomodo autem Christo & Regno ejus prodesse insigniter poterunt, nisi rationem ejus accurate perspectam habeant, & ad conditionem ejus longo intervallo a more hujus mundi discrepantem, sanctam, internam, cœlestem, addiscendam, in ejus penitiori contemplatione jugiter occupentur? Accedit, quod exercitium muneris Regii, quo Christus in Ecclesia gaudet, certissimus prototypus sit, ad cujus normam quo propius accedere student, qui aliis præsunt, eo excellentius & felicius regimen gerent. Liceat mihi, PATRES PATRIAE, huic rei paulisper inhærere. *Sthenidas* sane *Locrus*, e schola Pythagoræ egregie Principem appellitat ΖΗΛΩΤΑΝ ΤΩ ΠΡΩΤΩ ΘΕΩ seu AEMULATOREM SUMMI DEI. *l.* Et digna sunt ruminatu, quæ subjungit: *Imitabitur autem Deum quam optime, si magnanimum, sapientem & paucorum indigum se præstiterit, paternum animum in subditos gerens. Hanc enim ob caussam præcipue Deus existimatur primus esse Parens Deorum & hominum, quoniam omnibus subjectis sibi benignum se præbet, nec unquam cessat gubernatione sua neglecta. Nec satis putavit se Creatorem tantum rerum omnium esse, quin etiam Nutritor, Præceptorque bonorum omnium ac Legislator omnibus ex æquo est. Talis & ille debet esse, qui in terra & inter homines Rex futurus est. Sine sapientia vero & scientia nec Rex neque Princeps ullus esse potest. Itaque* ΜΙΜΑΤΑΣ, IMITATOR *& Minister legitimus Dei erit Vir sapiens & Rex.* Sicut autem Principes

i. Jes. XLIX, 23. *k.* Apoc. XXI, 24. *l.* Stob. Eclog. Serm. 46.

cipes in genere Deum imitari fas est, ita Proceres Christianos Christum, qui est ΕΙΚΩΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΑΟΡΑΤΟΥ, *Imago Dei invisibilis*, *m.* omnibus Christianis ad imitandum proposita. Et quemadmodum Salvator noster reliquo populo in cæteris relationibus, sic Magnatibus potissimum in Regio fastigio prælucet. Regis Messiæ præludia fuere pii Magistratus, qui ante ejus adventum in carnem populum Dei gubernarunt, Josephus, Moses, Jehosua, Samuel, David, Salomo, Jehosaphat, Hiskias, Eliakim, Josias, alii. Ipsius ergo veri quoque ectypi erunt, qui, postquam in gloriam introivit Ο ΑΡΧΗΓΟΣ noster, ut in supremo inter homines ordine effigiem similem ΑΡΧΙΠΟΙΜΕΝΟΣ in terris conservent, enixe operam dabunt. Et hæc videtur esse ratio, cur nihil frequentius sit in sacris, quam pios Magistratus iisdem pingere emblematibus, sub quibus ipsius Regis Messiæ Gloria exprimitur, eosque ut Soles, Stellas, Pastores, Patres, Montes, Leones, nostræ veneration objicere. Hoc enim pacto docentur, easdem perfectiones, propter quas Christus ipse Soli, Stellæ, Pastori, Patri, Rupi, Leoni & sic porro comparatur, ab iis, quamvis in minore modulo, pro humanæ sortis tenuitate, exspectari. Et o quam fulgidum, quam divinum est, quod in Christo Rege radiat, sanctissimi regiminis speculum! Christus antequam regnaret, *obedientiam didicit. n.* Et *Solonis* illud ΑΡΧΕ ΠΡΩΤΟΝ ΜΑΘΩΝ ΑΡΧΕΣΘΑΙ; *o. Impera, ubi prius didiceris parere*, in schola Christi longe perfectius discitur, in qua abnegationis sui ipsius Regia Lex & regnantibus, & iis qui

m. Col. I. 15. *n.* Hebr. V. 8. *o.* Diog. Laert. de vit. Phil. lib. I. §. 60.

Landesbibliothek Oldenburg

qui reguntur, ex æquo fixa est. Catalogum virtutum Regiarum in Messia conspicuarum ex paginis sacris exsculpturus radiantem in eo deprehendet PRUDENTIAM, VERITATEM, PIETATEM, MAGNANIMITATEM, FORTITUDINEM, MANSUETUDINEM, JUSTITIAM, VIGILANTIAM, TEMPERANTIAM, HUMILITATEM, CONSTANTIAM. Et quis negare ausit, quo quis plures harum virtutum in peculio suo numerare potest, quoque excellentius eas exserit, eo digniorem illum esse aliorum reverentia, fide, obedientia? Christus porro perfectissimo sanctitatis studio exemplar pulcherrimum subditis suis dare annisus est. Nec minus ita vitam suam universam componere Viros Principes fas est, ut eorum vestigia premere secure possint, qui normæ recti viæque ad veram felicitatem inhærere desiderant. *Componitur* enim *orbis Regis ad exemplum : p.* & *recte facere Princeps cives suos faciendo docet. q.* Actiones Regiæ, per quas virtutes enumeratas cœlestis noster vitæ Princeps demonstravit, & demonstrat indies, itidem cum iis coincidunt, quæ Magistratus Christianus summa cum cura & sollicitudine agenda habet. Decet enim eos, tanquam AEMULATORES Regis in Zione, sanctas leges dare, iisq; se primo loco subjicere: porro aurem semper ad subditorum necessitates patulam habere, opem denegare nemini, malos coercere pœnis, præmia merentibus statuere, hostium elidere machinas, & eorundem vim matura defensione avertere. Colludit quoque scopus, quem Rex Messias sibi fixit, ejusque assecla in regimine constituti urgere debent. Finis, quo tendunt omnia, quæ Imperator cœlestis

p. Claud. V. Conf. Honor. *q.* Vell. Paterc. lib. II.

ſtis in Eccleſia agit, ſubditorum felicitas eſt. Hos veris bonis cumulare, divites reddere, æternæ beatitudinis compotes facere omni opera ſtudet. Hæc quoque Proceribus Chriſtianis meta eſto, huc remis velisque contendant, ut ſubjectis bene ſit. Unde Poeta egregie: *r.*

Tu civem Patremque geras: tu conſule cunctis,
Non tibi: nec tua te moveant, ſed publica damna.

Cum autem vera felicitas bonis corporis non abſolvatur, ſed mentem potiſſimum reſpiciat, quæ ſola boni ſummi capax eſt, illi demum ex Principibus omne punctum ferent, qui ut Religionis Præſtites de animarum pabulo gregi ſuo proſpicient, & quicquid ad uberiorem meſſem Miniſterii Evangelici, ornatum Eccleſiæ, publicive cultus ordinem & decentiam ſpectat, diligenter providebunt. Quare Patriarcha Conſtantinopolitanus Michaelem Bulgariæ Principem recte hortatur: *s. Non te tantum ita oportet ſentire* (Chriſtiane ſcilicet) *& Deum glorificare, ſed & tibi ſubditos ad eandem veritatem amplectendam quaſi manu ducere, & in eadem*

 fide

r. Claudian. conſ. IV. Honor. *s.* Photius Epiſt. I. p. 18.

Landesbibliothek Oldenburg

fide coagmentare & perficere oportet, ΚΑΙ ΜΗΔΕΝ ΤΗΣ ΤΟΙΑΥΤΗΣ ΣΠΟΥΔΗΣ ΗΓΕΙΣΘΑΙ ΤΙΜΙΩΤΕΡΟΝ i. *nec quicquam hoc studio antiquius habere. Spectat enim revera ad officium Principis, non suæ tantum salutis rationem habere, verum etiam curæ suæ commissum populum eadem cura prosequi & ad eandem cognitionis Dei perfectionem deducere atque incitare.* Idque eo diligentius agendum, quia sicut Messias Regnum aliquando *Patri tradet*, *t.* ita omnis quoque in terris Dominatus abolebitur, supremoque Judici de administratione demandati muneris ratio reddetur. Adeo indubitatum est, nihil Dominorum terrenorum jugi meditatione dignius esse, quam cœlitus ostensum in Messia Orbis & Ecclesiæ Rege ab omni parte perfecti regiminis speculum.

Quæ cum ita sint, veniam a vobis, ILLUSTRES PROCERES, me initurum facile mihi persuadeo, quod has meas Exercitationes, per quas Regalem præcipue Servatoris nostri Gloriam, præeunte calamo Spiritus, tenui penicillo adumbrare enisus sum, vestris potissimum NOMINIBUS consecrare animum induxerim. Quicquid enim tractationis tenuitati hic deerat, id omne materiæ

t. 1. Cor. XV. 24.

teriæ ſublimitatem veſtro faſtigio digniſſimam reſarcituram ſtatuebam. Et quidni Veſtris tholis qualecunque ΑΝΑΘΗΜΑ gratæ mentis affigere tentarem, quos ſingularis Dei benignitas in Eccleſiæ ſuæ protectionem, Reipublicæ ſalutem, bonarum Literarum præſidium, Pietatis & Religionis aſylum, ſubditorum ſecuritatem, nobis indulſit? Arbor honoranda eſt, cujus nos umbra tuetur, ut ait ille. Sub veſtra umbra non tantum licuit hactenus tranquille vivere & Eccleſiæ ædificationi pro virili invigilare, ſed & ipſe hic ingenii partus conceptus natusque eſt. Patiamini ergo eundem venerationis meæ apud vos eſſe interpretem, ſi lingua balbum, debitisque ornamentis undiquaque deſtitutum, affectu tamen cedentem nemini. Eja, addite hoc currenti calcar, conſuetaque facilitate, qua pios in Doctrina & Religione conatus fovere atque promovere ſoletis, præcocem hunc fœtum ſuſcipite. Vobis me meaque ſtudia utcunque probaſſe in lucro ingenti reponam. Si annueritis, non tantum otii his meditationibus deſcribendis impenſi rationem me optimam iniiſſe credidero, ſed etiam, quantum per Deum & ætatem licebit, eodem tramite pergendi mihi incentivo eritis. Redhoſtimentum autem pro tanta benevolentia immerenti exhibita, dum ætherea aura fruar, hoc unum

erit, anxiis indies cœlum pulsare precibus, ut superesse Vos diu sospites & incolumes, Deo, Ecclesiæ, Reipublicæ, Vestris, bonisque omnibus in delitium & ornamentum Rex seculorum immortalis jubeat. Valete & Favete

Dabam Prid. Domin. Palmarum
cIↃ IↃccXV.

Vestri Splendoris obedientissimo cultori

FRID. AD. LAMPE.

PRÆ-

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆFATIO.

Benevole Lector.

PUblicandæ hujus scriptionis caussa non una fuit. Nam ut præteream consilium amicorum, quorum apud me amor & authoritas valebat, Psalmus ipse, quem mihi illustrandum sumsi, accuratius tractari ob rerum & verborum sublimitatem dignus erat. Quin & lucem ampliorem requirere videbatur. Insudatum est ei, fateor, a multis. Præter illos, qui Psalmorum librum integrum commentariis suis illustravere, non pauci sunt, quibus hic noster ita arrisit, ut peculiarem in eo explanando operam insumserint. Inter veteres elucet ipse *Hieronymus*, qui in Ep. ad Principiam eum exposuit. Cui accedit *Paschasius Radbertus* Abbas Corbejensis, qui seculo nono expositionis in hunc Psalmum libros tres conscripsit, antea separatim, dein vero cura *Jac. Sirmondi* Paris. 1618. f. junctim cum cœteris operibus editos. Ex recentioribus inter Pontificios memorare juvat *Didacum de Avendanno*, qui exaravit Epithalamion Christi & Sacræ Sponsæ, seu explanationem Ps. XLIV. (nempe secundum *Vulgatæ* computum) Lugd. 1653. f. Johannem *Pinedam*, qui justum in hunc Psalmum Commentarium inseruit suo de rebus Salomonis lib. V. cap. 4. Ex Lutheranis ipse præivit eorum Pater, verè Megalander, *B. Lutherus*, qui iterata vice in nostrum canticum sua meditata conscripsit, quæ inveniuntur Opp. *Isleb.* Tom. II. *Witteb.* T. III. *Jenens.* Lat. Tom. III. *Altenburgens.* Tomo V. & VI. Ut præteream, quæ a *Finkio*, *Frankermanno*, *Hermanno* atque aliis obscurioris nominis vernacula lingua publicata *Lipenius* in Biblioth. Theolog. recensuit. Specimen quoque observationum in hanc oden dedit in calce Prodromi Prophetici, quod legi meretur, Clar. *Andr. Ludov. Königmannus.* Inter nostros Psalmum præ multis aliis accurata exegesi dignum censuit doctissimus *Andreas Rivetus.* Dignissima quoque luce sunt, quam sine dubio aliquando sortientur, quæ discipulis suis in eundem ad calamum quondam dictavit Celeb. *Vitringa.* Nec contemnendam expositionem Belgice typis subjecit *Theod. Ubingius*, Eccleſiastes, dum

vive-

vivebat, Hautensis Ultraj. 1703. 8. Cum tamen in eo essem, ut pro suggestu integrum Psalmum exponerem, actu deprehendi, inventis aliquid semper addi posse, præsertim in illo inexhausto Scripturæ Sacræ thesauro. Et qui tractatum ipsum perlustrabit attente, ille ita me aliorum opera usum deprehendet, ut tamen in eorum cerebris solum habitare non sustinuerim. In ordine ab omnibus discedere necessum habui, cum hypothesin mihi hactenus peculiarem sequar, qua non tantum ad priora N. T. tempora, sed concatenata serie ad omnia canticum referendum esse, sonticis, ut puto, rationibus inductus statuo. In multis quoque levioribus ad hujus illiusve vocis & phraseos exegesin pertinentibus antecedentium vestigia modeste reliqui. Quæ aliis digito tantum indicata erant, & ulteriorem diductionem merebantur, prolixius pertractavi. Quæ bene & sufficienter observata inveni, laudavi potius, quam exscripsi. Si nihil aliud, incitamento certe hic labor esse poterit, ut non in cortice Codicis sacri hæreamus, sed divitem ejus penum profundius excutiamus, quotquot sanctioribus studiis nos consecravimus: neve inter tot Commentariorum Sacræ Scripturæ plaustra nostræ diligentiæ nihil porro relictum esse metuamus. Spatium sane longissimum in *mari cognitionis Domini* per divinam gratiam jam emensi sumus, quando retrospicimus ad carceres, a quibus Patres nostri inchoarunt. Sed longius adhuc transmittendum restat, & *mille*, & iterum *mille metienda* sunt, antequam ad *aquam natationis pertingamus*, ad *torrentem*, *qui transiri nequit*. Sapientissime tot tantasque gazas in verbo suo abscondidit Deus, ut donec in terris Ecclesia militat, nunquam actum tantum agere necessum habeant, quibus in deliciis est Literarum sacrarum profundior meditatio. Et bene habet, quod eo potissimum seculo nobis *oculos ad videndum mirabilia in Lege ejus*, Jehova magis magisque *aperiat*, quo Atheorum & vix tribus spithamis ab iis distantium Deistarum Naturalistarumque contra verbum gratiæ furores quam maxime increbuerunt. Quis non exosculetur admirandam illam in sarto tectoque conservando veritatis Evangelicæ testimonio providentiam, ut Philalethæ nunquam magis radiis Divinitatis Scripturæ collustratos se deprehendant, inspectis profundius sapientiæ, quæ in ea latet, abyssis, quam cum spississimam caliginem tenebrarum Princeps opposuit? Cujus rei, si ex hoc meo labore argumentum aliquod peti posse existimetur, operæ pretium abunde retuli. Porro & tyronibus me exemplar dare voluisse non nego, quousque in tractatione prophetiarum progredi necessum iis sit, qui aliquatenus pro dignitate earum mysteria aliis edissererе tentant. Nec pœnitet me profanorum quoque authorum passim ad illustrationem adhibitorum, non tantum ut ornatum quendam operi conciliarem, sed etiam ut temporis, quod juvenis in antiquitatis & literarum elegantiorum studiis insumsi, fructum aliquem ferrem.

Quamvis autem hæ rationes sufficere possint, ut me horas subcesivas huic

huic instituto non frustra impendisse sperem, peculiare tamen quiddam fuit, quod currenti calcar addidit. Inter desiderata orbis eruditi & Christiani non immerito præaliis censetur THESAURUS SACRÆ SCRIPTURÆ MYSTICUS, quo jactis feliciter a Philologis, iisque omnibus, qui literam Verbi divini illustrarunt, fundamentis, ipsa mysteria salutis in singulis *verbis* & *phrasibus*, & præcipue in *metaphoris*, *allegoriis*, *emblematibus*, *typis* recondita sive in forma Systematis, sive Lexici plenius enodentur. Et dubitari nequit, tale opus rite compositum, communem omnium, qui *cognitionis incrementum* desiderant, applausum meriturum, & utilitate sua Herculeum quamvis laborem compensaturum. I. Primo enim loco ad cognitionem uberiorem dogmatum fidei id esset perneces-sarium. Quicquid enim in iis sublimius est & rationis humanæ cancellos excedit, hieroglyphice Scriptura exprimere amat. Unde merito tota doctrina gratiæ in ipso N. T. meridie ab Apostolo αἴνιγμα appellatur 1. Cor. XIII. 12. ἐκ μέρους tantum cognoscendum. Quod si rite attenderetur, non dubito plurima inter Theologos exstinctum iri dissidia, inde utplurimum orientia, quod multa in proprium sensum detorqueantur, quæ allegorice intellecta non tantum scopo divino propius accedunt, sed etiam longe minus difficultatis habent. Exempla in maxime tremendis religionis nostræ mysteriis de Trinitate, Consilio Pacis, Incarnatione Filii, Opere Mediatorio, Unione cum Christo, præcipueque de futuræ vitæ statu ubique ita obvia sunt, ut vix aliquid in tota Scriptura de iis doceatur, quod non vocibus & phrasibus metaphoricis expressum sit. II. Nihil etiam magis conferret ad dignitatem Scripturæ contra impias nostri seculi Philosophorum subsannationes, miserrima Spinosistarum & furfuris similis hominum effugia, audaces Criticorum insultus defendendam, quia ita demum elucesceret, omnes circa res & verba paginarum sacrarum fluctuationes in universum exspirare: nihil superfluum aut otiosum in iis reperiri: nihil per incuriam omissum: nullas proprie dictas hyperbolas, catachreses, pleonasmos, ellipses, quæ crisin mereantur, qualis in profanis authoribus impune exercetur, nullas ad errores vulgi accommodationes dari: omnia immediata Spiritus inspiratione, etiam quoad singula verba, dignissima, quæque stultitiæ carnis lapis offensionis sunt, mysteriis reconditis plenissima esse. Hæc fuit constans Ecclesiæ non tantum Judaicæ, sed etiam Christianæ a primis ejus incunabulis fides: quamvis, sive quod perpetuis afflictionibus & pro fide bellis impedita otio necessario careret, sive quod adjumenta deessent, Deo illam felicitatem ex fide prophetiarum postremis temporibus reservante, generalis illa de majestate & sublimitate sensus Scripturæ hypothesis ad specialiora in quamplurimis infeliciter applicata sit. Quod licet per se certitudini hujus rei officere nequeat, ansam tamen dedit incredulis, ut se in errore suo magis obfirmarent: a cujus fascino credibile est, adspirante Deo, multos exsolutum iri, si veritas tanti ponderis, quæ cer-

certissimum gnorisma in se continet, quo de Divinitate Scripturæ convinci possumus) per singulas partes, quatenus ingenii humani imbecillitas permittit, demonstraretur. Restarent, scio bene multa: quæ generosa ignorantiæ confessione Scriptor talis Thesauri, si vel Apollos in Scriptura esset, transire deberet. Nec tamen aliquid inde caussæ Dei derogaretur, cum ex viis ejus, quas hactenus in moderamine Ecclesiæ instituit, satis perspicuum sit, mysteria Scripturæ gradatim revelanda esse. Quid? quod & natura Codicis, qui tantum non universus propheticus est, id exigit, ut quamvis mysteriorum jam impletorum notitiam habeamus, quoad implenda tamen ingentibus hactenus maneamus obsepti tenebris. III. Nec contra illos tantum, qui aperto Marte Scripturam oppugnant, hoc pacto magis defenderemur, sed & contra illos, qui occultis magæ machinis muros Ecclesiæ arietant, *Pseudo-Mysticos* ævi nostri, securiores essemus, qui Gnosticorum æmuli, pro genuina & rationali arcanorum S. Scripturæ ΓΝΩΣΕΙ, qua voce occultorum mysteriorum cognitionem Patres designare solent, nil nisi fumos & deliria vendunt. Hi enim, quicquid de divinis mysteriis stolidum in Platonicorum, Pythagoreorumque schola, impium a Valentinianis, barbarum a Scholasticis, ridiculum & ipsis suis inventoribus inexplicabile a Paracelsistis, aureosque montes captantibus Alchymistarum παυσι excogitatum est, id omne Scripturæ dictis phrasibusque incrustant, nulla unquam neque nexus, neque scopi Spiritus habita ratione. Quin & ementitis sœpe per Diabolicam hypocrisin, aut saltem imaginatis per hypochondriacos affectus visionibus, somniis, inspirationibus, hunc ipsum esse mysticum Scripturæ sensum ganniunt, diras omnes iis imprecantes, qui cœca obedientia eos ut nova oracula suspicere dedignantur. Horum tela extinguentur felicissime, quando suppositum eorum, esse nempe sensum Scripturæ μυσικώτατον, ut verissimum adstruetur, sed quia *nullum mendacium esse potest ex veritate*, simul certæ ex ipso Scripturæ genio ope Spiritus petitæ, ipsique rationis lumini consentientes regulæ constituentur, atque secundum illas singulæ voces, phrases, pericopæ Codicis sacri explicabuntur. IV. Neque prætereundum, quanto gavisuri essent adjumento, qui de his illisque textibus intelligendis & explicandis solliciti sunt, librorumque penuria laborant, si, quid singulæ voces in sacris mystice significare possunt, uno oculi ictu perlustrarent. Si enim sensui mystico eruendo magis incumberetur, omnis de comparanda sibi sufficienti rerum copia in dicendo pro concione cessaret sollicitudo. Non consumeretur inaniter tempus vel variorum παρεμπνείας ex *Poli Criticis Sacris* auditoribus illiteratis recensendo; vel explicationibus Philologicis, historicisve horam consumendo, quæ, quamvis mire tibi in iis placeas & apud auditores stuporem tuæ eruditionis effectura esse tibi persuadeas, fastidio tamen summo sunt, tum iis qui Grammaticorum apinas ignorant, tum præcipue iis, qui nihil in tali exegesi, quod animas inescare & instruere potest,

depre-

deprehendunt. Cortex hæc sunt, qui quidem tibi in Musæo frangendus, sed illis, quos Christo lucrari cupis, non est propinandus. Tempus dicendo destinatum nimis cito ruit, quod fallere alienis nefas duco, & ille maxime cavere poterit, cui inexhausta materiæ abundantia ad manus est, quam sensus mystici propior consideratio suppeditat. Undé etiam talis neque prolixioribus sermonis ornatibus, prosopographiis, aliisque verborum ampullis scenam magis quam cathedram decentibus operam dabit: neque extra oleas in locos communes excurret; sed presse textui suo inhærens, tot inveniet proponenda, ut nihil magis ei curæ futurum sit, quam quomodo superflua omnia abscindat, inque brevem orationis gyrum cogat, quicquid sub verbis, quæ præ manibus sunt, sapientiæ latet. Cessabunt ita per se multorum auditorum querelæ, quibus, si sensu tantum communi polleant, male interpretari non possumus, quod talia sæpe in Ecclesiastis dicendi vitia taxent, & emendata in suam totiusque cœtus ædificationem cuperent, quamvis malam sæpe apud illos gratiam ineant, quorum aut φιλαυτία admonitionis aliorum impatiens est, aut socordia plus diligentiæ meditationi dicendorum impendere prohibet. Nasutulis & sciolis, qui carpunt, quæ ignorant ipsi, apologiam non scribo. Illis ipse placere nolim, quamvis eorum numerus bene multus sit. Sed sunt tamen alii, qui aut jure, aut saltem animo non malo majorem in ædificatione communi dicendo promovendæ ἀκριβείαν desiderant. Horum admonitionibus non esse asperum, sed & aliquem, quoad fieri potest, locum concedere ἐπιείκεια est, quæ Ministrum Evangelii decet. V. Porrò non tantum ad utilitatem sed etiam jucunditatem hic labor spectat, quæ Doctori Ecclesiastico non est negligenda. Quamvis enim in redarguendo Veronæ, non Placentiæ litandum sit, in docendo tamen ea methodus sequenda, quæ cum amœnitate quadam animis auditorum illabitur, veritatisque & Scripturarum amorem excitare potest. Hanc vero illam esse, quæ in dictione Scripturæ sub tot allusionibus, metaphoris, symbolisque hieroglyphicis latentia mysteria enodat, non tantum experientia me docuit, sed etiam rei ipsius naturæ est consentaneum. Imaginationi enim humanæ altius imprimitur, quod involucro similitudinum aptarum (quales omnes sunt, quæ Spiritum sanctum authorem habent) tectum est. Nec lassamur continua earundem veritatum repetitione, quando sub diversa specie repetuntur. Quin & memoriæ facilius infiguntur prolixiores discursus, quibus emblemata & allegoriæ Scripturæ substernuntur. Huic imbecillitati captus humani consulere, quicquid morosis quibusdam & tardis ingeniis videatur, non tantum licet, sed etiam oportet. Deus ipse in suo verbo præivit, tot impropriis dictionibus ubique florido. Idemque ei fuit consilium, ut veritatem, quæ per se corruptæ nostræ naturæ valde sterilis videtur, colorum quasi varietate & perpetuo lusu amœniorem redderet.

Et mirari subiret, cur in tanto Scriptorum cumulo, tantaque cognitio-

nis temporum noſtrorum præ elapſis luce, hucusque tali *Theſauro* careremus, niſi rei ipſius tum *difficultas*, tum *prolixitas* noſtrum ſeculum quodammodo exculparet.

Difficultatem jure memoro, quando perpendo, quot requiſita ſupponantur in Scriptore, qui ſi non omne punctum ferre, ſaltem aliquatenus deſiderio bonorum & doctorum ſe ſatisfacturum ſperare vellet. Primo enim loco requireretur neceſſario animus in veritate ſanctificatus, rerum divinarum meditationibus aſſuetus, ſpirituale cum Deo commercium exercens. *Quam magna ſunt opera tua, o Jehova! valde profundæ ſunt cogitationes tuæ! Vir brutus non novit & ſtultus non animadvertit hoc!* Libere dicam, *linguam Canaanis* neminem ſecundum veram ſuam emphaſin aſſequi poſſe, niſi qui cœleſtis Canaanis incola & civis eſt. Integrum quidem eſt *ſapientibus hujus ſeculi*, aliorum meditata exſcribere, iisque graculorum inſtar tanquam alienis plumis ſe exornare, ut fit proh dolor a multis, qui non tantum pro ſuggeſtu, ſed etiam ſcriptis doctrinam ſalutis proponunt, ſibique ſœpe, quin & aliis, egregie labore ſuo defuncti videntur, cum tamen nil niſi aliorum ſcrinia compilaverint, ipſi vero in veris fidei myſteriis vel talpa cœciores ſint. Muſæa eorum precibus non calent. Pruritu ſcribendi, vanique honoris deſiderio aguntur. Quare licet rem acu aliquando tangere videantur, ex improviſo illud eſt, quia forte fortuna in talia aliorum meditata inciderunt, quæ non tantum impreſſa, ſed etiam in MSS. collegiis, diſpoſitionibusve poſſident, ſuaque faciunt. Ubi vero his adminiculis carent, non facile extra apices literæ & ſyſtematum cancellos eluctantur. Ex ſui vero cordis theſauro quid proferrent, qui neque igniculos myſticæ cum Deo unionis, quod ſano ſenſu ipſiſſimum *omnium myſteriorum divinorum centrum & meditullium eſt*, ipſi ſenſerunt, neque fervore corripiuntur, quo illos agi oportet, qui in myſticos SS. Triados amplexus attrahere alios cupiunt? Sed qui ipſi ſunt initiati, dulcedinesque ſecreti cum Jehova commercii guſtarunt, ii teleſcopio fidei ultra omnem naturæ & rationis humanæ aciem evecti inviſibilia & cœleſtia ſibi tanquam præſentia ſiſtunt, nec falli verentur, cum intus in cordis ſui penetralibus typum omnium myſteriorum pietatis a Spiritu effectum perſentiſcant. Quemadmodum enim itineraria, quibus regiones longe diſſitæ deſcribuntur, ab iis, qui illas ſuis oculis perluſtrarunt, pedibusque peragrarunt & domicilium inibi fixerunt, longe rectius intelliguntur, quam qui fando tantum de illis audiverunt: quibus etiam multa videntur incredibilia, quorum nulla dubitatio locum habet apud eos, qui teſtes αὐτόπται fuere; ita prorſus Regni Dei arcana definita in Verbo Dei evidentius iis innoteſcere certum eſt, qui in adytum ejus actu tranſiere, quam qui extra illud hactenus in ſtatu iræ & peccati degunt. Porro debita erga Scripturam reverentia, quæ neceſſario ad detegendas rite ejus profunditates requiritur, ab iis tantum exſpectari poteſt, quorum pectus *timore Domini*, ut vero

omnis

omnis sapientiæ initio repletum est. Illi abominabuntur effrenem Criticorum licentiam, qui idem sibi in Codicem sacrum, quod in Plauti vel Aristophanis comœdias licere putant, quorumque *Artem Criticam* Vir quidam πολυμαθέστατος & vere θεόφιλος *Artem nil credendi* recte nominare solet. Hac reverentia inducti sibi ipsis firmissime persuasere, non posse aliter fieri, quin in tali libro, qui cœlitus revelatus est, omnia undiquaque Sapientia cœlesti, ex qua promanarunt, digna sint, eandemque attendentibus ostendant. Nec integrum sibi putabunt, tumultuaria opera, quicquid in mentem venit, chartæ illinire, novitatisque specie inanem captare famæ laureolam, sed omnia rerum momenta sanctificatæ rationis trutina perpendent.

Hoc ergo primarium ad talem telam rite inchoandam requisitum est, sed non solum. Accedere debent non exiguæ mentis dotes, ingenii felix ad πολυποικίλους σοφίας infinitos lusus detegendos: judicium acre, quod a ψευδεφημενείαις, si unquam alias, in hoc studiorum genere, frequentissimis sibi caveat, nec authoritatibus, tenuique aliqua veritatis specie, sed rationibus certis nitatur: facilitas quoque, ea quæ erueris e tenebris, perspicue proponendi, quæ immane quantum ab hodiernis Enthusiastis proscripta est, qui clare loqui dedidicere, ut in monstrosæ suæ dictionis tenebris lateant & apud indoctos sibi præsumtionem mirificæ sapientiæ concilient. Vulgus enim, quæ non intelligit, admirari solet. In quo profecto magis gentilium Theurgos & Sacerdotes Ægyptios, quam Apostolos imitantur: & plus ex amuletis Basilidianorum & Kabbalistarum genesibus, quam ex more Spiritus loquuntur. Requiritur deinceps multa in lectione sacrarum Literarum exercitatio, quas nocturna versare manu, versare diurna, stylique sacri ἰδιότητα & ὕψος perspecta habere, scopumque singularum Scripturæ partium & fixas Oeconomiæ divinæ in Ecclesia per omnia tempora periodos, tum quoque Prophetiarum subjecta & parallelias bene discreviisse fas est, antequam anchoram solvas. Ut jam præteream linguarum exoticarum, præcipue Orientalium, quarum genius ad mysticam Spiritus dictionem propius accedit, notitiam, & subsidia, quæ ex ipsis profanis scriptoribus, Theologiæ Chaldaicæ reliquiis, Ægyptiorum hieroglyphicis, Pythagoreorum symbolis, Oneirocriticis, Poetarum Græcorum, Latinorum, Persarum, Arabum, & stylo & fabulis, apologis, numismatumque & gemmarum antiquiorum explicationibus &c. hauriri possunt. In his enim omnibus conferendis studium non inane locari puto, quia rudera non tantum Theologiæ Israelis, sed etiam dictionum mysticarum, per quas in populo Dei religionis secreta expressa sunt, per traditionem variaque commercia ad gentes dimanasse apud Viros doctos in confesso est. Nec negligere prorsus hic suaserim Kabbalam præsertim veterum Judæorum, Patrumque primævæ Ecclesiæ consulere commentarios, & missis nugis, quibus utrique scriptores scatent, illud secernere, quod tempestive ab iis jam notatum est. Plus dico, omni-

um scientiarum quædam encyclopædia hic concurrit. Tantæ sunt in libro Scripturæ abyssi, ut ei ancilletur, quicquid ingenium humanum dognoscere capax est. Ex tota natura, ex omnibus ferme artibus & disciplinis locutiones, emblemata, allegoriæ desumuntur, quibus saltem aliquatenus tinctum esse oportet, qui in eruendis his mysteriis felix esse cupit.

Quam prolixus vero sit præterea campus, quem in Thesauro tali conscribendo emetiri oportet, ex brevi rerum pertractandarum diagrammate conspicuum erit. Bifariam opus tale esset dividendum.

I. Prodromus esset præmittendus, isque quadripartitus.

A. *Apodicticus*, in quo Argumentis idoneis tum ex ipsius Scripturæ penetralibus, tum ex communi Ecclesiæ universæ tam Judaicæ quam Christianæ consensu evincendum atque demonstrandum esset, stylum Scripturæ sacræ mysticum & allegoricum esse; refutatis omnibus ratiunculis, quibus hactenus hæc hypothesis incassum oppugnata est.

B. *Ætiologicus*, originem & causas explanans, cur Deo placuerit in alloquio & eruditione hominum peccatorum, tali potissimum stylo uti. Hujus enim consilii sapientissimæ sine dubio fuere rationes, inter quas præcipue memorandæ

1. Demonstratio sapientiæ divinæ, quam decebat, eo potissimum dictionis genere uti, ex quo statim verbi Dei præ omnibus scriptis humanis præstantia in oculos incurreret.
2. Qualitas mysteriorum fidei, de quibus erudiri peccatoris intererat, & quorum sublimitas ob penuriam linguæ humanæ dictionibus propriis exprimi non poterat.
3. Harmonia perpetua, quam Deus inter opera sua esse voluit, ita ut minora semper majorum figuræ, præcedentia sequentium præludia essent. Sic ex harmonia operum naturæ cum operibus gratiæ, creationis primæ cum creatione mystica mille & mille emblemata singularia nascuntur. Ex harmonia vero specialiori viarum & Oeconomiarum Dei in Ecclesia omnes typi fluunt.
4. φιλανθρωπία Dei imbecillitati ingenii humani consulens, eaque potissimum ratione loquens, quæ ad cor peccatoris esset, atque illum simul suavitate sua alliceret, & simul sublimitate sua ad scrutandum Scripturas accenderet.
5. Occultum & adorandum in vasa iræ judicium, ut oculis videntibus non videant, & auribus audientibus non audiant, neque corde intelligant mysteria non nisi initiatis veritatis amatoribus Scripturæque admiratoribus propalanda.

6. Ge-

6. Genius linguæ sanctæ, instituto huic Dei quam maxime inserviens & accommodatus.

7. Demonstratio veritatis Dei, præsertim in propheticis & typicis, quando a diligenti ruspatore deprehenditur, quam accurate figuræ & umbræ cum suo antitypo conveniant.

8. Συγκατάβασις quædam Dei ad communem gentium consuetudinem, quarum præcipue in Oriente mos fuit perpetuus, ut sub certis symbolis, συνθήμασι, hieroglyphicis dogmata religionis absconderent: quæ accomodatio singulare aliquando ad convertendas gentes momentum habitura erat.

C. *Historicus*: Enarrans ex ordine, quid hactenus & ex quibus principiis, quove successu in detegendo sensu Scripturæ mystico actum sit.

1. a Judæis & præcipue Kabbalisticis Scriptoribus, in quorum sterquiliniis non semel margaritas invenerunt, quibus ea purgare volupe fuit: ita tamen ut pleraque otiosorum & ad nugas compositorum ingeniorum deliriis sint corrupta.

2. a Christianis

κ. in Ecclesia primitiva, ubi

α. ostendendum, quam infeliciter ipsi Patres orthodoxi in hoc studiorum genere versati fuerint, *tum* linguæ sanctæ ignorantia, *tum* Platonicarum & Pythagorearum reliquiarum amore, *tum* hermeneutices solidæ defectu, *tum* otii inter tot opiniorum monstra debellenda penuria.

β. Hæreticorum quoque, præcipue qui ex hydra Gnosticorum Lernæa alii post alios prodiere ψευδεφημενείας recensere juvabit, quia ita feliciſſime hodiernorum Pseudomysticorum incunabula detegentur.

λ. in Ecclesia recentiori, ubi

α. Examinandi Pontificiorum in hoc studio conatus, idque tum Scholasticorum, tum Mysticorum quos dicunt: atq; ostendendum, illos non tantum nimia erga Patres reverentia cœco impetu eorum vestigiis insistere, atque ex iis sensus suos allegoricos exsculpsisse, sed novis præterea erroribus studium hoc Scripturæ Sacræ mysticum miserrime deturpasse. Exemplo esse possunt impiæ emblematum divinorum ad Mariam detorsiones.

β. Fimetum quoque Enthusiastarum, Fratrum Bohemorum, Roseæ Crucis, Weigelianorum, Paracelsistarum, aliorumque Fanaticorum non est sicco pede transeundum. Si quicquam est, quod hæc corda Zenodoti, hæc cerebella helleboro purganda exosa pot-

est reddere omnibus boni verique amantibus, certe miserrimæ eorum in explicanda Scriptura gerræ sunt, in quibus nihil sanum, nihil rationale occurrit: quod ad oculum ostensum & ex eorum scriptis liquido demonstratum, omnibus, quibus mica sanæ mentis restat, ad discedendum ab iis quam longissime sufficiens momentum erit.

γ. Denique ipsa quoque Protestantium molimina recensenda, tum qui Lutheranorum, tum qui Reformatorum castra sequuntur. Hos posteriores in hoc saltem studio palmam præripuisse prioribus, ipsi qui ex Lutheranis fratribus æquiores sunt, ingenue fatentur. Sed tenuia erant initia. Primi Reformatores, sive tædio absurditatum, quibus Patrum scripta scatent, sive aliud agentes in cortice nimis hæserunt. Celeb. Coccejus ejusque sequaces ulterius perrexerunt, quamvis a fratribus suis varie impugnati sint, & etiamnum impugnentur. Hujus dissidii, inerventi tamen, & quod absque animorum ulla exulceratione geri potest, atque a sanioribus, qui ἐν ἀγάπῃ ἀληθεύειν studeant, geritur, momenta & progressus enarrasse non levis ad ipsam historiam literariam accessio erit; præcipue cum illa, quoad rem Theologicam Reformatorum insigni hactenus defectu laboret.

D. *Hermeneuticus*: Canones ad determinandum sensum secundum intentionem Spiritus Sancti indubios proponens. In quibus afferendis observabitur cum insigni utilitate ea methodus, tum ut ab evidentioribus, qui a nemine negari possunt, inchoetur, & ex iis obscuriores rite deducantur: tum ut singulorum canonum addatur demonstratio: tum ut exempla quoque pro re nata indubia addantur. Ita calumniæ abstergentur, quæ ab animis virulentis in amatores studii emblematici atque typici cottidie evomuntur. Ita, qui in eo occupantur, manu ducentur, ut caste illud tractent, nec per inconsiderantiam se sannis aliorum propinent. Neque enim eos, qui a nostris partibus in hoc studiorum genere stant, ab omni culpa liberos pronunciaverim. Lusibus ingenii multi nimis indulgent: pro Junone nubem amplectuntur: sua inventa obtrudunt, plus ut placeant, quam ut doceant. Sed hæc studio ipsi, quod solida fundamenta habet, nihil officiunt. Pro libellis famosis habendæ schedæ lucifugarum, qui peccata singulorum universis imputant, quorumque opera Diabolus abutitur, si forte scrutinium Scripturæ in nostro ævo supprimere posset.

II. Opus ipsum in toto suo complexu circa quatuor versatur.

A. Circa *literas mysticas*. Quamvis enim non probem *Neumanni* & aliorum systema de singulis singularum vocum literis mystice explicandis, quarundam

dem tamen in certis circumstantiis literarum usum mysticum esse negari nequit. Tales sunt literæ nominibus Abrahami & Saræ insertæ, Tau inscriptum frontibus electorum, Alphabetum Psalmis quibusdam propheticis præfixum, A & Ω inter titulos Messiæ & similia, quæ studiose collecta elegantem bonarum meditationum messem suppeditabunt.

B. Circa *voces mysticas*. Hæ ut accurate explicentur, geminus earum in Theologia mystica usus bene est distinguendus. Quædam enim sensum tantum *emphaticum*, quædam insuper etiam *emblematicum* seu *metaphoricum* habent.

1. *Sensus emphaticus* & *sublimis* in omnibus ferme Scripturæ vocibus, quæ significare debent, quicquid per circumstantias significare possunt, occurrit, præcipue tamen
   א. In nominibus divinis, vocibusque, quibus Dei attributa & opera exprimuntur.
   ב. In vocibus, quibus dogmata fidei describuntur.
   ג. In vocibus Propheticis.
   ד. In ipsis sæpe particulis orationis.

2. *Sensus emblematicus* & *metaphoricus* ferme coincidit, nisi quod *metaphoricus* latius se extendat, & ad communes rhetorum regulas magis pertineat. Omne *emblema* est *metaphora*: sed non omnis *metaphora* est *emblema*. *Emblemata* appellamus metaphoras nobiliores, rem de qua usurpantur, sub eleganti figura depingentes, certoque consilio ea fini adhibitas, ut naturam rei melius comprehendamus, vividiusque imaginationi nostræ infigamus. Hanc nobilitatem & præ communibus metaphoris præcellentiam passim metaphoræ Scripturæ spirant. Recte ergo illas Viri docti *emblemata*, quidam etiam *symbola*, seu *hieroglyphica*, quod eodem redit, appellant. Horum amplissimus est campus. Pleræque enim Scripturæ voces aliquid emblematicum habent. In iis ergo explicandis præcipua opera est ponenda. Desumuntur autem emblemata:
   א. a *Deo ipso*, cujus tum nomina, tum opera, & præcipue opus creationis, opposita quoque, idola gentium, primam suppeditabunt emblematum sacrorum sylvam.
   ב. a rebus creatis, sive *macrocosmum* spectes, sive *microcosmum*.
   א. In *macrocosmo* hæ partes corpus mysticum intrabunt.
      a. *Ontologia mystica* generales quosdam titulos pertractabit, quales sunt: *Res*, *Mundus*, *Omnia*, *Nihil*, *Chaos*, *Elementa*, *Hypostasis* & similes voces, quæ universalem quandam aut originem, aut qualitatem rerum designant.

b. *Ura-*

b. *Uranologia mystica:* cœlum & cœlestia corpora, eorumque effecta, lucem cum oppositis tenebris, tempora etiam & varias eorum mensuras emblematice explicabit.

c. *Pyrologia mystica.*

d. *Aerologia mystica*, ad quam symbola omnia a meteoris petita pertinent.

e. *Hydrologia mystica*, aquas, fontes, flumina, maria contemplabitur.

f. *Geologia mystica* generalis & exterior terram ejusque superficiem, agros, deserta, montes, valles, planities perlustrabit.

g. *Geologia mystica* specialis & interior, tria regna physicis decantata perscrutabitur, unde nascetur

a. *Regnum minerale mysticum*, lapides, metalla, gemmas continens.

b. *Regnum vegetabile mysticum*, quo spectant plantæ omnes, arbores, frutices, herbæ, flores, aromata.

c. *Regnum animale mysticum*, quadrupedibus, avibus, piscibus, amphibiis, reptilibus divisum.

β. *Microcosmus* est homo, cujus consideratio tantum in Theologia emblematica momentum habet, ut plura ab eo solo, quam a toto universo symbola desumta sint. Unde ex ejus consideratione sequentes peculiares tractatus prodibunt.

a. *Anatomia mystica:* partes hominem constituentes, singulaque ejus membra, discrimina item sexus & ætatis comprehendens.

b. *Ministerium sensuum mysticum*, quod non tantum circa sensus ipsos, sed etiam eorum objecta, colores, sonos, odores, sapores, duritatem, mollitiem & similia occupabitur.

c. *Nosocomium mysticum*, vitam, sanitatem, morbos, mortem ipsam emblematice edisseret.

d. *Actionum humanarum physicarum mystica significatio*, a quibus ad *actiones morales* transiri potest, quarum tamen quoniam longe major cumulus est, inde diversis tractatibus sunt dispescendæ. Sequetur igitur

e. *Ethica mystica*, enodans emblemata ab affectibus, virtutibus, vitiis, relationibus humanis ad Deum & se invicem petita.

f. *Politica mystica*, quæ dabit nucleum latentem in titulis, dignitatibus, actionibus Regem, Principum, Legatorum, Judicum & similium, qui in administranda republica quibuscunque muniis defun-

Landesbibliothek Oldenburg

funguntur. Eadem contemplanda dat, quæcunque populum concernunt: porro leges, præmia, & supplicia. Bella quoque; quoniam densam emblematum farraginem subministrant, hinc specialius tractanda

g. *Militia mystica.*

h. *Oeconomia mystica*, in qua cumulanda, non tantum quæ ad matrimonium, genealogias, regimen oeconomicum, ejusque adjuncta testamenta, hæreditates, divitias, paupertatem, libertatem, servitutem &c. sed etiam quæ ad vasa & suppellectilem pertinent.

i. *Scientiæ & artes humanæ symbolice consideratæ*, quæ non uno libro absolvi poterunt. Speciatim enim hic iterum tractari merentur:

a. Literatura mystica.
b. Matheſis mystica.
c. Medicina mystica.
d. Mechanica mystica, opificia omnia comprehendens.
e. Musica mystica.
f. Mercatura & Navigatio mystica.
g. Agricultura mystica.
h. Ludi mystici, sive publici, quo spectant *agonistica* & scenica, sive privati, quo *sortilegium* & similia referenda.

C. Circa *themata complexa*, quæ mysterium habent, & in quibus iterum distingui possunt *sensus emphaticus* & *allegoricus.*

1. *Sensus emphaticus* detegendus in acute dictis, apophtegmatibus & præcipue proverbiis, quæ quamvis nihil emblematicum habeant, paucis tamen multa docent. Sæpe tamen aliquid emblematicum sive allegoricum in ipsis adagiis latet. Eatenus ad sequentem classem referri possunt, & ad ænigmatum rationem prope accedunt.

2. *Sensus allegoricus* ex emblematico nascitur, estque metaphorarum & emblematum seu eorundem continuatio, seu variorum cumulus. In hoc genere

N. Excellunt *Typi*, seu figuræ illæ rerum futurarum a Deo propositæ, quæ utramque paginam in sacris Literis faciunt. Sunt autem *Typi* duplicis generis:

a. Typi historici quadrifariam dispertiendi:

a. *Personarum* illustrium tam piarum, quam impiarum, tam in Ecclesia, quam inter hostes ejus.
b. *Locorum*, regionum, urbium.
c. *Temporum*, secundum varias Oeconomias distinctorum.

d. *Rerum gestarum*, qui non tantum passim per omnes eventus in Bibliis descriptos sparsi sunt, sed etiam catenatim ita cohærent, ut fata & eventus præcedentis Oeconomiæ fatorum & vicissitudinum in sequentibus temporibus umbram exhibeant. Specialem hic considerationem merentur eventus extraordinarii, quales sunt: *Apparitiones* & visiones sive vigilantibus, sive dormientibus exhibitæ, *portenta*, *miracula* &c.

β. *Typi ceremoniales* ex cultu Levitico a Deo in eum finem sapientissime ordinato petiti, qui itidem sunt quadruplices.

a. *Personarum* sacrarum, ut Sacerdotum, Levitarum &c.

b. *Locorum*, ut tabernaculi & Templi utriusque.

c. *Temporum*, quo pertinent instituta festa.

d. *Rerum & rituum observandorum*, ut sunt sacrificia, purificationes, primitiæ, decimæ &c.

3. Ad *typorum* rationem proxime accedunt *sigilla fœderis* tum ordinarie tum extraordinarie in singulis Oeconomiis non tantum ad pingenda, sed etiam ad obsignanda mysteria fidei destinata, quorumque attentus Scripturæ scrutator longe majorem inibit numerum, quam vulgo censetur.

4. Habent quoque aliquid peculiare *ænigmata* sacræ Scripturæ, licet pauciora sint numero.

5. Nec desunt *apologi*, quamvis ii quoque rariores.

6. Sæpiuscule etiam *similitudines* simplices obveniunt, in quibus tertium comparationis clare elucidatur.

7. Maximam autem attentionem merentur *Parabolæ* præsertim Evangelicæ, in quibus modo plane peculiari & jucundo cœlestis Sapientiæ, quæ eas adhibuit, majestas & dignitas elucescit.

D. Circa *numeros mysticos*: qui ultimo loco reservandi, quia pauci per se aliquid symbolicum habent: (quod tamen non semper excludi potest:) plerique mysticam suam significationem sortiuntur a rebus, quibus insunt, & a quibus ad alias res transferuntur.

Ex his evidens est quantum & quam varium mare illi sit emetiendum, qui tali thesauro Remp. Christianam ditare tentat. Idque eo magis liquescit, quando perpenditur, quomodo in singulis versari oporteat. Quoad sensum emphaticum, paucioribus res absolvi potest, ita tamen ut idoneis argumentis ubi opus est, adstruatur: mysteriaque, ad quæ collimatur, pro re nata illustrentur. Prolixiorem operam sensus emblematicus & allegoricus requirit. Ibi enim, quæ ad literam pertinent, quæ allegoriæ fundamentum est, breviter & perspicue prius sunt enodanda: indicatis simul authoribus, ex quibus plura hauriri, aut quæ supponuntur, prolixius probata reperiri possunt. Dein inter varias explicationes alle-

allegoricas eæ tantum recenſendæ, quæ aliquam probabilitatem habent. Ea vero hypotheſis, quam Author ſequetur, ſemper ex Scriptura & adductis rationibus erit demonſtranda; quod brevioribus fieri poteſt in re liquida, aut ab aliis, quos laudare oportet, jam acta, ſed uberius tractari oportet, ſive in hypotheſi magis dubia, ſive in nova, quæ Authori peculiaris eſt. Incaſſum enim omnis hæc opera foret, ludibriaque cumularet, quibus *oi* לצים ſtudium hoc impetunt, niſi ſoliditas ejus undiquaque oſtenderetur & ad conſcientiam demonſtraretur. Juvabit tum ex aliis quoque ſcriptoribus illuſtrationis cauſſa addere, quæ talem ſymboli uſum antiquitati non ignotum fuiſſe docent. Poſt hæc analogia ipſa inter emblema & rem ſignificatam, ſive tertium comparationis oſtendendum eſt. Sique una vox vel phraſis diverſa emblemata in diverſis Scripturæ locis gerit, in ſingulis eodem modo eſt inſtituendum, & a nobilioribus ad leviora procedi poteſt.

Qui hæc omnia recte trutinabit, is impares unius Viri humeros tanto labori fore facile agnoſcet. Præſertim cum *vitæ ſumma brevis ſpem nos vetet inchoare longam*, iique quibus amplior ſuppellex eſt, ut ex theſauro cordis & ingenii ſui vetera & nova nobis depromere poſſint, paſſim tot aliis in munere obeundo adſtricti ſint negotiis, ut conſcribendo tanto operi nimis anguſtum ſit eorum otium. Sunt tamen, quæ nihilominus ad tentandum, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, animare poſſunt. Primo ſtudii ipſius jucunditas, quæ omnes lucubrationum moleſtias compenſat, & ex qua ipſa liquet, quantum ſe ingenio humano Deus attemperarit, quando ſtylo hieroglyphico nobiscum *ludere* voluit. Accedunt promiſſa divina in Prophetis paſſim obvia, quæ temporibus ad finem Eccleſiæ N. T. vergentibus ingens cognitionis incrementum promittunt. Jeſ. XI. 9: *Plena erit terra cognitione Jehovæ, ut aquis mare operientibus.* Jeſ. XXX. 26: *Erit lux Lunæ, ut lux Solis, & lux Solis erit ſeptupla, tanquam lux ſeptem dierum.* Jerem. XXXI. 34: *Non docebunt amplius quisquam proximum ſuum, & quisquam fratrem ſuum, dicendo: cognoſcite Jehovam. Nam omnes ipſi cognoſcent me, non minus parvus ipſorum, quam magnus ipſorum, ait Jehova.* Ezech. XLVII. 3: *Cum exiret vir ille ad ortum, (erat autem linea in manu ejus) menſus eſt mille cubitos & fecit me tranſire per aquas, aquas talorum. Et menſus eſt mille, & fecit me tranſire per aquas, aquas genuum: & menſus eſt mille, & fecit me tranſire per aquas lumborum: & menſus eſt mille, torrens erat, quem non poteram tranſire, (quia altæ factæ erant aquæ) aqua natationis; torrens, qui tranſiri non poterat.* Innuitur hic ſucceſſivum cognitionis augmentum, & forte præciſe ad illud reſpicitur, quod in quatuor periodis quarto, quinto, ſexto & ſeptimo mundi millenario expectandum erat. Dan. XII. 4: *Tu autem, Daniel, abſconde verba illa, & obſigna librum usque ad tempus finis, quo ſcrutabuntur multi & MAJOR FIET COGNITIO.* Habac. II. 14: *Impletur terra, ad cognoſcendum gloriam Domini, tanquam aquis, quæ operiunt mare.* Zach. XIV. 7: *Et erit, tempore veſperæ erit lux.* Spem hanc verbo prophetico βεβαιοτέρῳ innixam Deus Amen, Teſtis fidelis & verax non fallet. Quin in procinctu eſt, ut im-

pleat. Tot enim ad progrediundum in hoc ſtadio noſtræ ætati adminicula indulſit, quot nulla præcedens habuit. Typographiæ inventio, barbariei Antichriſtianæ per renaſcentes bonas literas depulſio, linguæ ſanctæ & exoticarum notitia, ſenſus literalis Scripturæ ſacræ elucidatio, ſcientiarum Scripturæ ancillantium, eique facem quodammodo præferentium incrementum, ſtudii Prophetici diligentior & ſolidior tractatio, ecquid ſunt niſi implendarum de augmento cognitionis promiſſionum præludia? In ipſo ſtudio emblematico & myſtico glacies jam a ſexcentis fracta eſt. Selectum tamen ſingularem opera ab iis impenſa requirit, criſinque continuam ingenii in hoc ſtudiorum genere exercitati.

Iſtud conſtat, neminem hactenus in certum aliquod ſyſtema atque corpus communi uſui redigiſſe, quæ huc referri poſſunt. Tentarunt quidem varii, ſed aut apparatu ſufficienti deſtituti, aut nimis anguſtos cancellos ſibi conſtituentes, aut pulchris conatibus immortui. Ad priorem claſſem forte ſine injuria, ſalvo honore, quem debeo pietati Virorum, quorum labor in Eccleſia fuit utilis, refero, quæ *Baumannus*, *Botſaccus*, *Feſſelius*, *Glado*, aliique ex Lutheranis, & quæ ex noſtris quoque in hanc rem commentati ſunt *Rudolfus Peterſenius*, *Claubergius*, *Grœnvvegius*, *H. Morus*, ipſeque, quem tamen eo nomine multis aliis præferendum duco, *Benjamin Keach* in Tropologia ſacra, quæ prodiit Anglice 1682. 2. Voll. fol. Fors plura præſtitiſſent *Glaſſius* & *Gurtlerus*, ſi placuiſſet ipſis ultra ſchediaſma progredi, quod ille in *Rhetorica ſacra*, hic in *Vocibus typico-propheticis* dedit. Nec luſiſſent operam duo alii Viri Docti, quibus dives fuit ad tale opus conſarcinandum ſuppellex, alter *Nicolaus Lydius*, Eccleſiaſtes, dum viveret, Franequeranus, alter Noſtras, decus quondam ſingulare Eccleſiæ & Scholæ noſtræ, *H. G. Snabelius*, qui ſpeciminibus quibusdam editis ſitim multorum accendit, multaque ad hoc ſtudium pertinentia fragmenta in ſchedis reliquit, quæ tamen, uti ex illis, quæ volvere mihi contigit, perſpexi, ultimam manum deſiderabant. An vero Clariſſimus apud meos olim Tuiſcoburgenſes Profeſſor, *Henricus Hulſius*, quæ jam ante tria luſtra in præfatione *Vallium Sacrarum* orbi Chriſtiano promiſit, *Theologiam Emblematicam*, *Myſterium Numerorum*, aliaque huc ſpectantia, cito unquamve exſoluturus ſit, Θεὸς ἐν γυναιξὶ κεῖται. Avidi ſaltem gratique exciperemus, ſi quid juvare in noſtro conſilio nos & ſtudium ſacræ Scripturæ vellet.

Palma ergo hactenus in medio poſita eſt. Ad illam me quoque aſpirare mei in Pſalmum XLV. commentarii publicatione, fateri non erubeſco. An aliquid in obtentione ejus lucrari debeam, Deo vitæ meæ diribitori ſupremo; an poſſim, Viris veritatis, pietatis, verbique Dei majeſtatem ſapientiamque Authoris ſui ſpirantis ſtudioſis dijudicandum ex hoc ſpecimine permitto. Quare a lectore veniam peto, quod in elegantiſſima emblematum ſacrorum, quæ hic Pſalmus ſuppeditat, ſylva juſti commentarii leges ſœpe exceſſerim, & pro lubitu in campum hieroglyphicum latius data occaſione exſpatiatus fuerim. Sicubi ceſpitatus fuero, id meum eſſe teſtor: cætera, quæ rectius dicta videbuntur, ſoli gratiæ Dei accepta refero,

quæ

quæ meum in literas divinas, quem libere profiteor, amorem inutilem esse nolit. Si qui suis consiliis me dirigere magis magisq; in orbita veritatis dignabuntur, eorum favorem exosculabor. Absit tantū omnis livor & bonos conatus carpendi libido quæ φιλαυτίαν non φιλαληθειαν spirat. Quicunque plus scommatibus ludicris quam rationibus in re seria agunt, & de veritate nil nisi amorem divinum revelante cum πικρίᾳ cordis & dictionis decertant, eos pro ἀυτοκατακρίτοις habeo. Non audent in aciem directe progredi, sed velitando tantum, ut levioris armaturæ militia, causam Sacræ Scripturæ, de cujus majestate & stylo vere divino, quali Spiritum Sanctum loqui decet, disceptatur, impetunt. Ostendunt, quo Spiritu agantur, quarumque partium Zelotæ sint. Ipsa scribendi methodo propriis frontibus cauterium indelebile inurunt. Impossibile est, ut Spiritus pacis & amabilis veritatis amor in cordibus tam venenatis habitet. Non merentur, ut iis quicquam reponatur. Commiserationem movent, qua quamvis invitos amplecti fas est. Odia eorum mansuetudine & caritate si non exstirpanda, saltem debellanda sunt. De cœtero permittendum, ut cum suis tenebris luctentur. Cavendum ne, quam ex Virorum multo melius de re Christiana meritorum sugillatione quærunt, famam adipiscantur. Mihi nihil magis in votis erit, dum in hac valle commorandum, in qua ἐκ μέρους γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν, quam libere cognitione veritatis, quæ secundum pietatem est, animum imbuere, ea fini ut doctior & melior indies evadam, affectus turbatos corrigam, dulcedines Jehovæ gustem, rivo voluptatum domus ejus me immergam, laudes virtutum ejus ex intima mentis convictione annuntiem, amoreque Dei & erga proximum caritate inflammatus alios quoque accendere aptus sim. Tu, Lector, si sapis, id unum mecum anhelare sollicitus esto. Vale.

Honori

REVERENDI ADMODUM ET CLARISSIMI THEOLOGI

FRIDERICI ADOLPHI LAMPII.

Ecclesiæ Stephanienſis, quæ Christo capiti, colligitur Bremæ, PASTORIS FIDELISSIMI.

Suas in *Psalmum XLV. Exercitationes publicantis.*

DA, *Venerande*! mihi veniam, Tibi scribere pauca,
Non equidem tanto carmina digna *Viro*,
Sed quæ permisit Tuus in me affectus amicus,
Et favor, atque meus mittere jussit amor,
Officiumque meum, pro tot tantisque benignis
Immeritis meritis, quæque stupere juvat. Con-

Consilium quoties sanum, atque fidele dedisti
Rebus in incertis, nocte dieque, meis?
Vix degustaram labris, quod Roma vetustum,
Quodque perantiquum Græcia magna tenet.
Vix deponebam primi trivialia ludi,
Magnus erat fervor, qui mea recte agerem,
Atque ut susciperem missis divina profanis,
Hæc tibi jam soli maxima cura fuit,
Et verbis, monitisque piis complere, perenni &
Doctrina, mentem, consilioque meam.
Tu concedebas aditum mihi semper apertum,
Qui fers præterea grande laboris onus.
Illa lubens subeo, facili vultuque sereno
Dicebas, mihi nec displicet iste labor.
Consiliator ero tuus, & Fautor studiorum,
Subsidio studium cum caret omne tuum.
Atque adeo nunquam dulci absque levamine abivi,
Indoctus nunquam deseruique domum
Vir Præclare tuam; sincero pectore dico,
Quidquid ego didici nonne fere omne Tuum est?
Ergo fronte mea, ne turpe notatus inurar
Hospitis ingrati stigmate, lucifugus;
Pace tua, ingenuis libet hæc cantare Camœnis,
Ac, quî conveniant verba, docere, rei.
Pace tua narrare libet, quæ fata crearit,
Dona simul, queis Te cinxerit ipse Deus.
Auspicor a teneris annis, ab origine molli,
Splendorisque tui lumina prima peto.
Lippiaci Comitis Detmoldia Te celebrata est,
Brema Tibi puero prima elementa dedit.
Nulla dies quondam sine linea abibat Apelli,
Nulla Tibi absque opera, noxve, diesve, gravi.
Hinc quod Judæi, Judæorumque magistri
Quodque sciunt docti, mente capace tenes.
Ingenium, mentisque acies, penetrantior omni
Ferro, non data sunt munera larga Dei?

Tu nondum pictis prima lanugine malis,
Pæne puer scribis, quæ stupuere senes.
Tu non vulgari latices de fonte bibisti,
Divino saturum nectare pectus habes.
Mens Tibi summa dedit, contestor! mentis acumen,
Illa dedit linguæ mellifluentis opes.
Doctrinæ flores, sitienti corde trahebas
Antiquo ex Grajum, Romulidumque penu.
Legisti e doctis semper saluberrima scriptis,
Inque usum redigis, quæ modo culta vides.
Te Numen Batavos (terra pelagoque potentes)
Quoque fluit Rhenus suasit adire solum.
Te Deus invenit dignum fidumque ministrum,
Præconem verbi constituitque sui.
Te primo Weezam, Duisburgum postea misit,
At Bremæ fixo Te residere loco
Unanimi cœtus voto, assensuque volebat,
Namque Deo obsequium nonne negare nefas?
Quam dextre hic faris, cœlesti quamque Minerva
Sensa refers Magni condita sæpe Dei!
Tu sacer æterni numeras mysteria verbi
Euclio, nec minimum jota perire sinis.
Rite ministerii rationem reddere, fidum
In minimo esse Deum, sedula cura Tibi est.
Sedula cura Tibi est hominis curare salutem,
Liber ut a vitiis illius esse queas.
Tu plenum Vas es divino nectare, namque
Ex Te plebs large promit epistomio.
Infracto zelo peccata vagantia carpis,
Et frustra oblatrat turba scelesta canum.
Voceque flexanima demulces pectora mœsta,
Afflictis addis gaudia, verba, preces.
Phosphorus es cœcis, es lucida gemma piorum,
Hinc Christo es gratus, Christicolæque gregi.
Utile commiscet dulci tua penna diserta,
Et Majestatem quæque tabella refert.

Qua

Quæque polita magis? quæ cultu atque ordine præstat?
Demorsos ungues, quæ magis ulla sapit?
Sublimis stylus est antiquo percitus œstro,
Quem tamen, id mirum! vel tyro percipiat.
Fœderis in lucem prodibat pagina nuper,
Ecce Tibi præsens postea surgit opus.
Atque novas iterum docto paciscеris orbi
Chartas, queis nihil hic doctius orbis habet.
Atque utinam servare fidem, promissaque posses
Solvere, quod doctus jam sitit orbis opus.
At rata vota feres, nec enim spe ludis inani,
Donaque promissis uberiora dabis:
Si modo longævam promittant stamina vitam,
Prospiciatque illam divite messe Deus.
Omne Tuum docte scriptum est, ast eminet illud,
Splendorem Christi, conjugis atque decus
Quod docet, Euge! tui sponsi, sponsæque nitorem,
Hunc, si scire cupis quisque, revolve librum.
Divinum ostendis nexum, facilemque sequelam,
Impropriasque phrases expedis atque tropos.
Quem Latiæ, Hebrææ, Grajæ facundia linguæ
Ditat, habes Lector! candor itemque pius.
Iste liber vera & solida probitate valentem
Te facit, ac animum tollit ad astra tuum.
Conformem fidei vitam, perfectio quæ sit
Christiadum, veras deliciasque docet.
Præmia ne speres, Vir Maxime! digna, sciuntne
Reddere, vel possunt? cœlica vita dabit.
Attamen & lapides albi, te vota bonorum,
Te favor & patriæ publicus ambit amor.
Vive decus nostri, Stephani lux vive per ævum,
Vive Tibi, nobis, vive simul patriæ.
Perge tuis mundum bene mundum reddere scriptis,
A grege Tu Domini perge fugare lupos.
Tardius ista dies veniat, qua lumine tanto
Nos tanti facitis fata! carere Viri.

GERHARDUS DRAGE. SS. Th. & E. L St.

Landesbibliothek Oldenburg

AD PSALMUM XLV
EXERCITATIONES SACRÆ.

EXERCITATIO PRIMA
DE
PSALMI INSCRIPTIONE.

1. *Excellentia Psalmi laudatur.* 2. *Author incertus.* 3. *Ut & occasio.* 4. 5. *Refutatur hypothesis occasionem & sensum literalem ubique urgentium.* 6. *Artificium Psalmi.* 7. *Divisio.* 8. *Scopus:* Eruditio. 9. 10. *Argumentum:* Canticum Amorum. 11. *Traditum* filiis Korachi. 12. *Ephemeriæ cantorum.* 13. Præfecti *Musices.* 14. Schoschannim cymbala *esse conjicitur.* 15. *Gemma inedita illustratur.* 16--19. *Digressio instituitur, in qua* Musicam Templi typicam *fuisse demonstratur.* 20. *Monstratur typus instrumentorum in genere.* 21. 22. *Speciatim tubarum.* 23. *buccinarum.* 24. *tibiarum.* 25. *cithararum.* 26. *tympanorum.* 27. *cymbalorum.* 28. *Cur Præfecto Psalmus sit traditus?* 29. *Epilogus.*

I.

PSalmus quadragesimus quintus tam verborum ornatu, quam rerum præstantia, plerisque canticis in Canone sacro obviis palmam præripit. Verborum tanta est concinnitas, phrasium tanta ubertas, metaphorarum & emblematum tanta sublimitas, ut non tantum omnem eloquentiæ humanæ nisum longe infra se relinquant, sed & eorum interpretatio multis difficilioribus paginarum sacrarum locis facem accendat. Quantum vero est illud, quod sub hoc tegumento quasi reconditum latet! Sanctissima fidei Mysteria, & præcipue universi Fœderis gratiæ ratio & accommodata Œconomiæ

Psalmus XLV tum a verborum tum a rerum excellentia commendatur.

miæ novæ præcipuisque ejus viciſſitudinibus, illius pangendi forma, ſi usquam in toto Veteri Teſtamento, certe hic dilucide, & emphatice in admirabili brevitate proponitur. Tam glorioſe depingitur, quicquid ad ſplendorem cœleſtis Regis pertinet, tam accurate exprimitur, quicquid ad conſummandam cum eo fidei unionem requiritur, ut ferreus ſit, qui per hoc Spiritus Sancti modulamen non plus, quam per Amphionis plectrum, in admirationem, amorem, venerationem rapiatur.

Quamvis authoris nomen ignoretur, eſt tamen divinitus inſpiratus.

II. Autoris nomen ignoratur. Accidit id & huic & multis aliis Bibliorum ſegmentis: nempe, ut hac quoque ratione moneamur, fidem noſtram nulla Scriptoris authoritate, ſed inſitis ipſi Scripturæ Divinitatis radiis niti. Nec enim moror regulam hermeneuticam, quæ *Kimchio* in proœmio comment. in Pſalmos, aliisque placuit, *illos Pſalmos, qui nullum authoris nomen præferunt, Davidi eſſe adſcribendos.* Nullo ſolido fundamento hæc conjectura nititur. Aliquid veroſimile habent, qui de *Hemane* cogitant, qui & vir θεόπνευς©-, & inter filios Koræ primarius Muſicæ Director fuit. Fors tamen ſerius compoſita Ode, quia ante Salomonis tempora nec *ebur*, nec *aurum Ophiriticum*, nec *Tyri* commercia nota fuiſſe inter Judæos videntur, ad quæ v. 8. 9. 10. 13. alluditur. De hujus ſaltem Odes divina inſpiratione nulli dubitamus, non tantum ob indicatam ſcriptionis ſublimitatem, & fidem eorum, qui in Canonem retulerunt, & teſtimonium, quod de ſe ipſo, ut *calamo velocis ſcribæ* ℣. 2. reddit, ſed potiſſimum, quia argumentum Pſalmi totius propheticum eſt, agens de fatis poſt exaltationem Chriſti, & ei & Sponſæ ſuæ deſtinatis, Quæ cum ita accuratiſſime evenerint, uti prædicta ſunt, quod per partes a nobis demonſtrabitur, ecquæ de Divinitate ſcripti, in quo hæc fata deſignata ſunt, dubitandi vel rimula relinqvetur?

Occaſio latet, ſaltem Salomonis conjugium

III. Occaſio juxta latet. Sunt, qui de Salomonis cum Ægypti Regina conjugio cogitandum eſſe putant. Non quidem malo animo, ſed tamen ἀπροσδιόνυσον. Huic enim typo nec Spon-

Sponsus, nec Sponsa congruit. *Non Sponsus*, quia victoriis est inclytus, qua laude Salomo caruit, sicut nec ille *reliquit Patres*, nec *filios* suos *Patrum loco posuit Principes super tota terra*, quod tamen de Sponso nostro affirmatur v. 17. *Non Sponsa*, quia ea potissimum inducitur v. 11. quæ ex Judæis, sive secundum carnem, sive mysticis, quod suo loco inquirimus, Regi Messiæ adducenda, cujus typum peregrina Salomonis conjux gerere non potuit. Mittamus ergo illa, quæ Spiritus nos latere voluit. Abunde occasionis illis subnascebatur, qui spe viva promissiones de gloria futura Messiæ & Ecclesiæ ejus, jam tum datas & sæpe repetitas, amplectebantur. Mihi sane susque deque cogitanti nihil aliud incidit, quam potuisse ansam Prophetæ subnasci, ad hunc Psalmum componendum, ex argumento Psalmi præcedentis, in quo cum tristia fata Ecclesiæ Novi Testamenti prædicta essent, nihil aptius erat, quam subnectere aliud canticum, in quo prærogativa & gloria ejus, ad quam per passiones via struenda erat, solaminis caussa describerentur. Placuit id *Theodoreto*, qui in nostrum Psalmum ita commentari infit: Τὰ λυπηρὰ προειρηκὼς ὁ θεοφθογγος λογος ἐν τῷ θεῷ τούτῳ ψαλμῷ, τὰ θυμήρη λοιπὸν προσαγορεύει, τὺς ἀθυμοῦντας φυχαγωγῶν καὶ διδάσκων, ὅτι καὶ νικήσουσι, καὶ ἀλεξήσουσι, καὶ τῆς παρὰ θεοῦ πυξονται βοηθείας, ἵνα ἀν ἐξ αὐτῶν ὁ ἀγαπητὸς υἱὸς κατὰ σάρκα βλαστήσῃ, καὶ τὴν καινὴν ἀλλοίωσιν τοῖς ἔθνεσι προξαγωνίστῃται. i. *Postquam molesta propheticus sermo prædixit in proxime præcedenti Psalmo, jucunda deinceps vaticinatur, mœrentes consolans, & docens eos victuros, atque in victoria perseveraturos, auxiliumque a DEO consecuturos, quousque dilectus filius ex ipsis secundum carnem exoriatur, & mutationem illam novam gentibus moliatur.* Id negari nequit, esse Psalmos haut paucos, quorum materiæ sibi invicem ita innexæ sunt, ut studio in ordine conjunctos fuisse statuendum sit. Eoque magis ea observatio hic locum habere potest, quia inscriptionis modus non tantum eundem usum, sed etiam eundem authorem supponere videtur. Quia tamen collectio Psalmorum a quo sit instituta, Critici certant, & adhuc sub judice

fuisse non videtur.

An vero materia Psalmi præcedentis ansam dederit, quanquam verosimilius, incertum tamen est.

Landesbibliothek Oldenburg

lis est, quam nunc meam non facio, nolo huic conjecturæ inhærere. Satis tamen verosimile est, si non authorem, saltem collectorem Psalmorum hoc consilio nostrum Psalmum præcedenti statim subnexuisse. Interea si vel ab authore utrorumque Psalmorum connexio illa orta fuisset, hactenus tamen nullam externam occasionem haberemus, a temporis ipsius, in quo compositus est, ratione petitam.

Refutantur Interpretes, qui non tantum statuunt,

IV. Placuit quidem multis Viris doctis, & post alios Viro eruditissimo, qui nobis *Historiam Criticam Reipublicæ literariæ* Gallico sermone conscriptam, quæ certe doctrinæ multiplicis thesaurus portatilis est, dare cœpit, omnia cantica sacra habuisse suas occasiones singulares, ab externo Israelis & temporum, in quibus composita sunt, statu petitas: unde porro deducere cupiunt, omnes Psalmos habere sensum literalem, ad sua tempora accommodatum, qui sensui mystico semper sit substernendus. Ita enim Tomo I. p. 47. ait: *que tout homme, qui suit les lumieres du bon sens, soit obligé d' avouer, que ces divins cantiques renferment constamment un sens literal, qui est le premier, & celui, qui s' offre d' abord a l' esprit.* Nec tamen ægre feret Vir doctissimus, me sonticis rationibus inductum ab eo prorsus dissentire.

omnes Psalmos certas occasiones externas habuisse:

Quod ad priorem asserti sui partem attinet, res est minoris momenti. De multis, forte & de plurimis, id verum est. Nec inficias eo, occasione illa detecta multum lucis Psalmis accendi. Unde non exiguum Reipublicæ Christianæ & literariæ subsidium a *Commentario de vita Davidis* ea fini publicando, quem promisit, accessurum spero. Multas tamen occasiones oblivione temporum sepultas existimo. Saltem de hoc Psalmo, quem illustrare instituo, quo referri possit, nondum video: quamvis certa docturo utrumque pollicem non denegaturus. Nihil interea necessitatis esse reor, cur hæc regula ad omnes Psalmos extendatur, præsertim, si qui sint mere prophetici, qui tantum de futuris Ecclesiæ fatis agunt.

Ma-

Landesbibliothek Oldenburg

Majoris ponderis est, quod posteriore asserti sui parte Vir clarissimus in dubium vocat, dum sensum literalem *semper* (*constamment*) habere divina cantica opinatur. Notum est Viros Doctos nominis non exigui in ea esse hæresi, omnia Prophetarum oracula secundum literam esse intelligenda, quod tamen hactenus persuadere non potuerunt. Masculе ei se opposuerunt Viri plurimi, inter quos nunc laudare sufficit Cl. *Tillium* in Antidoto e nostratibus, & e Lutheranis Cl. *Gerhardum* Tract. Theologici in quo præcipua Chiliasmi fundamenta subruuntur cap. II. quam tractationem Clavi suæ Propheticæ inseruit, notisque illustravit laudatus in præf. *Königmannus*. Nobis nunc de solis Psalmis dispiciendum. Sane id ex priori effato nullo pacto sequitur. Id quidem facile concesserim, ad certas occasiones in Psalmis licet Propheticis, præsertim Davidis & Salomonis, frequentissime alludi, iisque detectis viam aperiri ad phrases adhibitas recte interpretandas. Certissimum hoc est, & sapientiæ Spiritus eo magis convenit, quia David & Salomo illustres Messiæ typi fuere, quorum historiæ typicæ elegantissime ad antitypum transferuntur. Sed quid impediit, quo minus occasione externa commotus, sed a Spiritu Dei evectus altius Regiorum Vatum animus statim in sublimiorum mysteriorum contemplationem abreptus sit? Aut quomodo Davides arrogantiæ sæpe notam effugisset, vel in ipso, quem exempli loco illustratum dedit Vir doctissimus, Psalmo CX, si suas laudes tam splendide ebuccinandas in jugi templi cultu tradidisset? Accedit, quod dentur Psalmi, qui nullo modo sub hunc censum vocari possunt, qualis est noster, & inter alios Psalmus VIII. XXII. LXVIII. LXIX. &c. Ut jam prætream, quanta ansa detur hostibus veritatis, ex hac hypothesi sensum mysticum impugnandi. Asseritur quidem Tomo III. p. 197. viam hanc esse brevissimam, ad Judæos convertendos, & prophetias contra Impiorum & Libertinorum nostri ævi attentata defendendas. Sed ego contrarium censeo. Nam cum Judæorum hodiernorum molimina eo potissimum tendant, ut ubi possunt

sed etiam sensum literalem habere, qui primo intendatur.

Non sequitur id ex priori hypothesi.

Præterea habet aliquid inconcianum, usui contrarium,

periculosum.

sunt, in litera & cortice subsistant, & pro Messia aut Davidem aut Hiskiam aliosve Heroes substituere quærant, quomodo convincentur, si illis id dederis, emphasin vocum, phrasiumve Scripturæ propheticæ in literali applicatione exhauriri posse? Et annon putat Vir Clarissimus, hodiernos Spinosismi asseclas, mysteriorum verbi contemtores, albis nos risuros dentibus, si de sensu mystico eos convincere conemur, & tamen concesserimus, literalem per se esse emphaticum? Ecquid, quæso, afferemus, ad eos persuadendos, quod post literalem ex amussim phrasibus Scripturæ respondentem sensum, alius mysticus restet inqvirendus? An Christi & Apostolorum fidem, qui ad sensum mysticum provocarunt? Sed nisi ex natura ipsa textus V. T. rem conficere tentemus, sufficiet iis frequens suum effugium, Salvatorem nostrum, ejusque sequaces se ad hypotheses Cabbalæ Judaicæ accommodasse, & *ad hominem* disputasse. Unde laterem lavabimus, nisi evidenter demonstraverimus *apriori*, quod per gratiam Dei abunde fieri potest, vaticinia V. T. & præcipue Psalmorum talia esse, ut secundum literam in suis temporibus explicari nequeant.

Occurritur difficultati quæ moveri posset,

Nolim autem hæc ita sumi, quasi prorsus negem alicubi duplicem sensum locum habere posse. Sed talia loca uti numero sunt pauciſſima, & in subjectum literale secundum omnes phrases quadrant, ita ad mysticam significationem transferendi nullum jus nobis relinqueretur, nisi aliæ prophetiæ mere mysticæ nobis ad eas ita interpretandas clavem traderent. Sic exempli caussa Psalmus LII. quoad literam de Doëgo Idumæo agit, atque in ejus crimine & pœna plene exhauritur: jure tamen in sensu mystico etiam ad alios Ecclesiæ N. T. hostes transfertur, quia ex aliis locis directe ad N. T. pertinentibus constat, sub Davidis nomine Christum, sub Idumæorum titulo subdolos Ecclesiæ hostes, qui communionem cum vero DEO crepant, designari. Sic canticum Mosis Exod. XV. quoad literam plene exhauritur in submersione miraculosa Pharaonis cum exercitu ejus: sed tamen mystice transferri potest ad judicium DEI in

distinctione inter sensum

Anti-

Antichriſtum, præeunte Spiritu Apoc. XV, 2. 3. Idem cogitandum de cantico Deboræ Judic. V. quod, quamvis accurate victoriam de Siſera & exercitu Jabini reportatam deſcribat, ad alias tamen victorias, præcipue eas, quas in occupata ſub N. T. hæreditate gentium ſpirituali modo populus DEI obtinuit, recte transfertur, uti patet ex clauſula hujus cantici v. 31. & Pſalmo LXXXIII. 10. Hic vero ſenſus non eſt *propheticus*, ſed *typicus*, quem talia cantica cum hiſtoriis ipſis habent communem. Senſus ille typicus plerarumque alluſionum propheticarum verum fundamentum eſt, ſed tamen diverſam a ſenſu prophetico rationem habet, ſicut alio tempore, ſi Deus volet, docebo. Unde ille canon hermeneuticus propheticarum explicationum inconcuſſus manet: *Ubicunque per ſubjectum aliquod literale emphaſi vocum & phraſium adhibitarum ſatisfieri nequit, ſubjectum aliud myſticum deſignari credendum eſt.* Faceſſant ergo diſtinctiones inter ſenſum perfectum & imperfectum. Non decet ſenſus imperfectus ſapientiam Spiritus Sancti. Natura ſua hiulcum eum & lacerum & incertum eſſe oportet. Βεβαιότερον eſt ſermo propheticus. Nunquam deſultorie ſcribit Spiritus, ſed concinno ſemper ordine decurrit. Nunquam voces adhibet, quæ aut infra aut ſupra rem ſunt, de qua agunt, ſed tales quæ ſemper ſubjecto ſuo aptiſſime conveniunt. Ita ſentio, donec exempla in contrarium afferantur, quæ ſufficientia ſunt, de quibus tamen ſecurus ſum. In unico me aliquando hæſiſſe fateor, nempe vaticinio Nathanis 2. Sam. VII, 12. ſeqq. Sed altius de eo cogitanti difficultates evanuerunt. Et adjutus ſum cogitatis doctiſſimis Cl. *Gouſſeti* Veſper. Groning. colloq. XX. p. 462. ſeqq. In quod thema nunc non exſpatior, ne nimis extra oleas vager.

propheticum & typicum.

Opponitur canon Propheticus ſemper ſervandus.

Unicum argumentum, quo probabilis redditur hæc hypotheſis Cl. Authoris, iſtud eſt T. I. p. 45. 46. propoſitum: ſcilicet, illa cantica, quæ cultui publico Iſraëlis erant deſtinata, neceſſario ſemper involvere debere talia officia, & DEI encomia,

Potiſſimum argumentum, quod in contrarium allatum

tum est, examinatur.

mia, quæ occasionibus & temporibus præsentibus sint accommodata. Sed hæc cum distinctione sunt accipienda. Nam quamvis hæc observatio locum habeat in cultu morali, qualis in Synagogis institutus erat, & in Sacrificiis extraordinariis, hac illave occasione speciali sive a privatis sive a toto populo offerendis: minus tamen stricte applicari potest ad cultum ceremonialem, qualis cultus Templi erat, & ad sacrificia ordinaria, tum jugiter, tum in festis offerenda. Cum enim in his perpetuæ umbræ essent, quæ futura Novi Testamenti bona adumbrabant, nihil convenientius erat, quam per recitata inter sacrificandum cantica, populum identidem moneri de scopo, quo totum istud choragium rituum collimabat. Quod eo magis admittendum, quia non suis tantum temporibus, sed etiam sequentibus *ad eruditionem* sua cantica Propheta Regius inservire voluit, unde necessario tale eorum argumentum esse debebat, quod non ad sua magis, quam ad omnia Ecclesiæ V. T. secula spectabat. Denique quis ausit dicere, prophetias de Regno Messiæ in N. T. ad Israëlem non pertinuisse, cum omnis fidelium V. T. spes in implemento hujus promissionis esset consummanda? Atque his observatiunculis etiam illa satis infringuntur, quæ Doctissimo *l'Enfant* in Tomo VI. hujus Bibliothecæ ad stabiliendam Authoris nostri hypothesin afferre placuit.

Ostenditur, non sat feliciter jecunctam hanc hypothesin Psalmum CX. explicari.

V. Et quid multis opus est? Quamvis fatear eruditissimis observationibus Psalmum CX. a Viro clarissimo illustratum, meque ex iis non parum profeciisse, quoad hanc tamen hypothesin multas difficultates remansisse palam est. Liceat mihi quædam modeste quasi per transennam notare.

1. quod sedere ad dextram DEI in Davidem non quadrat.

1) Quando *sedere ad dextram DEI* ad regnum Davidicum sub auspiciis & protectione divina inchoatum post *Schlichtingium* & alios transfertur, nimis augustissima hæc phrasis extenuatur. Pleraque ex sacris & profanis authoribus congesta loca docent: *sedere* pro regnare usurpari, & *dextram* Dei symbolum potentiæ & protectionis ejus esse, quod rem non conficit. Probandum

dum fuisset totam phrasin in complexo de regno humano unquam usurpatam: quod non est factum. Ad integram phrasin illustrandam duo tantum loca Tom. I. p. 68. 69. adducuntur, sed quæ non feriunt. Nam alter e *Callimacho* in Apoll. v. 29. cum de Apolline agat, communicatos ei divinos honores sine dubio innuit, atque ea fini a me juvene in ἐπιμέτροις ad Dissert. *de Jesaia nudo & discalceato* adductus est, ut confirmarem eorum sententiam, qui *sedere ad dextram DEI* communionem majestatis divinæ designare credunt. Addo nunc, ad concilium Deorum ex hypothesi gentilium phrasin esse transferendam, ubi Jupiter solus in throno summo sedens pingebatur, cæterique Deastri a dextra & sinistra succedunt, circulum facientes. Alter vero locus est *Pindari* Nem. Od. XL. v. 3. 4. *Explicatur locus Callimachi*

Ευ μὲν Ἀριστογόραν δέξαι τὸν ἐς θάλαμον,
Ευ δ' ἑταίρους ἀγλαῷ σκάπτῳ πέλας.

Quod ita sumitur, quasi Vestam Poëta invocet, ut Aristagoram cum consortibus regni sui *prope sceptrum suum* recipiat. Quæ versio si admittatur, plus tamen longe est *ad dextram Dei sedere*, quam *prope sceptrum collocari*, quia etiam ministri throno in loco inferiori adstantes prope sceptrum Regis recepti sunt. Interea præferendam *Schmidii* versionem puto, qua ἑταίρους ἀγλαῷ σκάπτῳ πέλας conjungit, & phrasin de sceptro Aristagoræ sumit, prope quod socii regni sui confidebant, quia scilicet regni ejus communionem habebant. Atque ita res eodem redit: & sicut eadem phrasis de Rege mortali usurpata communionem majestatis humanæ innuit, ita de Rege cœlesti usurpata etiam communionem regni cœlestis & divini insinuat, quæ in Davide monstrari nequit. Accedit quod hæc phrasis, quæ in toto V. T. semel tantum adhibetur, in N. T. sæpissime repetatur, sed constanter in uno illo & sublimi sensu, qui soli Christo convenit. Quin clarissime Petrum & Paulum interpretes habemus, qui negant hanc phrasin de Davide usurpari posse. Petrus Act. II. 32. ait: *David non adscendit in* *& Pindari.*

cœlos, ipse vero ait: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Annon dilucide hic indicatur, sub *sessione ad dextram DEI* contineri adscensionem in cœlos? Ut taceam aliam hypothesin Viri Doctissimi heic similiter infringi, qua p. 51. verba Psalmi putat pronunciari quasi ab uno ex populo, cum Apostolus ea diserte Davidi attribuat: λέγει δὲ ποῦ. Paullus Hebr. I, 13. interrogat: *Ad quem vero angelorum dixit unquam: sede a dextris meis?* Quænam vis hujus demonstrationis, quam audacter Apostolus proponit, fuisset, si regeri potuisset, Deum hæc etiam ad Davidem dixisse?

Phrasis ἐν πνεύματι genuinus sensus indicatur.

An vero stringat argumentum ex Matth. XXII, 43, ubi David hæc dicitur ἐν πνεύματι dixisse, quod (post *Georg. Enjedinum* Socini asseclam, ea propter solide refutatum a *Gothfr. Oleario* Theologo Lipsiensi doctissimo in Matth. Observ. LXVII. §. 3. sq.) putatur de *sensu mystico*, qui *literæ* opponitur, esse accipiendum, dijudicent, qui conferre volunt locum plane parallelum Marc. XII, 36. ubi Christi verba plenius adducuntur, & pro ἐν πνεύματι legitur ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. Clarissimo indicio, Salvatorem nostrum ipsum Spiritum propheticum intelligere, per quem Davides de Messia vaticinatus erat. Res tam liquida est, ut inhærere ei non sit opus. Suaderem tamen Celeb. *Grotium* ad hunc locum inspicere, cujus se quoad generalem hypothesin, Author Clarissimus æmulum profitetur, quamvis certum sit, *Grotium* longe moderatius censuisse, uti *Clericus* fatetur Bibl. Chois. T. XXVII. Id certum est, æque infeliciter ad firmandum adscriptum illum phrasi ἐν πνεύματι sensum conferri locum Joh. IV, 24. Nam ibi per πνεῦμα interiores facultates animi a Dei Spiritu sanctificatas & terrestri externo cultui Vet. Test. oppositas intelligi, evidentissimum est ex addita αἰτιολογίᾳ, quod *Deus* sit *Spiritus*, quæ non stringeret, si diverso sensu vox sumeretur.

2. neque David dici potest Sacerdos:

2) In versu quarto ad Davidem applicando multa gratis supponuntur & contra Apostoli fidem, qui sæpius hunc locum Hebr. V. VI. VII. adducit & prolixe πραγματεύεται, sed de sen-

su

su literali nullam cogitandi ansam dat. Ego firmiter persuasus sum Davidem I. Non *Sacerdotem* II. Non *æternum* III. Nec *successorem Melchisedeci* dici potuisse.

Quoad prædicatum Sacerdotis quatuor כהן significata ponuntur. Primum, quo *sacra facientem* in cultu Levitico denotat, non disputatur. Ad alterum, quo de *Principe* sumitur, addo tantum præter alios *Ovveni* scholion verissimum Theolog. lib. V. c. 16. §. 4. *cum ad statum civilem vox illa transfertur, Reges nunquam significat, seu eos, qui summa potestate præditi sunt, sed eos tantum, qui in secundis tertiisque consistunt:* quod in rem præsentem non quadrat. Notio tertia non admodum liquida est. Nam quod traditur, in genere personam quamvis *pietatis & cultus divini studiosam* כהן dici, adductis illis duobus locis non evincitur. Exod. XIX. 6 Israelitæ dicuntur *Regnum Sacerdotale* cum respectu ad Sacerdotium in tabernaculo ab iis obeundum. Et 1. Pet. II, 9. Christiani, quos Apostolus nominat βασίλειον ἱεράτευμα, ut antitypus sacerdotii ceremonialis considerantur, atque ita in locis multis aliis, in quibus fidelibus N. T. hic titulus datur. Nam de fidelibus V. T. nunquam usurpatur. Quarto per כהן *Principem* designari, *religionis Antistitem*, neque id probatur. Melchisedecus rem non conficit. Licet enim communis sententia retineretur, proprie dicta tamen Sacrificia eum obtulisse statuendum esset, quia tertium comparationis, quod Apostolus inter Melchisedecum typicum & antitypicum Hebr. VII. constituit, præcipue sacerdotium proprie dictum est. Quod vellem observatum fuisse ab iis, qui in Melchisedeco hominem glorificatum inveniisse se putarunt. Unde enim probabitur, hominibus glorificatis adscribi sacerdotium? Et quomodo conveniret, cum cessante labe cesset sacrificium? Moses autem Sacerdotis munus vere exercuit, cum altare exstrueret Exod. XVII, 15. & populum aspergeret Exod. XXIV, 8. & Aaronem initiaret Levit. VIII. Quamvis enim hi actus imperfecti essent, quia probari ex his omnibus nequit, Mosen sacrificasse, &

παρεμφάσεις vocis כהן indicatur

post Aaronem consecratum Moses ab iis quoque abstinuerit, potuisset tamen vel semel in poëmate ob eam caussam כהן dici, uti Cl. Author in Ps. XCIX, 6. factum putat. Sed id quoque ei negari potest, & a multis negatur. Consulatur *Glassius* in mantissa Philol. Sacr. §. 8. 9. *Witsius* Miscell. T. I. lib. 1. c. 1. §. 6. Patet jam abunde nullam hactenus ex datis notionibus כהן & Davidi competere.

Multo minus æternus:

Æternitas sacerdotii, de quo hic agitur, cum vita Davidis terminari nequit, ut Cl. Authori videtur, quia Apostolus Hebr. VII, 16. 17. 24. absolutam æternitatem Sacerdotii Melchisedeciani ex hac phrasi adstruit.

& successor Melchisedeci.

Atque ita per se cadit, quod de successione Davidis in thronum & regnum Melchisedeci conjicitur: de quo difficillime ii persuadebuntur, qui regnum Salemi ante tempora Davidica sibi nondum demonstratum esse ajunt, quod mare nunc non moveo. Merentur heic conferri, quæ Cl. *Goussetus* contra R. Isaacum Chizzuk Emun. lib. I. c. 40. docte disputat.

3. contra omnem scripturæ usum אדני *Davidi adscribitur.*

3.) Minorem gratiam Vir doctissimus apud bonos interpretes inibit, quod v. 5. per אדני Davidem ipsum intelligat. Ego tantum oppono verba *Fesselii* Advers. Sacr. lib. V. c. 3. §. 1. 2. "Cum Kametz, quod non propter pausam additum "sit, quando scribitur, æque ac Jehova, nomen unius DEI "proprium & nulli creaturæ, vel fictitio DEO communicabi- "le est, quod agnoscunt inter Judæos *Onkelos*, qui ubique "pro eo habet ⁻̈ & *Rabbi David Kimchi*, qui citante *Sixto* "*Senensi* lib. V. Bibl. Annot. 100. dixit, Adonai, quoties scri- "bitur cum Kametz, honoris & excellentiæ caussa DEO tri- "buitur, & e Photinianis *Socinus* in explic. Ps. LXVIII, 8. & "*Crellius* l. I. c. X. de attrib. præfixo libris Volckelii de vera Re- "ligione. Hinc Judæi pro יהוה legunt אדני. 135 vicibus absolute de DEO ponitur, quanquam Masora tantum 134 locos adducat. Hæc ille. De angelis videtur quibusdam dici Gen. XVIII. & Judic. VI, 15. 22. Sed illa loca non infringunt canonem datum, quia Jehova ipse ibi Abrahamo & Gideoni apparuit

paruit. Plura videri possunt apud *Hottingerum* dissert. Philol. Theol. V. p. 277. sq. *Hakspanium* in Sylloge disp. II. De nomin. divin. p. 209. sqq. *Wayenum* summa Theolog. p. 76. sq. Si autem velles, ad exemplum aliorum nominum Divinorum, quæ per metaphoram aliquando angelis aut magistratibus dantur, potuisse Davidem ita dici, nullum tamen exemplum dari poterit, homines ipsos sibi unquam hunc honorem sumsisse. Merito ergo ab hac arrogantiæ nota liberari debet sanctissimus Rex.

4) An etiam cuiquam persuasurus sit Cl. Author, per *caput super terram multam* v. 6. Ammonitarum Regulum posse intelligi, valde dubito. *4. Rex Ammonitarum non fuit* caput super terram multam.

5) Denique dissimulare nequeo, valde mihi displicere methodum, qua ex hac hypothesi objectio quædam doctissimi, quamvis non admodum religiosi, *Bælii* refutatur Tomo III. p. 189. sq. Objecerat ille, quomodo tot cruentæ strages, non sine crudelitatis specie, a Davide hostibus suis, cumprimis Ammonitis inflictæ, conciliari possint cum tam splendidis titulis *Sacerdotis*, *Prophetæ*, Viri *secundum cor DEI*, quibus honoratur? Cui primo loco respondetur, præcepta Evangelica non posse constitui in normam actionum Davidis: Ex Oeconomiarum diversitate sequi, quod præcepta moralia tum temporis eam perfectionem DEUS nondum voluerit habere, quam nacta sunt sub dispensatione N. T. *Dieu n' avoit point encore jugé a-propos, de porter la Morale a ce haut degré de perfection, où elle est montée sous la Dispensation Evangelique.* Emollitur quidem id aliquantum in sequentibus. Nimium tamen Socinianis his verbis conceditur. Nam quamvis nec manifestatio tam clara, nec mensura Spiritus sanctificationis tam abundans esset, eadem tamen immutabilis Legislatoris Sanctitas in postulatis fœderis Sinaitici continebatur, qua mandata novi fœderis radiant. Nihil etiam magis a re alienum fuisset, quam si talia facinora, quæ cum præscriptis legis Divinæ, quæ Sanctitatis DEI constans ectypus est, *5. Cavillatio Cl. Bælii infeliciter ex hac hypothesi oppugnatur.*

Landesbibliothek Oldenburg

non conveniebant, in publico cultu DEI celebrata fuissent. Quanto melius ratiocinia *Bælii* obtundentur, quando evincitur, nil nisi spiritualia & sanctissima bella Messiæ, ejusque de hostibus Ecclesiæ victorias in cultu templi decini solitas fuisse? Conferantur cum his, quæ Plur. Reverendus *Doutreinius* in Epistola ad Celeberrimum *Cuperum* suffixa ejus de Clangore Evangelii Dissertationibus contra hanc hypothesin docte notavit, quorumque legendorum mihi non ante facta est copia, quam hæc jam exarata essent. Quod restat doleo invidiam, cui se per hanc hypothesin *Cl. Anonymus* exposuit: doleo nimium rigorem a censoribus quibusdam, quos minime decebat, contra eum exercitum. Pessimi hæc res exempli est, quando ob res problematicas, quæque salvo fidei fundamento semper inter Theologos Orthodoxos controversæ fuere, ita a fratre fratri insultatur. *Tantæne animis cœlestibus iræ?* Ad incrementum cognitionis promovendum potissimum medium est prudentiæ Christianæ regulis circumscripta PROPHETANDI LIBERTAS.

Artificium Psalmi est mere ecstaticum.

VI. Ad Psalmum nunc redeo, cujus artificium est insigne. Vates ob visionis excellentiam in enthusiasmum agitur & promiscue, jam Regem, jam Reginam, mox filiam Tyri, denique iterum Regem compellat. In qua compellatione Regem post victorias de hostibus reportatas, firmatumque thronum, matrimonium cum Regina per varios gradus consummantem sibi proponit, pompamque tantis facibus congruam describit, & tandem cum felici fœcundi tori omine concludit. Genus ergo dictionis mihi non est *dramaticum*, sed *ecstaticum*, quod ego in multis Psalmis contra aliorum hypothesin præfero, quia & antiquius & natura sua longe sublimius est. Saltem in nostro Psalmo diserte id vs. 2. innuitur, quo lectorem remitto.

Cætera, quæ de SCOPO, ARGUMENTO, COMPONENDI MODO, SUBJECTO, USU, præfari fas est, Psalmi tum titulus, tum prologus nos docebit.

VII. Bi-

Landesbibliothek Oldenburg

VII. Bipartitus est, constans *titulo* & *Psalmo* ipso. *Divisio generalis Psalmi, & specialis commatis primi.*

Titulus v. 1. ita se habet: *Præfecto super Schoschannim: filiis Koræ. Institutio: canticum amorum.* Erudimur hic, quando non tam situm verborum, quam ordinem materiarum respicimus:

A. De scopo odes, qui est *institutio.*
B. De argumento ejus: est *canticum amorum.*
Cl De usu, qui fuit publicus, quia decinendum traditur
1. In genere *filiis Koræ.*
2. In specie *Præfecto super Schoschannim.*

VIII. Scopus Psalmi est INSTITUTIO, משכיל, quod lemma huic cantico cum multis aliis commune est. Videantur XXXII. XLII. XLIV. LII. LIII. LIV. LV. LX. LXXIV. LXXVIII. LXXXVIII. LXXXIX. CXLII. Singularem de hac voce diatriben habet *Sontagius* de tit. Psalmor. p. 370. sqq. qui consuli potest. Mea sententia melius *participialiter* verteretur, *Erudiens*, *Instituens.* Id certum est, designari hac voce scopum Vatis, qui fuit, ut erudiret. εἰς σύνεσιν, uti οἱ δ'. Talis institutio tria includit, Magistrum, discipulos, denique doctrinam reconditam, ponderosam, prudentiores reddentem, utilem. *Magister* est Spiritus Sanctus. 1. Petr. I, 11. 2. Petr. I, 21. *Discipuli* sunt Israël tum carnalis Rom. III, 2. tum Spiritualis Gal. VI. 16. *Doctrina* est *recondita*, mysterium summum fidei proponens, quin & ἀποκεκρυμμένον χρόνοις αἰωνίοις Rom. XV, 25. Est *ponderosa*, quia in unione cum Christo salutis nostræ totus cardo vertitur, Joh. XV, 2-11. *Reddit prudentiores*, quia abyssos omnes gratiæ DEI, & interiores thesauros verbi ejus recludit, non nisi initiatis aperiundos, Ps. XXV, 14. *Utilis* est ad instructionem non tantum, sed etiam incrementum sanctificationis & multifariam in hac miseriarum valle consolationem, 2. Tim. III, 16. Vel ex hoc titulo patet, quantum dignitati Psalmi derogent, qui sensum literalem urgent. Nam, ut verba *Henr. Molleri* in h. l. mea faciam, *Scopus Psalmi est ad erudiendum.*

Landesbibliothek Oldenburg

ciam, *parum est eruditionis aut doctrinæ in consideratione formæ, vestium, splendoris & potentiæ Salomonis, vel etiam in ornatu Sponsæ, quæ ei ex Ægypto adducta est, & quam præstitisset nunquam venisse in ejus thalamum.*

Canticum quid designet?

IX. Ut vero jucundo utile temperaret, elegit Propheta amœnissimum argumentum: שיר ידידת: CANTICUM AMORUM: שיר designare *Oden* quamcunque, sive numeris adstrictam Musicis, sive minori arte compositam, assave voce decinendam, opposite ad מזמור, quod semper *Psalmum* numeris adstrictum exprimit, notius est, quam ut hic moneamus. Cantica ad *erudiendum* aptissima esse credidit antiquitas, sive ut eorum suavitate dicentes caperentur, ut vult *Seneca* epist. XVIII. sive ut pro communi veterum superstitione sub excelsiori & ænigmatico dicendi genere mysteria religionis coram vulgo magis tegerentur. Hinc Musæ ἀπὸ τοῦ μύεσθαι, quia mysteria carminice proferebantur. Hinc factum authore *Quintiliano* lib. I. *Ut iidem Musici & vates & sapientes judicarentur.* Strabo lib. I. Πρώτιστα γὰρ ἡ ποιητικὴ παρεσκεύη παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον, καὶ εὐδοκίμησεν. εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι λύσαντες τὸ μέτρον i. *Ab initio enim Poeticus apparatus processit & in pretio fuit. Postea eum imitati soluto metro.* *Scholiastes Aristophanis* in Pluto ad vs. 11. Ἀφ' οὗ Σοφὸς τὴν μουσικὴν αἰνίττεται i. *per* σοφὸς *Musicam obscure indigitat.* Quare recte *Grotius* Prolegomenis ad Stobæi Florilegium: *Antiquissimis seculis sapientiæ præcepta non nisi carminibus dabantur, quo & Homeri illud pertinet, quod narrat Clytemnestram ad vitium non prius flexisse, quam cantorem amiserat.* Respicit locum *Homeri* Odyss. γ.

Cantica, antiquissimus erudiendi & vaticinandi modus.

-- Φρεσὶ γὰρ κέχρητ' ἀγαθῇσι
Πάρ γὰρ ἔην ἀοιδὸς ἀνήρ -- i.
-- *Mente utebatur bona.*
Aderat enim ei Musicus vir i. philosophus seu præceptor.

Scholiastes ad h. loc. τὸ ἀρχαῖον οἱ ἀοιδοὶ φιλοσόφων τάξιν ἐπεῖχον. Et *Athenæus* lib. I. Et ante eos *Strabo* lib. I. καὶ Ὅμηρος δὲ τοὺς ἀοιδοὺς σωφρονιστὰς ἄρηκε. Thaletem sane versibus complexum esse Astronomiam

nomiam Lobon Argivus author est apud *Laertium* I. 34. Simile de aliis narratur, & de Cleobulo Ibid. 89, &c. *Carmina* sunt sententiæ Philosophorum in primo *Catonis* districho. Hinc poëtæ σοφοὶ dicti ab *Anacreonte* Od. in rosam & σοφισταὶ, notante *Laertio* lib. I. c. 12. ubi vide *Menagium* inter alia citantem *Scholiastem Pindari* : Σοφιστὰς δὲ καὶ σοφὰς ἔλεγον τὰς ποιητάς. Legi hic meretur *Meursius* Præfat. in Auctores Mus. Ant. Adde sis uberius de hoc nomine Poëtarum tractantem *Cuperum* Apotheos. Homeri p. 117. 118. quin omne genus disciplinarum ex poësi deducentem *Philippum Sidnejum* Anglum eruditissimum in Apologia Poëseos, quæ nuper ex Anglica in Belgicam versa est. Præcipue vaticinia carminice proferebantur. Unde Musici & poetæ olim נביאים *Prophetæ* dicti sunt 1. Sam. X, 15. 1. Chron. XXV, 1. Consule *Vitringam* de Synag. lib. I. p. 2. c. 7. p. 358. 359. Prorsus ut apud alias gentes *vates*. Et reciproce *vaticinia* dicebantur *carmina* Livius lib. I. c. 45. *Habita, ut erat, res prodigii loco est, & cecinere vates, cujus civitatis eam civis Dianæ immolasset, ibi fore imperium, idque carmen pervenerat ad antistitem Dianæ.* Confer eundem XXV, cap. 12. XXIX, 10. XXXVIII, 18. Quin oracula ipsa antiquitus non nisi carminice reddita sunt. Et in genere in docendis mysteriis religionis prævaluisse carmina nuper singulari dissertatione *de modo propagandi religionem per carmina* docuit *Gelhud* sub præsidio *J. A. Schmidii*, Professoris Helmstadiensis. Cultus etiam sui partem cantica esse voluit Deus, *tum* ut singularis illa hominibus præ brutis concessa flectendæ vocis vis, quæ θεῖον aliquid in se habet, in honorem ejus, qui illam dedit, vertatur: *tum* ut devotio, Spiritualis lætitia, aliique cultum sacrum promoventes affectus excitentur: *tum* ut suavi cultus Templi modulamine præludium daretur *Cantici* illius *novi* in diebus Messiæ decinendi Ps. XXXIII, 3. XCVI, 1. XCVIII, 1. CXLIV, 9. Jes. XLII, 10. *Cur in cultu templi?*

X. Sed quid illud ירידת ? An cum *Grotio*, *Junio*, *Piscatore*, aliis, vertendum: *amicarum*? Ita putant & prisco mori *Vox* ירידת *potest* ver-

ti: amicarum. *Virgines canebant epithalamia.*

congruere, quo *puellæ* epithalamia frequenter in nuptiis cantillabant, & contextui Psalmi, qui infra de *Sociabus* Sponsæ mentionem facit. Non moror, quin ita accipiatur. *Virginum* in talibus canticis præcipuæ partes fuere. *Proclus* de iis in Chrestomath. testatur: αἱ παρθένοι ὑπὲρ τῶν θαλάμων ᾄδουσι. *Scholiastes Theocriti* ad Idyll. 18. Τὸν δὲ ὑπόθαλάμιον ᾄδουσιν αἱ παρθένοι πρὸ τοῦ θαλάμου. Confer *Catullum* in nupt. Juliæ & Manlii:

Vos item simul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: o Hymenæe Hymen.

Et in sequenti carmine nuptiali canentes virgines introducit V. *Schottum* ad Procli l. cit. *Majum* Obs. Sacr. l. Cæl. *Rhodiginum* Ant. Lect. XXVIII, 15. Tantum ut observetur, mysticum tum subfore sensum: quia non *virginibus*, sed *filiis Koræ* canticum hoc traditum est. Nec enim tum alias intelligere *virgines* fas esset, quam eas, de quibus ad v. 15. Exerc. XI. §. 13. seqq. prolixius dicimus. Sed fors simplicius vertimus *Canticum amorum* i. carmen amatorium seu nuptiale. Diversa apud veteres carminum nuptialium genera erant, de quibus videri potest *Scaliger* de re poet. lib. 3 cap. 101, *Laurentius* Polymn. IV, 17. *Robertellus* ad Epithalam. Catulli. Hoc nostrum nuptiis Regiis celebrandis destinatum, & in eo occupatum est, ut illustrium desponsatorum, qui fœdus hoc conjugale ineunt, *reciprocos amores* describat. *Conjugii* spiritualis Symbolum in sacris frequentissimum est, ad describendam arctissimam Christi & Ecclesiæ unionem. Hos. II, 19. 20. Ephes. V, 32. Confer. Exercit. VII. §. 10. Tempus, in quo illud consummandum, sub Oeconomia novi fœderis, ob bonorum gaudiique abundantiam *nuptiis* comparatur Matth. XXII, 2. Vide Exerc. III. §. 1. Nihil ergo concinnius, quam sub titulo *carminis nuptialis* proponere canticum, quo unionis illius natura & fructus describuntur. Tale est integrum *Canticum*

Simplicius est, ut vertatur: amorum.

Canti-

Canticorum. Sicut autem in *epithalamio* potissimum *amores* Sponsi Sponsæque reciprocos deprædicare consuetum est, ita hoc sibi thema noster etiam Vates cumprimis elegit. Longa hic erat *amorum* series. *Sponsus amavit* ab æterno, quando pro Sponsa vadimonium suscepit: Jer. XXXI, 3. *amavit*, in mundum ut Goel veniens, & *osculum oris sui* infigens: Cant. I. 1. *amavit* ob eam serviens & morte sua amorem sine exemplo obsignans: Rom. V, 8. Joh. XV, 13. Eph. V, 25. *amat* per Spiritum de amore suo certificans & vexillum amoris extollens: Cant. II, 4. constantissime ut pretiosum peculium conservans: Cant. VIII, 6. tandem in incomprehensibili & beatissima secum communione glorificans, Joh. XVII, 21. 26. Nec silendi sunt *amores Sponsæ*: in cujus cor amor Dei effusus est Rom. V, 5. Illa Satanæ, carni, mundo, creaturæ universæ divortium misit Phil. III, 8. Nihil æstimat, nihil desiderat, quam ut dilecto suo potiatur, Ps. CXVI, 1. Cant. I, 13. II, 5, III, 1. 2. Hunc cogitat, hunc loquitur, huic se amabilem reddere studet talibus actionibus, quæ vehementissimi affectus interpretes sunt, seu voluntatem ejus cum voluptate implens, seu omnes angustias, tormenta, mortem ipsam constanter obiens, Cant. VIII, 7. Rom. VIII, 36--38.

Amores Christi & Ecclesiæ reciproci.

Quid autem, si interpretaremur: *Canticum de amabilibus*? Hoc sane sensu sumitur vox textus in illo loco, extra quem in Scriptura non invenitur, Ps. LXXXIV, 2, מה ידידות *Quam amabilia sunt tabernacula tua o Jehovah Zebaoth*! Nec abludit *Midrasch Tillin. Amabilia* certe erant, si quæ unquam, quæ Psaltes meditabatur. Quin illa ex immensa rerum pulcherrimarum congerie studio excerpsit: quæ Sponsum Sponsæ, Sponsam iterum Sponso & utrosque diligenti lectori *amabiles* facere poterant. Prope ad hanc hypothesin accedit *Jarchius*, quamvis in subjecto erret, quando ait: Canticum in laudem eorum (discipulorum sapientum) להאהיבם על הבריות ולהאהיב תורתם עליהם i. *ut iis amorem conciliet apud homines, & ut eorum lex illis grata reddatur.*

Potest etiam verti: de amabilibus.

Indicatur, cui filiis Korachi *hoc cantitum sit traditum, rationibus cum ex litera,*

XI. Tantum propositum usui publico destinatur לבני־קרח FILIIS KORACHI. *Korachi* fœdissima seditio *filiis* ejus ex horrendissimo judicio servatis non obfuit, quo minus familia eorum inter Israëlitas honorata manserit, DEO nolente *filium ferre iniquitatem patris.* Ezech. XVIII, 20. Davidis præcipue tempore, inter reliqua circa cultum sacrum munia, ex iis delecti, qui Musicæ templi operam darent. Studio vero, quod excolendæ Psalmodiæ sacræ impenderunt, id promeruere, ut plures Odæ iis inscriptæ legantur 42. usque ad 49. 84. 85. 87. 88. Quod eo minus mirandum, quia cæteros numero longe vicere. Ex XXIV enim ordinibus Psalmodorum XIV Korachitarum erant, quorum Pater & Princeps fuit *Heman.* Quod si illa eorum conjectura aliquid valeret, qui talium Odarum Hemanem autorem volunt, non mirum esset, illum liberos suos instruendi præ reliquis curam gessisse. Quidam tamen inde conjectandi ansam ceperunt, annon *filii Koræ* harum Odarum authores essent. Sed infirmo tibicine, quia unius scripti præsertim poëtici propheticique plures simul compositores fuisse difficulter concipi potest. Præsertim cum in fronte Psalmi LXXXVIII eorum nomen simili modo constructum inveniatur, & tamen *Heman* author poëmatis fuisse dicatur.

tum ex mysterio petitis, quod per filios Korachi adumbratum est.

Sicut autem omnes personæ sacræ in cultu Sanctuarii terrestris typicæ erant, ita præcipue Levitarum nobilis pars *Korachitæ.* De Levitis dubitari nequit ex Jes. LII, 11. LXVI, 21. Jer. XXXIII, 22. &c. intelligi per eos fideles N. T. Et statim id ex ordinibus eorum propius demonstrabitur. Quidni ergo de filiis Korachi idem statuendum? Non inepte faceret, qui eos consideraret ut typum *reliquiarum* Israëlis, cujus Parentes nefarie id ausi sunt contra Mediatorem Novi Testamenti, (nec defuit sceleri eventus) quod Korah cum sociis contra Mediatorem Veteris Testamenti tentabat. Sed quia *filii Korachi* hic præcipue designant quatuordecim illos Musicæ Præfectos ex Hemane oriundos, hinc in specie cogitari debet de viris illis Apostolicis, qui primitus ex Judæis erant,

erant, & per quos canticum novum doctrinæ Evangelicæ decinebatur.

Quando ergo tale canticum *filiis Korachi* tradebatur, quod amores Christi & Ecclesiæ continebat, factum id est sine dubio in typum, quod similiter Doctoribus Ecclesiæ ex Judæis aliquando committenda sit ea cura, ut suavissimo Evangelii præconio alios ad agnoscenda hæc mysteria Regni Dei allicerent.

XII. Præcipue autem canticum nostrum inter filios Korachi cuidam למנצח על-ששנים PRÆFECTO SUPER SCHOSCHANNIM commendatur. Quomodo David familiam cantorum in templo, sub tribus summis Præfectis Assapho, Jeduthune & Hemane in XXIV. ephemerias divisérit, quæ totidem classibus Sacerdotum respondebant, & singulæ singulis septimanis vices suas obibant, Paralip. XXV legitur. Singulæ ephemeriæ ex duodecim cantoribus Magistris constabant, unde resultat numerus mysticus CCLXXXVIII, qui est duplicatus ex CXLIV. Nempe sicut XXIV ordines figurabant XXIV presbyteros Apocalypticos, id est Antistites Ecclesiæ universæ, ita CCLXXXVIII capita designabant ipsa universæ Ecclesiæ membra, cujus dimidia pars CXLIV (sed per mille multiplicata, ob majorem Ecclesiæ amplitudinem, quæ *ex uno mille generavit*, Jes. LX. 22.) in Apocalypsi Ecclesiæ Nov. Testam. separatim considerata symbolum est. Sed hi Magistri tantum erant, qui sub se plures alios habebant. Integer enim eorum numerus, qui vacabant melodiæ templi, *quatuor* mille conficiebat 1. Paral. XXIII, 5. Et ni fallor, hic iterum aliquid mystici latet. Si enim secundum magistrorum numerum hos quatuor mille iterum dividas, habebis 288 choros, qui singuli ex uno Magistro & duodecim discipulis constant. Residuos manere bene computanti 242 fateor. Quid autem facilius est cogitatu, quam tales in omnem casum supplendo numero reservatos? Istud saltem, quod residuum est, infra numerum 288. subsistit, ita ut ad duode-

De ephemeriis cantorum inter Levitas disseritur,

& quomodo universam ecclesiam adumbraverint, indicatur.

Mysterium numeri Apocalyptici 144 illustratur.

narium singulorum chororum Musicorum abunde fuerit. Si vero unus singulis addendus esset, istud fieri nequivisset. Videbat ergo Israël duodecim choros, singulos duodenario constantes, qui indies in celebrando Deo occupati omnibus tribubus Israëlis documento erant, eos esse *populum a DEO formatum, ut laudem ejus enarrent*, Jes. XLIII. Et quod magis sapientiam Dei illustrat & harmoniam viarum ejus prodit, duodecim hi chori, qui singulas ephemerias constituebant, accurate CXLIV capita absque magistris conficiebant, qui sane illustrissimus typus fuere tot millium sub certorum *citharœdorum* ductu psallentium Apoc. VII, 4. & XIV, 1. 2. Certe in perfecto hoc numero, utpote ex quatuor ternariis constante & per se multiplicato, cujus mysterium in genere jam ab aliis & præcipue a doctissimo *Horchio* in dissert. de agno Dei in monte Zion, Thesauri Theologico-Philologici Tomo II. inserta agnitum est, singulari modo lusit divina providentia. In censu Israëlis Num. I. bis invenitur.

Simeon habet	59300.
Levi - -	22000.
Dan - -	62700.
Summa	144000.
Isaschar habet	54400.
Sebulon -	57400.
Manasse -	32200.
Iterum	144000.

Quorum prius Cl. *Loërsius* in dissertatione elegantissima de pectorali Pontificis Maximi Romani, posterius Rev. *Melchoris*, in literis ad me conscriptis, utrique Viri mihi amicissimi, me monuerunt. Puto tamen Levitarum choros magis convenire scenæ, quæ Johanni aperiebatur. Præcipue cum numerus Levitarum, qui vigilias Sanctuarii servabant, cum numero Cantorum coincideret, 1. Chr. XXIV, 5. ad docendum, ean-

eandem illam Ecclesiam, quæ celebrando nomini Jehovæ dedita est, simul paratam esse ad bella ejus gerenda. Cantus diurnum, vigilia nocturnum potissimum officium erat, quia celebratio nominis divini magis ad sereniora tempora, militia vero Spiritualis ad noctem afflictionum pertinet. Utrobique idem numerus, quia Ecclesia in doctrina & fide semper sibi similis. Non prætereundum, eundem numerum *ulnarum* fuisse, quibus mensura novarum Solymarum absolvebatur, Apoc. XXI, 17. Quid erat aptius, ad demonstrandum fixum & constans Dei propositum, definitum & circumscriptum cancellis suis electorum numerum, in unitate fidei, uni fundamento Prophetarum & Apostolorum superædificatum conservandi?

XIII. Sed e diverticulo in viam. Digressionis ansa fuit consideratio stationum, quas Levitæ in hymnodia templi habuere. Ista vero necessaria fuit, ut inveniremus τὸν מנצח, qui consensu interpretum ἐργοδιώκτην, PRÆFECTUM, *præcentorem* aliquem designat. Sed quem? tres enim hic Præfectorum ordines fuere. *Supremi Præfecti* tres erant, Heman, Assaph, Jeduthun, (qui cum Ethane idem fuisse conjicitur) ex tribus principalibus familiis tribus Levi, Kahathitis, Gersonitis, Meraritis orti. Sub iis erant XXIV filii eorum ut *Præfecti ephemeriarum*. Et sub singulis XII *Magistri*. Ex his, quis ille in titulis Psalmorum totiens laudatus מנצח sit, propius dispiciendum. Clarissimus *Tillius*, qui profundius reliquis, qui hoc discrimen parum observarunt, de hac re meditatus est, de Music. Hebr. p. m. 385. de *Supremis Præfectis* cogitat! Hoc tamen non quadraret, si aliquis ex iis author statueretur hujus Psalmi. Id certum est, omnes tres fuisse viros θεοπνεύστους, qui adsueti erant carmina subministrare aliis: unde etiam aliquando ut authores Odarum obveniunt, quas tamen alicui Præfecto commendant. Videsis inscriptionem Psalmi 80. & 88. Quare aut *Præfectos ephemeriarum*, aut *Magistros* sub iis intelligere, magis in promtu est. Ego ita censeo,

Præfecti Musices *in tres classes distribuuntur, & hic aliquem tertiæ classis intelligendum esse probatur.*

censeo, ubi titulus hic sine ullo additamento reperitur, ibi *Præfectos* illius aut illius *ephemeriæ* intelligi posse, quæ tum, cum carmen publicabatur, in ministerio erat. Ubi vero aut diserta Præfecti a filiis Korachi distinctio, aut aliqua melodiæ, instrumentive Musici designatio accedit, ibi ad tertium ordinem *Magistrorum* recurrendum est. Nam filii Korachi ipsi Præfecti ephemeriarum, Hemanis proles, erant, adeoque per se secundum Magistrorum ordinem constituebant. Probabile etiam est, hos *Magistros* curam dirigendæ Musices ita inter se distribuisse, ut singuli suos modulos, sua instrumenta haberent, hic tibias, ille citharam, alter alia curaret. Et sic in carmine nostro ille ex tertio ordine intelligeretur, qui in hebdomada quadam, quæ *filiis Koræ* obeunda erat שׁשׁנים præsidebat.

De Schoschannim variæ cogitationes examinantur:

XIV. Quid autem illud שׁשׁנים? Non moror LXX, qui ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων reddunt, quia legisse videntur שְׁשִׁנִּים uti notat *Cappellus* Critic. Sacr. lib. IV. p. m. 218. Quanquam Patres pro more ex ignorantia linguæ Sanctæ in allegorica applicatione hujus versionis multi sint, præsertim *Basilius* in h. l. multa quidem bene de mutabili hominum statu, sed prorsus extra oleas, admiscens. Qui *lilia* vertunt, & materiam Psalmi hieroglyphice sub hoc nomine propositam esse putant, eos pariter ratio fallit. Vocula על *super* in Psalmorum titulis aut instrumentum Musicum aut melodiam designat, cui talis aliquis *Præfectus* est, qui מנצח dicitur. Nec quadraret id symbolum in reliquis Psalmis, 60. 69. 80. qui eandem inscriptionem habent, & tamen dissimillimi sunt argumenti. Melius ergo aut ad melodiam aut ad instrumentum aliquod refertur. Si ad melodiam, intelligi potest cum *Tillio* de Mus. Ebr. p. 515. talis, quæ ex Susis metropoli Persarum mutuata videtur. Multa enim talia minoris momenti DEUM non respuisse, licet apud gentiles etiam in usu essent, certum est: Volente DEO per talem quasi conniventiam adumbrare communionem cultus rationalis, in quam gentes olim transire debebant.

Quare

Quare non omnes paralleliæ illico rejiciendæ, quæ inter ritus quosdam sacros & profanos a Viris doctis instituuntur. Tantum ut debita sanctissimo cultui sobrietas adhibeatur, & illud extremum declinetur, in quod *Spencerus* aliique nimio ostentandæ eruditionis studio delapsi sunt. Sed potest vox nostra etiam instrumentum quoddam designare, sive *hexachordum*, quia sex chordis sex liliorum folia correspondent, quæ licet plurimorum interpretum sententia sit, videtur tamen aliquid catachresticum habere: sive *liliis ornatum*, ut alii: sive *cymbalum*, a qua sententia non alienum fuisse Præceptorem olim meum, Celeberrimum *Vitringam*, ex ore ejus me hausisse memini. Et sane cum altius hanc materiam meditarer, speciosam admodum hanc conjecturam esse deprehendi. Certum est enim, hoc instrumentum in Musica veterum & præcipue Phrygum Phænicumque frequentissimum, in sacra Hebræorum transiisse. Mentio ejus fit 1. Chron. XV, 16. 19. 2. Chron. V. 12. Ps. CL, 5. Esdr. III. &c. ubi inter primaria instrumenta צלצלים seu מצלתים referuntur. Quin, si Magistris fides, peculiarem Præfectum habuere. Tractat. *Schekalim* cap. V. Mischn. I. אילו הן הממונין שהיו במקדש .... בן ביבי על הפקיע בן ארוא על הצלצל הוגדם בן לוי על השיר i. *Hi sunt rebus gerendis in Sanctuario præfecti, Filius Babi scuticæ, Filius Arsa cymbalo, Hugdam F. Levi cantico.* Accedit, quod forma *cymbalorum* rotunda atque concava apprime cum *liliis* conveniat, qui florem habent cavum, & in rotunditatem desinentem. Quamvis enim alterni foliorum apices in liliis inæquales sint, in extremitate tamen ita recurvantur, præsertim quando in plena maturitate se dilatarunt, ut circulum perfectum forment. Quare in operis artificum istud omne cum forma *lilii* comparari potest, quod concavum in rotunditatem desinit. Ex hac caussa mari æneo Salomonis *lilii* formam adscriptam esse 1. Reg. VII, 22. *Clar. Goussetus* Lexici f. m. 892. docet. Sane pleræque figuræ hujus labri, quæ ab eruditis dantur, cumprimis quam exhibuit doctissimus *Villalpandus*,

& nova conjectura de cymbalis producitur, de quorum Præfectio forma & usu quædam differuntur.

dus, *cymbali* instar habent. Quid ergo impedit, cur lilii formam non in *cymbalis* quoque agnoscamus, quæ & magnitudine magis respondent, & in margine aliquid curvaturæ extremorum foliorum, & in manubrio cauli floris simile habent? Et mirandum procul dubio esset, cum *cymbalorum* insignis fuerit usus in Musica templi, eorum nullam mentionem in titulis Psalmorum factam, in quibus tamen alia instrumenta pro re nata memorantur. Accedit, quod probabile sit, illum, qui in quacunque ephemeria cymbalum pulsabat, reliquis præiviisse. Sic enim 1. Paral. XV, 19. 20. legitur: *Ac Musici quidem isti Heman, Assaph & Ethan cymbalis chalybeis resonabant. Et Zacharia & Hatziel & Schemiramoth & Jechiel & Hunni & Eliab & Maaseja & Benaja cum nabliis acutæ Symphoniæ. Matthitia vero & Eliphele & Mikneja & Obededom & Jehiel & Mazazia cum citharis gravis Symphoniæ præerant.* Idem ordo servatur 2. Paral. XXIX, 25. ubi dicitur, quod Hiskias *constituerit Levitas in domo Domini cum cymbalis, nabliis ac citharis.* Sed liberum esto de his Lectori judicium.

Forma cymbalorum ex gemma inedita indicatur.

XV. Ego in accuratiorem *cymbalorum*, instrumenti apud veteres cogniti, hodie obsoleti, descriptionem me non immitto, cum in tractatu a me adolescente admodum conscripto *de cymbalis veterum*, qui Ultrajecti 1703. prodiit, quantum per illam ætatem licuit, haud pauca congesserim ad hanc rem facientia: quamvis si tanti esset præcocem fœtum, idque in themate levis argumenti, relambere, lituram quædam mererentur, nec exiguum supplementum addi posset. Licet vero ea fini otium mihi hactenus non suppetat, nolo tamen præterire immemoratum beneficium Viri Plurimum Reverendi D. *Theodori Hasæi*, in studiis olim, nunc & in munere socii optatissimi. Ille enim, uti omnis eruditionis & elegantiæ ruspator est diligentissimus, ita Achatem possidet hactenus quantum scio ineditum, in quo cymbalista cernitur cymbala eleganter fabrefacta manibus pulsans, idque sub concen-

tu

cu lyræ. Gemmam hanc in gratiam eorum, qui tales delicias captant, heic pictura expressam damus.



Addo conjecturam, videri mihi, hanc gemmam referendam esse ad *Cotytia sacra*. Sacra enim quædam exprimi docet *ara*. Personas divinas esse tum ex *nuditate*, tum ex *peplo* constat. Sedentem fœminam *Venerem* esse suspicor, quia aliis quoque in cimeliis cum cithara pingitur, cujus exemplum est in nummo Furiæ Sabinæ Tranquillinæ, quem sibi illustrandum sumsit doctissimus *Sperlingius*. Et itidem in alio Valentis Hostiliani apud *Tristanum* Comment. Hist. T. II. p. 657. qui etiam auguratur, lyram Veneri adpictam repræsentare dulcem animorum harmoniam, cujus conciliatrix est, quæque per lyram exprimitur, uti infra §. 25. docetur. Potest ergo adstans cum cymbalis *Cotys* sive *Cotytus* esse, idolum Thracum, ex quo jam DEUM jam DEAM faciunt authores, *Pharnutus* Cupidinem esse affirmat. Istud certum, numen fuisse rerum turpium & meretriciarum, unde *Suidas* eum appellat ἔφορον τῶν αἰσχρῶν. In ejus vero cultu *cotylas*, quæ cymbalorum spe-

quæ explicatur & ad Cotytia sacra transfertur.

Cotytus quale idolum?

cies fuere, confligi solitas ex *Æschylo* docet *Strabo* Geogr. l. X.

Τέτυς δ' ἔοικε καὶ ταῖς περὶ τοὺς Θρᾷκας τά τε κοτύπια καὶ τὰ μηδίδια, παρ' οἷς καὶ τὰ ὀρφικὰ τὴν καταρχὴν ἔσχε. Τῆς μὲν ἐν κότυϊ τῆς ἐν τοῖς Ηδωνοῖς Αἰσχύλος μέμνηται, εἰπών δὲ

— Σεμνὰ κότυς ἐν τοῖς Ηδωνοῖς:
ἕλικα δ' ὄργαν' ἔχοντας τὰς περὶ τὸν Διόνυσον εὐθέως συμφέρει:
Ο μὲν ἐν χερσὶ βόμβηκας ἔχων τόρνᾳ κάμακτον δακτυλόδεικτον
Πίμπλησι μέλει, μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλάν.
Ο δὲ χαλκοθέοις κοτύλαις ὀτοβεῖ.

i. *Similia sunt, & quæ apud Thraces celebrantur, quæ Cotytia & Mendidia, apud quos & Orphica initium habuerunt. Ipsam sane Cotyn, quæ apud Edonos colitur, Æschylus memorat. Ajens enim: Veneranda Cotys apud Edonos: montana habentes instrumenta ministros Liberi statim indicat: Hic quidem manibus bombicam tornatam tenens digitis tactilem modulos complet somum allectorem furoris, ille vero æneis cotylis tinnit.*

Digressio instituitur de Musicis organis in Templo adhibitis, quæ typum fuisse cultus Spiritualis variis rationibus probatur.

XVI. Nobis nunc id negotii potissimum datum est, ut *cymbalorum* mysterium indigitemus. Quod ut recte ponatur, in genere fateri oportet, me in ea esse hæresi, quod facile sit demonstratu, non tantum Musicam universam Levitarum, sed etiam ipsa instrumenta ab iis sive tacta, sive pulsata, sive inflata, typum fuisse in cultu Spirituali N. T. adimplendum. In quod thema aliquanto fusius digrediendi mihi veniam peto, eo magis, quia id hactenus a nemine interpretum pertractatum deprehendo. Nec levi fidicine fultus ita sentio. Nam I. certum est, usum instrumentorum Musicorum non ex libera dispositione hominum, sed ipsius DEI institutione profluxisse. Sic tubæ Sacerdotibus imperatæ ad festa & sacrificia Num. X, 10. Horsum illud περιλάσμα Asaphicum Ps. LXXXI, 3. 4. 5. *Sumite Psalmum, & date tympanum, citharam amœnam cum nablio &c.* STATUTUM *enim* HOC IN ISRAELE EST, RITUS A DEO JACOBI. Nec dubitandum, quæ a Davide huic Ministerio Musico addita fuere, inspirante DEO gesta fuisse, cum & ipse & Viri, quorum opera

1. quia a DEO instituta partem cultus cæremonialis conficiebant.

ra utebatur Asſaphus, Heman, & Ethan a Spiritu Dei acti fuerint. Diſerte id 2. Chron. XXIX, 25. 26. 27. affirmatur, quod Hiskias *reſtituerit Levitas in domo Domini cum cymbalis, nabliis ac citharis ex præcepto Davidis & Gadis Videntis regii & Nathanis Prophetæ. Nam a DOMINO PRÆCEPTUM illud erat per Prophetas ſuos.* Cum autem nihil morale huic mandato inſit, quicquid etiam Fratribus Lutheranis ſolet videri, neceſſario ſequitur, ad cultum ceremonialem Leviticum id eſſe mere referendum. Fuit hæc Celeb. *Bezæ* opinio in Colloq. Mompelg. p. 396. aſſerentis: *Levitici cultus partem hanc fuiſſe non minimam conſtat, authore DEO, non hominum placitis inſtitutam: alioqui neceſſario in omnibus eccleſiis Chriſtianis inſtituendam, ſi hoc DEI mandatum ad eos pertineret.* Eadem *Parei, Muſculi, Ravanelli* aliorumque noſtrarum partium Theologorum conſtans ſententia fuit, fuſe defenſa a Celeb. *Voetio* P. I. polit. Eccl. tr. 2. c. 3. Et gaudeo certe communem Pontificiorum ſenſum ipſum *Cajetanum* nobis ferme accedere, opinantem, ad Thom. Summ. lib. quæſt. 91. Act. 2. *quod in Eccleſiaſticis officiis, ad quæ ſuſcipiendæ divinæ interioris diſciplinæ gratia convenimus, non ſunt admittenda inſtrumenta Muſica, tantoque magis excludenda ſunt, quanto divina diſciplina interior excellentior eſt omnibus diſciplinis humanis, hujusmodi inſtrumenta repellentibus.* Si vero ad cultum Leviticum ceremonialem *inſtrumenta* hæc ſpectabant, eandem etiam cum reliquis inſtitutis rationem, eundem finem habuere, nempe non tam ut populum duræ cervicis in officio DEUS contineret, aut ad ritus aliarum gentium alluderet, quam hypotheſin, quamvis a paucis aſſertam, cordatiores tamen Reformati averſantur & jam diu ſolide refutarunt, ſed potiſſimum, ut cultum ſpiritualem in N. T. Domino ferendum elegantiſſime adumbrarent. II. Confirmamur in hac ſententia, quia pulſus *inſtrumentorum Muſicorum* non tantum cum reliquo templi cultu abrogando jungitur Amos V, 23. ſed etiam immediate cum *ſacrificiis* connexus erat, & quidem præciſe cum *holocauſtorum ap-*

2. *quia ſacrificiorum holocauſtorum ap-*

pendix erant.

holocaustis, quibus incensis statim inchoabantur melodiæ, donec consumta essent. Clarum id est ex 2. Chron. XXIX, 26. 27. 28. *Itaque adstantibus Levitis cum instrumentis Davidis, Sacerdotibus vero cum tubis, edixit Hiskias, ut offerrent holocaustum in altari, & quo tempore cœpit holocaustum, cœpit Musica Jehovæ cum ipsis tubis, idque cum canticis traditis & instrumentis Davidis Regis Israëlis. Interea tota congregatio incurvabant sese, cum Musici canerent & tubicines tubis clangerent; omnia hæc, usque dum absolutum esset holocaustum.* Adde locum ex *Tamid* cap. 7. quamvis ab aliis jam notatum, eo magis, quia ex illo confirmatur hypothesis de *cymbalista* incipiente concentum Musicum, quam §. XIV. asserui. Ita enim ibi Magistri post compositas holocausti partes ad libationem progressum esse Sacerdotem narrant: *Dabatur ipsi vinum ad libandum, Præfectus Sacerdotum stabat ad cornu, & vela erant in manu ejus, duo etiam Sacerdotes stabant ad mensam adipum & duæ tubæ argenteæ erant in manibus eorum, clangebant sono æquali, tum fracto, postea iterum fixo & æquali: veniebant & stabant apud filium Arsæ, unus ad dextram, alter ad sinistram ejus:* שחה לנסך והגיף הסגן בסודרים והקיש בן ארזה בצלצל ודברו הלוים בשיר הגיעו לפרק תקעו והשתחוו העם i. *incurvabat se ad libandum, tum Præfectus Sacerdotum agitabat sudaria, filius Arsæ cymbalum pulsabat & Levitæ dicebant canticum: ubi absolverant versum, clangebant & populus curvabant se.* Ecquid autem convenientius, quam eos ritus, qui sacrificiorum appendices erant, ut typicos & mysticos considerare? III. Accedit, quod plurima loca, quæ necessario ut Prophetiæ ad N. T. pertinentes explicanda sunt, talium *instrumentorum* usum partim describant, partim etiam injungant. Hoc enim ad literam explicari nequit, tum quia nulla idonea ratio reddi potest, cur *instrumenta Musica* in cultu DEI sint necessaria, tum quia plerorumque instrumentorum usus interiit, quæ olim adhibita sunt. Inspice Ps. LXVIII. quem nemo negare potest de N. T. agere, ubi v. 26. *Præcedebant cantores, post fidicines, inter puel-*

3. quia in Prophetiis ad N. T. pertinentibus frequens eorum mentio fit.

puellas tympana pulsantes. Ecquando hoc secundum literam impletum? Ps. XLVII. sine dubio ad glorificationem DEI post adscensionem Christi pertinet. Quis ergo proprie id intelligeret, quando v. 6. dicitur: *Ascendit DEUS cum clangore, Jehova cum sono buccinæ?* Ps. XCVIII. ad N. T. pertinere extra controversiam patet ex vs. 2. 3. Et tamen statim sequitur: *Clangite Jehovæ tota terra: fragore edito cantate & psallite. Psallite Jehovæ cithara, cithara & psalmodia. Tubis & sono buccinæ clangite coram Rege Jehova.* Idem facile probari posset de Psalmis XXXIII. LXXI. LXXXI. XCII. CVIII. CXLIV. CXLIX. CL. qui similibus phrasibus pleni sunt, quas non aliter commode, quam ex hac hypothesi explicabis. Huc pertinent & aliæ prophetiæ Jes. XXX. 29. 32. Jerem. XXXI, 4. 5. Habac. III. 19. &c. IV. Porro negari nequit, etiam extra Sacrificia sæpe *instrumenta Musica* mysticam atque typicam rationem habuisse. Sic organicus Mirjamæ in ripa maris rubri post suffocatum aquis cum exercitu Pharaonem concentus Exod. XV, 20. ad epinicion Ecclesiæ in plagis Spiritualis Ægypti Apoc. XV, 2. 3, transfertur. Et quis negaret tubis Sanctuarii Num. X. a DEO institutis, buccinis Hierichuntinis Jos. VI. & Gideonis Jud. VII, 20. symphoniæ musicæ victoriam Davidis de Philistæis celebranti 1. Sam. XVIII, arcamque fœderis comitanti 2. Sam. VI. mysteria subfuisse, cum historiæ tales argumentis non spernendis inter egregios typos fatorum N. T. asseri queant? Quanto magis typica *organorum musicorum* significatio est admittenda in umbratili illo omnimode sacrificiorum apparatu? V. Nec minus stringit, quod hoc respectu sæpiuscule harmoniæ & *instrumentorum Musicorum* in N. T. mentio fiat. Refer huc συμφωνίαν, & χορὸς, de quibus Luc. XV. 25. Hinc *psalmodiam cordis* præscribit Paulus Ephes. V, 19. Col. III. 16. Et elegantissime Cl. *Bos* Observat. Critic. c. 25. voces πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, quæ Hebr. I, 1. adhibentur, e re Musica petitas observat: quæ observatio per nostram hypothesin multum fulcitur, quia varietas modulationum Musicarum varieta-

4. quia frequenter organa Musica etiam extra cultum Leviticum typi fuere.

5. quia ad hunc typum in N. T. frequenter alluditur.

rieta-

rietatem viarum DEI egregie adumbravit. Et quid est evidentius, quam citharas & citharædos, de quibus toties in Apocalypsi agitur Apoc. V,8. XIV,2. XV,2. eodem respicere? Ipsi illi *Angeli tibicines* Apoc. VIII,2. ad altare stantes, *voces que & tonitrua* de quibus v. 5. eo alludunt, uti docte & fuse post alios explicavit Cl. *Brauuius* Select. Sacr. lib. II. c. 3. 9. 10. Confer & Clar. *Doutreinium* de Clangore Evang. Diss. VIII.

Hypothesis hæc unanimi suffragio Patrum fulcitur.

XVII. Et certe priscis Ecclesiæ luminibus jam aliquid de hoc mysterio suboluit. Inde forte jam *Ignatius* in Epist. ad Ephesios ansam habuit scribendi: Τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον, ὃν θεοῦ ἄξιον ὄντως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ &c. *Venerabile vestrum* (ita vetus interpres vertit) *presbyterium DEO digne constitutum, non minus quam citharæ chordæ, Episcopo suo concordat, atque ex pluribus vocibus ac votis compositum unum cum illo voluntatis concentum edit. Propter hoc in consensu vestro & consona charitate Jesus Christus canitur. Sed & singuli chorus facti estis: ut consoni existentes in consensu, melos DEI accipientes in unitate, cantetis in voce una &c.* Hinc de *psalterio* ita commentatur *Augustinus* Prolegom. in Psalmos: *Cum multa sint organa Musicorum, huic tamen organo, quod psalterium appellatur, hunc librum aptavit, de superioribus, ut mihi videtur, inspiratam ei gratiam per Spiritum S. docens: quemadmodum hoc solum organorum musicorum sonos de superioribus habere fertur. Cithara namque vel lyra ex inferiori parte æs vel tympanum habens, resultat ac resonat ad plectrum: Psalterium vero harmonias de superioribus habere refertur aptatas & sonorum causas desuper dare. Quo significanter etiam per hoc nos doceamur, quæ sursum sunt & quæ superiora, attendere, & quæ infima i.e. vitia carnalia declinare.* Idem in Ps. 72. Serm. 2. *Quia Spiritus de super, caro de terra: significari videtur per psalterium Spiritus, per citharam caro.* Et ad Ps. 150. tit. 1. *Quando assumitur tympanum & psalterium, manus præcinunt voci: sic tu, si quando Alleluja canes: porrigas & panem esurienti, vestias nudum, suscipias peregrinum. Non sola*

vox

vox sonat : sed & manus consonat : quia verbis facta concordant. Assumsisti organon : consentiant digiti linguæ. Et ipsum mysterium tympani & psalterii non est tacendum. In tympano corium extenditur, in psalterio chordæ extenduntur, in utroque caro crucifigitur. Concinit *Theodoretus*, cujus hæc verba in Ps. XCVII. p. m. 789. 790. Latine appono: *Efficiamus nos nostra corpora citharas rationis compotes ; & utamur pro chordis quibusdam dentibus, & pro ære labiis. Lingua vero agitata concinnum pulset sonum : mens autem linguam moveat. Hæc cithara gratior est DEO, quam illa, quæ anima caret, & quando fides sine fide pulsantur. Sicut ipse testis est ad Judæos per Vatem exclamans : averte a me sonum cantionum tuarum, & vocem organorum tuorum non audiam.* Paria sunt, quæ idem in Ps. XXXIII. pag. 517. commentatur. Αρμόττει δὲ καὶ ἡμῖν τὰ εἰρημένα πνευματικῶς νοούμενα καὶ δυνατὸν ἡμᾶς ἔνηχον καὶ πολυαρμόνιον ὄργανον ἡμᾶς αὐτοὺς ἀποφῆναι, καὶ διὰ τῶν αἰσθητηρίων ἁπάντων, τῶν αἰσθητῶν τε καὶ νοητῶν τὸν θεὸν ἀνυμνῆσαι. i. *Quadrant autem & nobis, quæ dicta sunt, si secundum Spiritum intelligantur : & fieri potest, ut nos canorum & concinnum organum nos ipsos reddamus, & DEUM celebremus per instrumenta omnium sensuum, tum interiorum, tum exteriorum.* Quin & *Hieronymus*, seu quisquis fuit, in Epistola ad Dardanum, quæ est Tomi IX. vicesima octava p. m. 96. pleraque instrumenta Hebræorum mystice explanat, quem locum ob prolixitatem legendum relinquo. Similiter allegorizat *Ambrosius* in Evangel. Lucæ Comment. lib. VI. p. m. 99. *Arnobius* in Ps. CL. *Clemens Alexandrinus* lib. II. Pædag. cap. 4. Stromatum lib. VI. *Isidorus Pelusiota* Ep. 364. & 457. Addi possunt, quæ *Aloysius Novarinus* notavit Sacr. Elect. lib. I. c. XI. & præcipue *J. Casp. Suicerus* Thes. Eccles. voce ὄργανον. Ego plura non exscribo : præsertim, quia in generalioribus quidem optimi Patres idem nobiscum viderunt, in specialioribus vero optandum fuisset, ut accuratioribus & certioribus bonæ hermeneutices regulis se adstringere datum illis fuisset, quo magis scopus Spiritus Sancti fuisset in applicationibus ab iis

 factis

factis exhauſtus. Sed condonandum id eorum temporibus, atque eo quidem majori jure, quoniam in ſeculo noſtro, tantis adjumentis præ Eccleſia primitiva pollente, nos tamen etiamnum circa multa cæcutire fatendum eſt.

Suboluit hujus rei aliquid ipſi gentilibus, qui varia in Muſica præcipue inſtrumentali myſteria quæſiverunt.

XVIII. Apud ipſos gentiles ſive ex naturæ inſtinctu, ſive ex obſcuro rumore, ſive ex κακοζηλίᾳ quadam conſueta Satanæ, in *inſtrumentis muſicis* eorumque harmonia myſticum aliquid quæſitum eſt. Pythagoras, eumque ſecuti plures alii ſecundum Muſicæ rationem mundum ipſum compoſitum eſſe ſtatuebant. *Jamblichus* in ejus vita cap. 15. refert, quod *inſtrumenta muſica* & jucundiſſimas cantilenas accommodaverit ταῖς μεταρσίαις ἁρμαις συμφωνίαις, συνιεὶς τῆς καθολικῆς τῶν σφαιρῶν καὶ τῶν κατ' αὐτὰς κινουμένων ἀστέρων, ἁρμονίας τε καὶ συνῳδίας i. *ſublimibus mundi concentibus, quod univerſam globorum & aſtrorum, quæ circa illos moventur, harmoniam & conſonantiam optime intelligeret.* Hinc *Plato* aliquot locis & potiſſimum in Timæo nullo modo poteſt intelligi, niſi ab iis, qui Muſicam docti ſunt. Et apud Patres primitivæ Eccleſiæ ſæpe in altioribus Theologiæ myſteriis nimis valde *Platonizantes* eædem allegoriæ valde in uſu fuere. Notavit id *Zehnerus* ſimilit. 99. p. 204. ſq. A macrocosmo ad microcosmum, ad animæ & corporis, membrorumque omnium amicam conſpirationem a *Plotino* apud *Euſebium* lib. XV. præp. Evang. c. 21. ad conſenſum diverſorum Reip. ordinum a *Cicerone* lib. 2. de Rep. emblema harmoniæ Muſicæ translatum eſſe, ab eodem *Zehnero* in adducto loco notatur. Addi poteſt *Cl. Mimos* in Alciati Emblema X. *Barthius* Adverſar. lib. VII. c. 16. *Triſtanus* Comment. Hiſtor. T. I. p. 368. Ex ſcholis Philoſophorum res hæc in Theologiam gentilium tranſiit. Unde nulla ferme olim apud Græcos juxta & Barbaros Deorum ſacra ſine organica haud minus ac vocali Muſica fuere, qua de re multa præclara apud *Strabonem* lib. X. p. 467. ſq. obſervata ſunt. Quæ res illudendi anſam dedit *Arnobio* advers. Gent. lib. VII. *Etiamne æris tinnitibus & quaſſationibus cymbalorum? Etiamne tympanis! Etiamne Symphoniis?*

Quid

Quid efficiunt crepitus scabillorum? ut cum eos audierint Numina, honorifice secum existiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant? An numquid ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis, eadem ratione & omnipotentia Numina tibiarum stridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollita indignatione flaccescunt? Sed plura jam notarunt *Stuckius* de sacris gentil. p. 167. seq. *Saubertus* de sacrificiis c. XXVII. *Spanhemius* ad Callim. p. 293. Et præcipue Sal. *van Till* de Musica Hebr. P. I. cap. 8. Ego tamen nullus dubito, ipsos gentiles sub his instrumentis aliquid mystici quæsivisse. Hinc singulis Diis sua instrumenta propria erant, Apollini *lyra*, Pani *fistula*, Matri Deum & Baccho *cymbala* & *tympana*, Marti *tuba*, Isidi *sistrum* & sic deinceps. Nec tantum in sacris Deorum hæc instrumenta tangebantur, sed etiam Dii cum iis pingebantur, uti passim ex nummis & statuis antiquis constat, & quædam huc pertinentia congessit *Pierius Valerianus* Hieroglyph. Lib. XLVII. Quale vero mysterium sub illis instrumentis latuerit, & quomodo Sacerdotibus cum priscis Philosophis hoc convenerit, ex *Plutarcho* docere allubescit, qui in libro de animæ procreatione ita inquit: Οἱ τε πάλαι θεολόγοι, πρεσβύτατοι φιλοσόφων ὄντες ὄργανα μουσικὰ θεῶν ἐνεχείριζον ἀγάλμασιν· οὐχ ὡς λύρᾳ τινὶ καὶ αὐλῷ, ἀλλὰ νοῦν ἔργον οἰόμενοι θεῶν εἶναι ἁρμονίαν καὶ συμφωνίαν· ὥσπερ ἂν εἴ τις ὑπατρίτας καὶ ἡμιολίους καὶ διπλασίους λόγους ζητῶν ἐν τῷ ζυγῷ τῆς λύρας καὶ τῇ χελώνῃ καὶ τοῖς κολλάβοις, γελοῖός ἐστι [δεῖ μὲν γὰρ ἀμέλει καὶ ταῦτα συμμέτρως γεγενῆσθαι πρὸς ἄλληλα μήκεσι καὶ πάχεσι, τὴν δὲ ἁρμονίαν ἐκείνην ὑπὲρ τῶν φθόγγων θεωρεῖν] ἕτως εἰκὸς μέν ἐστι καὶ τὰ σώματα τῶν ἀστέρων, καὶ τὰ διαστήματα τῶν κύκλων, καὶ τὰ τάχη τῶν περιφορῶν, ὥσπερ ὄργανα ἐν τεταγμένοις ἔχειν ἐμμέτρως πρὸς ἄλληλα καὶ πρὸς τὸ ὅλον εἰ καὶ τὸ ποσὸν ἡμᾶς διαφεύγει &c. *Prisci porro Theologi, Philosophorum vetustissimi, musica instrumenta in manus Deorum imaginibus posuerunt: non sane, quod eos lyra aut cithara ludere putarent, sed quod nullum DEO opus convenientius judicarent, quam consonantiam & harmoniam. Sicut igitur, qui proportiones sesquitertias, sesquiplas atque duplas quærat in jugo lyræ, testudine & clavis, ridiculus sit: (nam quin & hæc debeant*

beant inter se longitudinem & crassitiem habere proportionatam dubium non est: cum interim harmonia in fidium sit consideranda sonis) ita probabile est etiam, corpora stellarum, intervalla circulorum, conversionum celeritates, tanquam instrumenta recte ordine disposita suam habere cum inter se, tum ad totam universi compagem proportionem: etiamsi nos quantitas & mensura lateat. Adde *Macrobium* de somn. Scipion. lib. II. c. 3. ita philosophantem: *Ideo canere cœlum etiam Theologi comprobantes sonos musicos sacrificiis adhibuerunt, qui apud alios lyra vel cithara, apud nonnullos tibiis, aliisve musicis instrumentis fieri solebant. In ipsis quoque hymnis Deorum per stropham & antistropham metra canoris versibus adhibebantur; ut per stropham rectus orbis stelliferi motus, per antistropham diversus vagarum regressus prædicaretur. Ex quibus duobus motibus primus in natura hymnus dicandus DEO sumsit exordium. Mortuos quoque ad sepulturam prosequi oportere cum cantu plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt, persuasione hac; quia post corpus animæ ad originem dulcedinis musicæ, id est, ad cœlum redire credantur.*

Quid præfiguraverint organa musica prestius indicatur, & data occasione quædam in explicatione typorum apprime observanda notantur.

XIX. Sed nos altiora subesse pie credimus. Cum enim cantica, quæ inter *organorum* usum decinebantur, comprehenderent doctrinam gratiæ, præcipue de Messia, deque bonis & fatis Ecclesiæ N. T; nihil aptius erat, quam ut per ipsa *organa* repræsentarentur in typo varia adjuncta hujus doctrinæ, *tum* ratione qualitatis internæ & argumenti, *tum* ratione modorum externorum, qui pro diversitate locorum & temporum, in quibus illa doctrina propaganda, observari debebant; *tum* ratione donorum Spiritus, quibus ii eluceſcere debebant, per quos doctrina gratiæ in N. T. prædicanda; *tum* denique ratione effectorum hujus doctrinæ in iis, qui ad cultum spiritualem DEO ferendum alliciendi. Hæc sapientissimum Numen intendisse videtur, quando phrases expendo, per quas ad *organa musica* in Scripturis alluditur: extra quas aliquid statuere, est extra oleas vagari. Sane in talibus typis

typis explicandis caute procedendum, & sollicite cavendum, ne ab una parte temere aliquid negligas, quod Spiritus Sanctus intendere potuit, neve ab altera parte extra cancellos in Scriptura statutos in vagum digrediaris, & humani ingenii subtilitate excogites similitudines multas, in quas Spiritum Sanctum respexisse nulla ne verisimilitudine quidem probari potest. Deprædicari satis nequit singularis DEI συγκαταβασις, qua placuit ipsi nobiscum balbutire & cœlestia spiritualiaque mysteria sub involucro rerum nobis magis notarum terrestrium & corporalium tegere, an retegere? saltem palpanda dare: & cum per imbecillitatem intellectus profunditates has penetrare nequeamus, providere tamen, ut tantum discamus, quantum ad inchoandum in his ævi tenebris cœleste *Hallelujah* necesse erat. Cum vero mysteriorum fidei vera qualitas nobis, donec in terrenis degimus, in Democrito puteo latitet, audaciæ crimine illi se non liberabunt, qui extra Scripturam varias similitudines rerum spiritualium excogitant, quas non aliter, nisi ex illo speculo metaphorico Scripturæ cognoscimus. DEO soli, qui accurate perspecta habet, quæ docet, intimamque rerum naturam novit, hæc prærogativa competit, & facultas sufficit, ut possit similitudines adhibere, quibus illustrare & clariorem facere doctrinam suam minus gnaris queat. Quod si curatius perpenderetur, non prognata nobis essent tot tropologiarum & allegoriarum plaustra, quæ veritatem per se, quod præfiscini dixero, in ipsa luce Evangelii adhuc satis obscuram, obscuriorem reddunt, quia ex cerebro humano prodierunt, id est ex tali, quod comprehendere res divinas, adeoque eas θεοπνευστους similitudinibus adumbrare non est capax. Securius ergo agetur, præsertim a concionatoribus, si in explicandis mysteriis fidei desuescant tandem sine Scriptura loqui, talesque similitudines adhibere, quarum exemplum ex stylo Scripturæ dare nequeunt. Istud persuasus sum, sicut metaphoræ doctrinæ salutis humanitus excogitatæ plus nocimenti quam uti-

litatis afferunt, ita eum proxime ad veritatem acceſſurum, qui ſymbolicum Scripturæ ſtylum penitius inſpicere laborat. Ad oculum hoc demonſtraretur, ſi fors per otium & ætatem liceret *Theſaurum emblematicum Scripturæ ſacræ* non ex otioſis multorum Patrum, Myſticorum, Monachorum, Poſtillantiumque deliriis, ſed ex ipſius Scripturæ Theſauris cum genuina antiquitate conlatis, ſecundum ſchediasma, quod in præfatione propoſui, congeſtum, orbi Chriſtiano communicare.

Similitudines variæ inter organa muſica & Evangelii præconium afferuntur. 1.) Quoad authorem: 2.) Quoad locum:

XX. Jam quod ad generalem *organorum muſicorum* in Templo uſum attiner, hæ cum Evangelii tum præconio tum Præconibus ſimilitudines obſervari poſſunt. I. *Author* conſtitutionis, de DEO per hæc inſtrumento celebrando, *David* fuit, qui & ipſe exemplo ſuo præivit. Præconium Evangelii a ſpirituali Davide, Chriſto, Ezech. XXXIV, 23. 24. XXXVII, 24. Hoſ. III, 5. inſtitutum & orſum eſt. II. *Locus* erat atrium ejusque latus orientale, atrio Iſraëlis contiguum, ita ut ſonus etiam extra atrium audiri potuerit; quod cum typus fuerit Eccleſiæ externæ Apoc. XI, 2. hinc ſignificari potuit hac ſtatione, doctrinam Evangelii in Eccleſia externa prædicandam, ubi ii quoque, qui hactenus extra communionem DEI conſtituti ſunt, commodiſſime ad eam invitari poſſunt. III. Quoad *tempus* varia obſervari poſſunt, quæ rationem typicam habuere, *tum* quod jugiter hæc organa in templo audita, *tum* quod præcipue in feſtis diebus, *tum* quod eadem claſſis per integrum ſeptiduum continuabat: quæ omnia indicabant, quod tempus manifeſtandæ clarius veritati deſtinatum eſſet Feſtum perpetuum N. T. per ſeptem periodos continuandum, in quo non interrupto tenore verbum & Spiritus ſemper juncta manere debebant, Pſal. XCVI, 2.

3.) tempus:

4.) antecedentia:

IV. Quod vero præciſe *poſt Sacrificium* incenſum & vinum libatum Muſici ſequebantur, concinne docebat, præconium Evangelii in ſacrificio Salvatoris noſtri præcipue fundatum eſſe, nihilque magis, quam iſtud commemorare 1. Cor. I, 23.

V. In-

V. Insignis inter *organa* Templi *varietas* erat, tam quoad materiam, quam formam & usum. Hoc *quoad præconium* varias veritates, ex quibus mysterium pietatis constat; *quoad Præcones* vero varia dona innuere potuit, quibus notificatio nominis DEI promovetur, 1. Cor. XII, 7--10. VI. In varietate tamen *concentus* accuratus servabatur. Ira & veritatum inter se nexus est arctissimus, & omnium DEI instrumentorum, quibus in propagando Evangelio utitur, *unus est Spiritus* 1. Cor. XII, 4. Ephes. IV. 4. VII. Ut vero concentus esset harmonicus, ad *modos musicos* attendi, iique clare & distincte exprimi debebant. Sic unitas fidei & veritatis nequit servari, nisi norma & canon Scripturæ Sacræ semper præstituatur, & quæ in ea revelata sunt, clare & distincte doceantur. Locum hic habet in genere, quod in speciali aliquo casu Apostolus observat 1. Cor. XIV, 7. 8. 9. *Animæ expertia, quæ sonum edunt, & tibia & cithara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur, quod tibia canitur, aut cithara? Etenim si incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Ita & vos nisi per linguam ederetis bene significantem sermonem, quomodo cognoscetur, quod dicitur? eritis enim in aërem loquentes.* VIII. Est præterea aliud, quod in *tonorum diversitate* meretur notari. Cum enim alii sint intensi, alii remissi, alii acutum tinniant, alii grande sonent, in his emblema potest statui diversorum modorum, qui in præconio verbi per vices alternant, ubi *aliæ* veritates simplicitate sua se etiam infantibus in Christo commendant, *aliæ* altitudine sua mentem supra captum suum evehunt, *aliæ* promissionum suavitatem, *aliæ* dirarum horrorem spirant. IX. Instrumenta Musica, si cum ipso *cantu* conferantur, certum est, illa hujus tantum *corpus*, cantica vero ipsa instrumentorum quasi *animam* esse. Et sic exprimeretur veros Evangelii præcones non animæ tantum nobiliores facultates, sed etiam ipsa corporis membra servitio DEI consecrasse. X. Organorum alia *ore* inflabantur, alia *manu* pulsabantur aut tangebantur. Et hæc duo membra sunt

5.) *varietatem organorum:*

6.) *concentum:*

7.) *modorum Musicorum observationem:*

8.) *tonorum diversitatem:*

9.) *quoad comitantem cantum:*

10.) *tractandi modum:*

Landesbibliothek Oldenburg

sunt, quorum ministerio præcipue doctrina Evangelii propagari debebat; *ore* verbum prædicatur, *manu* scribitur. XI. *Sonum* quod attinet, ille non tantum longe lateque se diffundebat, (si Rabbinis fidendum esset, Hierichuntem usque) sed etiam suavitate singulari se commendabat. Præconium Evangelii non tantum sonum in omnes terræ regiones misit & porro mittet Rom. X, 18. sed etiam jucundissimas veritates, doctrinamque omni acceptione dignam revelavit Jes. LII, 7. XII. Effectus melodiæ sacræ sine dubio fuit idem, quem Musica generatim habere solet, nempe varios animi morbos sedare, affectus malos temperare, bonosque, mærorem, desiderium, lætitiam, devotionem excitare. Hac de caussa Pythagoreis ab antiquissimis temporibus instrumenta musica in magno honore fuere. *Hermogenes* de iis libro de ideis: *Ajunt Pythagoreos, si quando affectus ipsis concitarentur, aut alios viderent iis correptos,* διὰ τῶν ἐν αὐλοῖς καὶ κιθάραις ῥυθμῶν μετάγειν ἐπὶ τὸ ἡρεμώτερον τὴν ψυχήν. i. *per tibiarum & citharæ modulos animum ad meliorem statum reducere.* Et plura invenies apud *Valerianum* Hieroglyph. lib. XLVII. *Cælium Rhodiginum* Antiq. Lect. l. IX. *Magium* Miscellan. l. IV, c. 13. *Brodæum* Misc. IV, 31. *Stuckium* Antiq. Conv. lib. III. c. 20. *Duportum* Gnomol. Homer. p. 47. 48. *Bochartum* Hieroz. I. lib. 2. c. 44. *Heideggerum* Hist. Patr. lib. I. Exer. 6. §. 16. 17. Addo quædam ab iis prætermissa. De antiquissimis Athenarum cultoribus memorat *Olympiodorus* in vita Platonis, Diogenis Laërtii editioni Meibomianæ inserta, eos Musicam docuisse liberos suos διὰ τὸ πθασσεύειν τὸν θυμὸν. i. *ad cicurandum domandumque animi impetum.* Egregius quoque in hanc rem est *Macrobii* locus, quem miror præteritum esse, de Somn. Scipion. lib. II. c. 3. *Nam ideo in hac vita omnis anima musicis sonis capitur: ut non soli, qui sunt habitu cultiores, verum universæ quoque barbaræ nationes cantus, quibus vel ad ardorem virtutis animentur, vel ad mollitiem voluptatis resolvantur, exerceant: quia anima in corpus defert memoriam Musicæ, cujus in cælo fuit conscia: & ita delinimen-*

tis

11.) *Soni suavitatem:*

12.) *Effectus singulares:*

Per instrumenta Musicæ affectus sedatos docetur.

tis canticis occupatur, ut nullum sit tam immite, tam asperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Hinc æstimo & Orphei vel Amphionis fabulam, quorum alter animalia ratione carentia, alter saxa quoque trahere cantibus referebantur, sumsisse principium: quia primi forte gentes vel sine rationis cultu barbaras, vel saxi instar nullo affectu mobiles ad sensum voluptatis canendo traxerunt. Ita denique omnis habitus animæ cantibus gubernatur, ut ad bellum progressui & item receptui canatur, cantu & excitante & rursus sedante virtutem: dat somnos, adimitque, nec non curas & immittit & retrahit: iram suggerit, clementiam suadet, corporum quoque morbis medetur. Nam hinc est, quod ægris remedia præstantes præcinere dicuntur. Et quid mirum, si inter homines Musicæ tanta dominatio est, cum aves quoque, ut luscinie, ut cygni, aliave id genus, cantum veluti quadam disciplina artis exerceant; nonnullæ vero vel aves, vel terrenæ seu aquatiles belluæ, invitante cantu in retia sponte decurrant, & pastoralis fistula ad pastum progressis quietem imperet gregibus? Non longe abludunt, quæ *Cassiodorus* cumulat Variar. lib. II Epist. 40. ubi inter alia de Musica & quidam organica, occasione citharædi: *Tristitiam noxiam jucundat: tumidos furores attenuat: cruentam sævitiam efficit blandam: excitat ignaviam, soporantemque languorem: vigilantibus reddit saluberrimam quietem: vitiatam turpi amore ad honestum studium revocat castitatem: sanat mentis tædium, bonis cogitationibus semper adversum: pernicioſa odia convertit ad auxiliatricem gratiam: & quod beatum genus curationis est, per dulcissimas voluptates expellit animi passiones. Incorpoream animam corporaliter mulcet, & solo auditu, ad quod vult, deducit: quam tenere non prævalet verbo, tacito manibus clamat, sine ore loquitur, & per insensibilium obsequium prævalet sensuum exercere dominatum.* Facillime autem hæc effecta ad efficaciam prædicationis Evangelii transferri queunt, per quam naturalis animæ peccatricis durities emollitur, feritas cicuratur, tristitia secundum DEUM & commissorum

criminum pœnitentia ſuſcitatur, turbulenti affectuum motus in ordinem rediguntur, deſiderium communionis cum DEO & Chriſto intenditur, ſolamen & medicina vulneratis conſcientiis adhibetur, ad ſaniorem mentem peccator reducitur, in ſublimiores & cœleſtes motus vires animæ elevantur, quæ ſingula perſequi non eſt neceſſe. XIII. Iſtud tantum moneo, inter omnes motus, qui per Muſicam excitari ſolebant, prævalere *lætitiam*. Unde recte *Duportus* citato loco "Muſica ad "hoc inventa, ut oblectet animum, mœroremque, luctum "& ægritudinem adimat & expellat, ſaltem leniat ſopiatque. Id quod confirmatur his *Ariſtotelis* Politic. lib. VIII. c. 5. p. 569. τὴν δὲ μουσικὴν πάντες εἶναί φαμεν τῶν ἡδίστων καὶ φίλην ἔσαν, καὶ μὴ μελῳδίας· φησὶ γοῦν καὶ Μουσαῖος, εἶναι βροτοῖς ἥδιστον ἀείδειν. Διὸ καὶ εἰς συνουσίας, καὶ ἀγωγὰς, εὐλόγως προσλαμβάνουσιν αὐτὴν, ὡς δυναμένην εὐφραίνειν. i. *Muſicam vero omnes fatemur eſſe ex jucundiſſimis, ſive nuda ſit, ſive cum modulatione. Inquit ſane & Muſæus: cantum dulciſſimam rem eſſe mortalibus. Quapropter & ad cœtus familiarum & ad vitam in otio degendam rationabiliter illam recipiunt, ut potentem lætitiam afferre.* Et legi ibidem plura poſſunt huc pertinentia. Hoc etiam per Muſicam Templi primario quæſitum fuiſſe credibile eſt. Cum enim difficillimum iſtud carni Levitici cultus jugum, ut lubentes ferre adſueſcerent Iſraëlitæ, DEUS voluerit, triſtitiamque animi in ſui veneratione averſatus fuerit; inter varia media, per quæ ſacra facientes ad hilaritatem feſtivam incenderentur, præcipue melodiam muſicam inſtituit. Nec propoſitum hoc DEI eventu caruit, uti exempla docent 2. Chron. XV, 14. 15. XXIX. 30. XXX, 21. Nihil evidentius, quam huic rei umbram ineſſe lætitiæ illius ſpiritualis, quæ verum & propriiſſimum, ut ita loquar, Eccleſiæ N. T. bonum eſt. Hinc in prophetiis ſupra citatis, quæ de myſtico inſtrumentorum muſicorum in Oeconomia nova uſu agunt, frequens eſt ad lætitiam exhortatio Pſ. XXXIII, 1. LXXXI, 1. XCII, 5. Pſal. CXLIX, 2. XIV. Denique a linea antea ducta non aberraturum puto, qui uſum, quem *inſtrumenta*

12.) *quorum primarius eſt lætitia:*

14.) *quoad varios organorum*

menta muſica in *communi vita* habuere, cum uſu hoc ſacro conferre, atque ita adhuc amplius diducere eorum myſterium volet. Sic a) tangebantur *organa*, quando *laudes* & heroica facta Deorum illuſtriumque virorum decinebantur, unde Jobus dicit XVII, 6. ſe fuiſſe *tympanis celebratum*. Confer 1. Sam. XVIII, 7. XXI, 12. Jam vero celebratio Dei, Meſſiæ, virorumque, qui ejus typum geſſerunt, cum enumeratione virtutum in operibus divinis ſe exſerentium, argumentum Pſalmorum eſt. Quin ſcopus organicæ etiam muſices *celebratio* DEI eſſe ſæpius innuitur 1. Chron. XXVI, 3. 2. Chron. XXIX, 30. Et in antitypo in glorificatione Jehovæ DEI & uncti ſui totius cultus N. T. cardo vertitur. Jeſ. XLIII, 21. 1. Petr. II, 9. b) Singularis *organorum muſicorum* uſus fuit in *conviviis*, qui hic non eſt negligendus, quia altare holocauſti in typo fuit *menſa Domini*, ſacrificia *cibus*, Sacerdotes *convivæ*. Mal. I, 12. Digna ſunt lectu, quæ in hanc rem obſervavit *Ludov. Cappellus* op. p. m. 192. Et ſimiliter in antitypo ubertas bonorum novi fœderis cum opiparo convivio comparatur, ubi neque chori Muſici deſunt, ſicut clare innuitur Luc. XV, 25. c) Sonuerunt etiam in nuptiis d) in militia e) in triumphis, quæ relationes, ſi non in typico cultu, certe in antitypico, in ſpiritualibus Iſraëlis N. T. nuptiis, bellis, & victoriis locum ſortiuntur.

in communi vita uſus,

in celebratione Deorum & hominum:

conviviis:

nuptiis: militia: triumphis.

XXI. Ex his generalioribus ad ſpeciale ſingulorum *inſtrumentorum* myſterium deſcendere non eſt difficile. Obſervandum tamen probe, multa circa eorum rationem hactenus in tenebris eſſe, incertisve conjecturis niti, quæ eousque ſine myſtica interpretatione ſuo loco relinquenda ſunt, donec in clariorem lucem protrahantur. Ad myſterium enim recte conſtituendum literam prius claram eſſe oportet. Quamvis autem multa hic neſciamus, ea tamen quæ in literis ſacris evidenter docentur, non ſunt negligenda. Eædemque rationes, quæ pro myſterio Muſices organicæ in genere, eædem pro ſingulis organis in ſpecie militant.

A generali ſignifica. tu organorum ad ſpecialem adhibita tamen cautione deſcenditur.

Præcipue cum in ipsis prophetiis necessario spiritualem sensum habentibus plura organa jungantur, cujus rei nulla ratio dari posset, nisi per singula quoque aliquid figillatim nos docere DEUS voluisset. Tentemus hoc saltem in iis instrumentis, quorum expressa in locis propheticis adductis facta est mentio.

Tubæ symbolum sunt prædicationis Evangelii ab Apostolis & Viris divinitus inspiratis instituendæ.

XXII. TUBÆ (a quibus inchoamus, quia antiquitatis & usus præ cæteris organis insignem prærogativam habent) mystice sumuntur, Ps. XCVIII, 6. & clangor earum est mysticus Ps. XXVII, 6. XXXIII, 3. XLVII, 6. LXXXIX, 16. Ubi tamen notandum vocem תרועה non tantum ad *tubas*, sed etiam ad *buccinas* spectare, de quibus statim. Verbum DEI in genere illiusque prædicationem juxta cum reliquis organis designarunt. Sed quoniam *tubæ* id sibi privum habebant, ut in templo nonnisi a Sacerdotibus inflarentur, & clangore suo apud sacrificia cœteris instrumentis præirent, hinc aptissime illa manifestatio veritatis adumbrabatur per *tubas*; qualis a Viris immediate divinitus inspiratis, præcipue Apostolis, Evangelistis, Prophetis primis N. T. facta est. Exprimit id poeta vetus *Anonymus* apud *Barthium* Adversf. lib. I. c. 3.

Hæc TUBA profecta de Sion, magnalibus
Orbem replevit Messiæ:
Qua sol relicto vespere auroram refert,
Et mane mutat vespere,
Hic audietur regna per mundi sonus,
Christumque discent cardines.
Septentrione nil sub algido latet,
Nil Auster humanum premit,
Quod non, ad hujus clasicum vocis frequens,
Adoret in monte Israel.

Convenientia est 1.) in materia:

Comparatio in his potest fieri. 1.) *Tubæ* sanctuarii erant ex solido *argento*, Num. X, 2. quod verbi DEI perfectiones diversas in Scripturis adumbrare docemus Exerc. X. §. 25. 2.)

Sonus

Sonus tubarum est vehemens, aërem potenter commovens, latissime se diffundens, reliquorum instrumentorum sonum longe superans, unde vox ipsius Messiæ *voci tubæ* comparatur, non tantum illa, quæ audita est in principio Nov. T. Apoc. I, 10. sed etiam illa, quæ percipietur in resuscitatione mortuorum 1. Thess. IV, 16. 1. Cor. XV, 52. Matth. XXIV, 31. Ipsi gentiles Diis suis *vocem tubæ* adscripserunt. *Plutarchus* in Sylla: Τὸ δ' πάντων μέγιστον, ἐξ ἀνεφέλε καὶ διαίτερε δ' ἀθλέχοντ@ ἤχησε φωνὴ σάλπιγγ@, ὀξυὶ ὑποτείνασα καὶ θρηνώδη φθόγγον, ὥστε πάντας ἐκφρονας γενέσθαι καὶ καταπτῆξαι τὸ μέγεθ@ i. *Et quod omnium fuit maximum; ex claro & sereno cœlo vox increpuit tubæ, acuta & lugubris, ut obstupescerent, & cohorrescerent ejus magnitudine omnes.* Quod fere idem prodigium est cum eo, quod a *Julio Obsequente* memoratur c. 118. *Per Syllana tempora inter Capuam & Vulturnum, ingens signorum* (quæ tuba potissimum dabantur) *sonitus, armorumque, horrendo clamore auditus.* Applica hæc ad doctrinam Evangelii in prima ejus prædicatione, quæ cum divina potentia conjuncta, longe lateque per orbem terrarum se dissipavit, ex ore Virorum immediate a DEO inspiratorum, qui amplissimam præ sequentibus temporibus messem fecerunt. 3.) Ex prima institutione *numero binæ* erant Num. X, 2. ut significaretur conjunctio prophetiæ cum implemento. 4.) Aliquando & plures adhibitæ, usque ad CXX. quem numerum in initiatione templi 2. Chron. V, 12. deprehendimus. Quocum non inepte conferri possunt CXX. discipuli, qui primitias Spiritus in prima ejus effusione acceperunt, Act. I. 15. Non accurate enim loquuntur, qui XII. tantum Apostolos dono Spiritus in celebri illa Pentecoste mactatos ajunt, cum nexum inspicientibus pateat, ad omnes ibi loci congregatos discipulos beneficium istud spectasse Act. II, 1. 4. Recte id observavit *Ligtfootus* Hor. Hebr. p. m. 689. 693. 763. 5.) *Usus tubarum* multiplex fuit: a) Ad convocandum populum, ut compareret coram sanctuario, & audiret mandata Jehovæ Num. X, 3. 4. Sic per prædicationem verbi convocatæ gentes & con-

2.) *in sono:*

Vox tubæ mystica.

3.) *in numero primo binario.*

4.) *dein CXX.*

Nota de CXX. discipulis.

5.) *in usibus a Deo præscriptis ordinariis:*

gregatæ ad DEUM Israelis, ut Legem ejus doceantur Jes. II, 2. 3. b) Post Sacrificia Num. X, 10. ut Levitæ ad cantica & populus ad devotionem incenderentur. Sic prædicatio Evangelii consummationem sacrificii unici secuta est, fidemque & eucharistias inculcavit. c) Ad *movendum castra* Num. X, 5. 6. Sic præconium primum derelictionem castrorum Hierosolymæ & Canaanis & prosecutionem itineris in desertum gentium postulavit Heb. XIII, 13. d) Ad *publicandum bellum* Num. X, 9. XXXI, 6. Hos. V, 8. Sic cum prædicatione nova bella spiritualia inchoabant Zach. IX, 13. sqq. de quibus infra suo loco. Meretur hic usus pressius considerari. Nam non tantum in bellis *tubarum* usus etiam apud alias gentes frequentissimus fuit, uti docent *Lipsius* de milit. Rom. IV, 9. *Valerianus* hieroglyph. XLVII, 17. *Lydius* de mil. sacr. III. c. 7. *Bartholinus* de tibiis lib. III. cap. 7. *Hugo* de milit. equestr. II, 4. *Stewechius* ad Veget lib. II. c. 22. sed etiam inde factum est, ut publicatio venturorum judiciorum divinorum cum *Voce tubæ* compararetur, cujus jam facta est mentio. 6) Hi usus erant generaliores & a DEO ipso præscripti. Multi præterea speciales notari possunt, qualis fuit a) in testificatione publicæ lætitiæ 2. Reg. XI, 14. 2. Chron. XXIII, 13 b) in deductione Arcæ fœderis 1. Chron. XIII, 8. XV, 28. c) in initiatione templi 2. Chron. V, 12. 13. d) in publica fœderis cum DEO pactione 2 Chron. XV, 14. e) in inauguratione Regum 2. Reg. XI. 14. f) in victoriarum reportatione 2. Chron. XX, 28. Quæ singula ad mysterium facile transferuntur. Consule hic *Doutreinium* clangor. Ev. diss. V. sq.

convocatione populi: sive sacrificiorum: castrorum mutatione:

belli publicatione:

6.) in usibus variis extraordinariis.

XXIII. BUCCINÆ, seu mavis CORNUA, tubis quodammodo affines sunt in usu, unde a quamplurimis interpretibus cum iis commiscentur. Spiritualem σύμβολον habuere Ps. XLVII, 6. XCVIII, 6. CL, 3. Et quidem, si pressius ipsam Scripturam sequamur, severiores verbi divini increpationes & terrores designant. Hinc Jes. LVIII, 1. *Tanquam bucciuam extolle vocem tuam : & indica populo meo defectionem ipsorum.*

Buccinæ symbolum sunt minarum contra hostes veritatis.

Et

Et Jerem. VI. 17. *Attendite ad ſonum buccinæ.* Adde Hoſ. VIII, 1. Quin totam illam ſeveriorem manifeſtationis divinæ rationem per *buccinas* deſignari vel ex eo patet, quod hujusmodi ſonus in promulgatione legis auditus eſt, Exod. XIX, 16. Huic emblemati favet 1.) Materia *buccinarum*, quæ erat cornu, ſive bovinum, quod maluit *Bochartus*, ſive *arietinum*, uti communiter interpretes ſentiunt. Cornua autem animantium roboris, bellicoſitatis, impetus hoſtilis ſymbolum eſſe nemo ignorat. 2.) Sonus, qui fuit raucus & inamænus ad terrorem incutiendum aptiſſimus. *Horatius* lib. II. od. 1. *1.) in materia* *2.) in ſono*

Jam jam minaci murmure cornuum
Præſtringis aures - -

3.) USUS, qui fuit a) potiſſimum in bellis. De uſu profano conſuli poſſunt *Bartholinus* de tib. vet. III. 7. *Thyſius* Rom. illuſtr. IV. p. 101. *Lipſius* de milit. Rom. IV. dial. 10. Et pingit cornicines *Choulius* de caſtramet. Rom. p. 77. In ſacris plurima exempla occurrunt Ehudi Jud. III, 27. Gideonis VII, 20. &c. Videatur *Ravanellus*. Hinc in bello ſpirituali contra gentes *buccina clangere* dicitur DEUS Zach. IX, 14. b) Nec minus in aliis triſtibus occaſionibus, exempli cauſſa in publici jejunii indictione Joel. II, 1, 15. c) Fateor, quod alii etiam fuerint uſus, qui ab hac ſignificatione plus abludere videntur, qualis in publicatione novilunii Pſ. LXXXI, 4. præſertim ſeptimi ſeu menſis Tisri Levit. XXIII, 24. Num. XXIX, 1. Jubilæi Levit. XXV, 9. 10. deductione arcæ 1. Chron. XIII, 8. XV, 28. pactione fœderis 2. Chron. XV, 14. inauguratione Salomonis 1. Reg. I, 34. Nec tamen opus eſt, ut in his occaſionibus *buccina* ſuum ſymbolum amittat. Nam quamvis per has circumſtantias ad tempus N. T. collimatum ſit, certum tamen eſt triſtiſſima fata, & interitum V. T. cum omnibus, qui ei adhærebant, ſtatim ab initio tam a Chriſto, quam ab Apoſtolis prædicta, ſemperque cum annuntiatione gratiæ conjuncta eſſe. Quo etiam pertinent muri Hierichuntini inter *buccina-* *3.) in uſu triſtiori.* *Objectioni occurritur ab uſibus melioris ominis deſumtæ* *Buccinæ*

cinarum clangorem dejecti, in qua historia typus erat destructionis Hierosolymæ cursui Evangelii obicem ponentis. Huc refero *septem* illas *buccinas* Apocalypticas c. VIII. in quarum explicatione duo passim non accurate observantur. Prius est, quod ipsa judicia per eas intelligantur, cum potius designent diras & interminationes, quæ ab *Angelis*, id est Præconibus Evangelii, simul cum publicatione gratiæ conjungi debebant. Posterius est, quod σάλπιγξες per *tubas* vertantur, cum magis videantur *buccinas* designare. De utroque quidem instrumento vocem usurpant LXX. Interpretes: sed tristior fuit *buccinarum* & usus & significatio, atque adeo aptior huic loco. Idque eo magis, quia valde verosimile mihi videtur, (cum certum sit, atque ab aliis jam notatum, Angelos hos buccinis instructos ad Sacerdotes respicere,) speciatim ad eum Sacerdotum ritum alludi, quo in excommunicatione *buccinas* inflare solebant. Sic scribitur in *Tractatu Sanhedrin* fol. 7. col. 2: רב חונא כי היה נפיק לדינא אמר הכי אפיקו לי מאני חנותי סקל ורצועה ושופרא וסנדלא: i. *Rabh Hona, quando prodibat in judicium, dicere solebat, affer mihi instrumenta officinæ meæ, virgam, & lorum, & buccinam, & calceum.* Quæ *R. Salomo Jarchi* in Commentario suo ita interpretatur: רצועה למלקות · סקל למכת מרדות שיחזור בו · שופר לשמתא ונידוי · סנדל לחליצה: i. *lorum erat ad flagellandum, virga ad verbera castigationum, ut convertat se, buccina ad excommunicandum per Schammatha & Niddui, calceus ad excalceationem.* Plura ad hunc ritum illustrandum congessere *Coccejus* Excerpt. ad Gemar. Sanhedr. c. 1. §. 9. *Seldenus* lib. IV. de Jure Nat. & Gent. c. 7. *Vitringa* de Synagog. lib. I. Part. 1. cap. 10. p. 203. sq. *Eisenmenger* in Judaismo detecto P. I. cap. 2. p. 117. sq. Ex quibus etiam hoc patet, ordinarie excommunicationem una *buccina* factam esse, quamvis in casibus extraordinariis numerum ad CCC. quin ad CCCC. adscendisse alii narrent. Sic quoque in Apocalypsi hæ buccinæ non simul, sed singulæ separatim una post aliam, diversis Ecclesiæ

Hierichuntinæ. De septem tubis Apocalypticis nova observatio.

Usus buccinarum in excommunicationibus.

Landesbibliothek Oldenburg

cleſiæ hoſtibus judicia divina minantur. Quin & numerus perſonarum, quæ excommunicationi obnoxiæ, ab iisdem Magiſtris ad *ſeptenarium* reſtringitur in *Gemara Babylon. ad Tit. Peſachim* cap. 10. fol. 113. b. citata a *Seldeno* de Synedriis lib. I. cap. 7. Quod tamen non valde urgeo. Magis proclive eſſet cogitatu, *ſeptenarium buccinarum* ad buccinas Hierichuntinas alludere, niſi quod illæ plerisque ſimul videntur inflatæ. Quamquam accurate textum inſpicienti facile ſubnaſcetur ſuſpicandi occaſio, annon Sacerdotes buccinis clangentes alii poſt alios, atque adeo ſinguli ſuas ſeparatim inflaverint? Quicquid ſit, facile fieri potuit, ut a buccinis Hierichuntinis ſuum excommunicandi ritum Judæi mutuati ſint, atque adeo eo minus mirum, ad utrumque in viſione Apocalyptica ſimul alludi. 4.) Atque inde patet, quo reſpectum fuerit, quando a Muſica templi *buccinæ*, utut frequentiſſimi in Iſraele uſus, penitus excluſæ ſunt. Præconium enim Evangelii per ſe conſideratum nihil triſte habebat.

Conjectura de tubis Hierichuntinis.

4.) in excluſione a Muſica templi.

XXIV. TIBIAE aliud ἐμπνευσῶν genus ſunt. Adhibitæ in templi Muſica, ſed rarius, ut putant Magiſtri Hebræorum in *Erachin* cap. 2. Myſticam habere eas ſignificationem ex Pſ. LXXXVII, 7. CXLIX, 3. CL, 4. Jeſ. XXX, 29. conſtat. Ad doctrinam Evangelii exprimendam earum metaphoram adhibet ipſe Salvator Matth. XI, 7. Luc. VII, 32. Præcipue eam præconii evangelici partem innui exiſtimo, qua exulceratis & triſtitia ſecundum DEUM fractis cordibus medicamina conſolationum adhibentur, lachrymæ pœnitentiæ deterguntur, & in lætitiam ſpiritualem transmutantur, quem prædicationis effectum egregie deſcribit Propheta Jeſ. LXI, 1--3. Huc impellor 1.) per materiam *tibiarum*, quæ ſaltem apud Hebræos ex arundine fuiſſe creditur, & apte accommodationem ad debilitatem humanam repræſentat. 2.) Magis per ſonum, qui ſuapte natura eſt ſuavior & tenerior. *Apulejus* lib. I. Metam: *Symphoniæ dehinc ſuaves, fiſtulæ, tibiæque modu-*

Tibiæ typus fuere doctrinæ Evangelicæ, quatenus ſolamina peccatori afferunt:

1.) per materiam:

2.) per ſonum ſuaviorem:

lis dulciſſimis perſonabant. Antipater in Anthologia lib. I. c. 2. num. 3.

λωτὸι δὲ κλάζοντες ἴσον Φόρμιγγι μελιχρόν.

i. *Loti autem reſonantes æquale ipſi citharæ dulce.* Quamvis olim multum præ noſtris tibiis præcelluerit, quia ſingulare fuiſſe *tibiæ* artificium credibile eſt, unde peculiarem *de tibiarum arte deperdita Is. Voſſius* tractatum promiſit Obſerv. ad Catull. p. 167. qui tamen lucem non vidit. 3.) Poſſimum autem ita ſentio ob uſum tibiarum, qui non tantum in occaſionibus lætiſſimis, nuptiis, conviviis, choreis fuit, ſed etiam in illis, quando a luctu inſigni animi revocati. Inde *Sextus Empiricus* adv. Mathem. VI. ait: *Unde etiam lugentibus modos canunt tibiæ, quæ iis luctum levant.* Frequentes fuiſſe in funeribus tibias ſexcentis eſt notatum. Ego addo, non hac fini ſolum, ut luctum excitarent, ſed etiam, ut nimium ſedarent, cæterosque planctus temperarent. Hinc in luctu inconſolabili tibiæ prohibitæ. *Euripides* in Alceſt. Act. 2. v. 438.

3.) *per uſum non tantum in lætioribus occaſionibus ſed in ipſo luctu.*

Αυλῶν δὲ μὴ κατ' ἄξυ, μὴ λύρας κτύπος
Εσω, σελήνας δώδεκ' ἐκπληρωμένας,
Ου γὰρ πν' ἄλλον φίλτερον θάψω νεκρόν.

i. *Adhæc nec tibiarum, nec ſtrepitus lyræ ſit per urbem, antequam luna duodecies compleat ſuum orbem, non enim aliud charius ſepeliam funus.* Scio quidem dubitari, an apud Hebræos uſus tibiarum in luctu admodum antiquus fuerit. Quamvis enim ad cadaver filiæ Jairi Matth. IX, 23. & *tibicines* adfuerint, veroſimile tamen quibusdam videtur, Judæos ritum hunc a Romanis didiciſſe, uti docet *Geierus* de luctu Ebr. cap. V. §. 16. 17. Interea auguror, a moribus priſcorum Hebræorum id non prorſus alienum fuiſſe, præſertim cum Pſalmi V. LIII. LXXXVIII, qui ad *tibias* decantati, lugubris omnes ſint argumenti. Lugubris, inquam, ſed tamen ita, ut aut ſolamen junctum habeant, ut duo priores, aut verum ſolaminis fontem aperiant, qualis eſt octogeſimus octavus,

paſſio-

passiones & dolores Messiæ repræsentans, qui omnium animæ anxietatum verum antidotum sunt.

XXV. Quod ad organa ΕΓΧΟΡΔΑ attinet, eorum structuram propriam magnis tenebris hactenus circumseptam esse fateor. Diversæ eorum species memorantur. כנור sive CITHARA fuit maxime frequens. Reliquæ species, quæ exprimuntur sunt נגינות, נבל, עשור, ענב, מנים. Et singulas aliquid mystici habuisse, ex Psalmis propheticis de fatis & bonis N. T. in quibus frequens earum mentio est, ad oculum patet. Sic כנור mystice sumitur Psal. LXXXI, 3. XCII, 4. XCVIII, 5. CVIII, 3. CXLIX, 3. CL, 3. נגינות Ps. LXVIII, 26. נבל Ps. XXXIII, 2. LXXXI, 3. XCII, 4. CVIII, 3. CXLIV, 9. CL, 3. עשור Ps. XXXIII, 2. ענב & מנים Ps. CL, 4. Qui differentes interpretum quoad literam de his instrumentis sententias examinare cupiunt, ii adire possunt *Tillium* de Music. Ebr. *Sontagium* de titulis Psalmorum, *Prætorium* in Syntagmate Musico, *Kircherum* in Musurgia, *Voetium* Part. I. Polit. Eccles. lib. II. Tract. 2. *Ligtfootum* Minist. Templ. Hierosolym. c. 7. St. *le Moyne* Var. Sacr. Tom. II. p. 880. sqq. *Spanhemium* in Callimach. p. 466. sqq. *Hottingerus* vir licet πολυγλωττότατος, obscura plane & explicatu difficilia esse hæc instrumentorum nomina, agnoscere non veretur Thes. Philol. lib. II. c. 1. §. 3. Ipsi Hebræorum Magistri, quamvis in Schilte Haggibborim & alias multa conentur, fateri tamen hic suam ignorantiam debent. Abenezra ad Ps. CL, 5. ita scribit: אין דרך לדעת אלה כלי הנגונים כי כלי לנגונים הרבה ימצאו בארץ ישמעאל ואנשי ארום לא ראום גם יש בארום כלים לא שמעון חכמי ישמעאל: i. *Nulla nobis ratio est cognoscendi hæc instrumenta Musica, multa enim talia reperiuntur apud Ismaëlitas* (Muhammedanos) *quorum notitia nulla est apud Idumæos*, (Christianos) *& vicissim Idumæi habent instrumenta, de quibus nihil audiverint sapientes Ismaelitarum.* Ego, uti ex iis, quæ hactenus quoad literam dubia sunt, exsculpere typum, inane duco, ita in generalioribus heic subsisto.

Instrumentorum ἐγχόρδων varietas & obscuritas indicatur.

Cithara instrumentum fuit μεσικώτατον secundum gentiles.

Citharam instrumentum esse præ aliis μεσικώτατον gentiles ipsi credidere. Apollinis, Orphei, Amphionis *Lyræ* sive citharæ reconditum aliquid habuere, de quo *Macrobius*, *Lucianus*, aliique authores consuli possunt. Egerunt de hoc themate ex recentioribus *Cl. Minos* ad Alciatum p. 59. sqq. *Valerianus* in Hieroglyph. lib. XLVII. c. 1. sqq. Sed insigne addi posset spicilegium, nisi Lectorem nimis distrahere vereremur.

In sacris denotat, quicquid in doctrina Evangelii ad celebrationem virtutum DEI pertinet.

Quando autem de vero *Citharæ* mysterio a Spiritu Sancto designato pressius cogito, doctrinam quidem Evangelii juxta cum reliquis organis adumbrasse invenio, in eo tamen ab iis distingui posse censeo, quod potissimum eam doctrinæ Evangelicæ partem exprimat, quæ *virtutes* & *perfectiones* DEI in opere gratiæ demonstrat, modumque, quo eæ *concelebrandæ* in Ecclesia, & effecta, quæ hæc celebratio in N. T. nanciscì debuit. Eo inducor, quia hæc organa Apoc. XV, 2. cum singulari emphasi *citharæ* DEI dicuntur, quod potissimum designare videtur tales occupationes, quæ celebrationem DEI pro unico objecto habent. Accedit, quod tum heic, tum Apoc. V, 8. nil nisi δοξολογίαι excellentissimæ cum *citharis* conjunctæ sint. Illa potissimum ratio dari potest, cur Messias ipse hieroglyphice cum *cithara* inducatur Psal. XLIX. 5. *aperiam in cithara ænigma meum.* Loqui enim hic Messiam patet ex vs. 2. *Audite omnes populi* : *attendite omnes habitantes mundum*, quæ ei soli quadrant. Et quod ibi per *citharam* modus ille designetur, quo θεοπρεπῶς gloriam Patris sui in sua redemtione revelaturus sit, disco ex Ps. LXXI, 22. ubi ut antitypus Davidis ait: *Etiam ego confitebor te instrumento nablii, veritatem tuam, DEUS mi ; psallam tibi cithara, Sancte Israëlis.* Quin David sæpius præcise laudibus Jehovæ citharam suam sacratam esse testatur Ps. XLIII, 4. *Laudabo te cum cithara, o DEUS, DEUS mi.* Ps. LVII, 9. 10. *Evigila gloria mea: evigila nablium & cithara. Evigilabo mane. Confitebor te in populis, Domine ; psallam te in nationibus.* Et hac quoque in parte typus fuit Davidis spiritualis, Messiæ, frequentissime se

se ad virtutum Patris celebrationem consecrantis, Psal. XVIII, 50. XXII. 26. XL. 4. LXIX. 31. &c. Hinc in quibusdam antiquis Hebræorum nummis lyra vel nablium conspicitur, laudem DEI in sacris adumbrans, de quibus post *Relandum* & *Mullerum* consuli potest *Corn. Diet. Koch* de Num. Ebr. Inscr. §. 9. Illustrari hæc hypothesis ex eo potest, quod ad decinendas laudes tum Deorum tum Heroum cithara apud ipsos gentiles usus antiquissimi & vulgatissimi fuerit. Sic Mercurius apud *Homerum* celebrat Deos immortales, terramque, & quomodo quæque nata ac dispositа sunt in universum. Apud *Virgilium* Æn. IV.

- - Cithara crinitus Jopas,
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores &c.

Achilles vero Iliad. IX. canebat cithara κλέα ἀνδρῶν i. *laudes clarorum virorum.* Hinc hymni ad lyram cantari soliti, uti *Proclus* docet in Chrestomath p. 8. & κιθαρωδικοὶ Νόμοι dicti, qui *in cantu ad citharam* observati & a Terpandro primitus præscripti sunt. Confer quæ notavit *Spanhemius* in Callim. p. 596. Hinc Horatius lib. 2. Od. 11.

Divitum mensis & amica templis
Lyra - - -

Quoad analogiam sequentia notari merentur. 1) De materia *citharārum* parum certi est. Istud constat fuisse pretiosiorem; quædam ex lignis *Almugim* seu hebeni, de quibus dicto Exerc. X. §. 23. Ad *citharas* & nablia hæc ligna ex India petita esse docetur 1. Reg. X, 11. 12. Josephus *electrum* memorat. In mysterio Apoc. V, 8. *aureæ citharæ* memorantur, quales apud antiquos vulgatissimi usus fuerunt: unde jam *Homerus* χρυσείην Φόρμιγγα memorat. Consule *Sperlingium* dissert. de num. Fur. Sab. p. 89. Nihil certius, quam ad laudes Jehovæ requiri animas pretiosas, auro fidei & sanctitatis ornatas

Analogia potest ostendi 1.) *in materia:*

2.)*in chordarum varietate & harmonia:*

tas. 2) Structuram generalem non moramur, quam alii trigonam, quadrangulam alii, alii rotundam faciunt, ad quam facile posset aliquid observari, si de ea certiores essemus. Istud certum, chordarum varietatem & in varietate harmoniam citharæ privam fuisse, atque adeo primum in mysterio locum habuisse. Hoc præcipue tanquam mysticum ipsi gentiles putarunt. *Servius* de Apolline ad Eclog. 5. *Lyra simulacro ejus addita, ut nobis cœlestis harmoniæ imaginem monstret.* Et in nummo Antonini Pii lyram Apollineam emblema pacis universalis esse *Begerus* existimat Thes. Palat. p. m. 310. Ipsi Veneri in gemma supra explicata lyram adpictam suspicari licet, ut concentu chordarum harmoniam animorum exprimat. Memoranda hic præcipue sunt disticha Anonymi cujusdam Sophi apud *Eusebium* Præp. Evang. lib. ll. c. 11. p. 399.

Επτά με φωνήεντα Θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
Γράμματα τῶν πάντων ἀκάματον πατέρα.
Εἰμὶ δ' ἐγὼ πάντων χέλυς ἄφθιτος ἥτα λυρῶδη.
Ἡρμοσάμην δεινῆς ἁρμονίοιο μέλη.

1. *Me septem celebrant elementa vocalia magnum*
Æternumque Deum, perpetuumque Patrem.
Ille ego sum mundi chelys incorrupta, suaves
Quæ motus cœli tempero sola modos.

Patet hinc ad nomen tetragrammaton alludi, in cujus Græca scriptione omnes vocales Græcorum virtualiter inesse docet post *Ligtfootum* Erubhim cap. 2. *Christ. Wormius* de corrupt. ant. Hebr. lib. I. p. 52. Atque adeo per septem chordas cum iis collatas universale Dei in septem orbes cœlestes regimen designari. Non alia de caussa cum lyra Jovem pingit *Martianus Capella* de nupt. Philol. lib. I. *Læva enneaphtongon chelin innitenti similis imprimebat.* Atque hac forma ex antiquis picturis conspiciendum dat *Vincent. Chartarius* de imag. Deorum ed. Mogunt. p. 68. *Philo* quoque de Cherub. pag. 126. sapientem creaturarum ad se invicem ordinationem a DEO institu-

stitutam lyræ comparat. ἅτως γὰρ ἐπαλλάττοντα καὶ ὑπεμιγνύμενα λύρας τρόπον ἐξ ἀνομοίων ἡρμοσμένης φθόγγων, εἰς κοινωνίαν καὶ συμφωνίαν ἐλθόντα, σωηχήσειν ἔμελλεν, ἀντίδοσίν τινα καὶ ἀντέκτισιν, πάντα γὰρ πάντων ὑπομένοντα, ὡς εἰς τὴν τοῦ κόσμου παντὸς ἐκπλήρωσιν i. *Sic enim futurum erat per hujusmodi commercia, ut in lyræ morem, quæ constat ex tonis dissimilibus, in communem convenirent consonantiam, dum mutuum dant & accipiunt, atque ita omnia permutantur omnibus ad universi mundi complementum.* Quanto magis citharæ sacræ ad altiora nos ducunt, sive argumentum celebrationis divinæ, sive subjecta respicias, per quæ instituitur! Si *argumentum*, eo describitur viarum & operationum divinarum, veritatumque de DEI virtutibus, decretis, moliminibus, admirabilis convenientia: Si *subjecta*, viros habes charismatibus, locis, temporibus diversos uno tamen Spiritu in unum magnalium Dei testimonium suavissime conspirantes. Lege 1. Cor. XII, 4--30. Ephes. IV, 3--16. 3.) De numero chordarum etiam cogitare licet. In genere pro varietate ἐγχόρδων varium fuisse certum est: in quibusdam organis plures, in aliis pauciores fides erant: quod præfigurare potuit diversos publicationis nominis divini gradus. Si vero singula excutere velimus, parum certi habemus extra id quod *Josephus* testatur Ant. Jud. lib. VII, c. 12. ἡ μὲν κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη τύπτεται πλήκτρῳ. ἡ δὲ νάβλα δώδεκα φθόγγους ἔχουσι τοῖς δακτύλοις κρέεται. Et hoc ipsum interpretes parum assecuti mihi videntur. Communiter ita sumitur, quasi *Josephus* per κινύραν Hebræorum כנור intelligat. Literarum id suadere videtur similitudo. Quæ etiam caussa fuit, cur ὁ πάνυ *Bochartus* dubitet, an כנור recte vertatur *cithara* Hieroz. P. I. lib. 2. cap. 44. p. 461. Mihi tamen videtur *Josephum* per κινύραν non intellexisse *citharam vulgarem*, sed potius singularem aliquam ἐγχόρδων speciem, quæ Hebræis עשור dicitur, quia id privum habuit, quod *decem chordis* constabat, quale instrumentum Ps. XXXIII, 2. exserte a כנור distinguitur. In quo eo magis confirmor, quia Maccab. IV, 54. κινύραις & κιθάραις ut diversa instrumenta recensentur. Hactenus

3.) *in numero chordarum*

Locus Josephi explicatur & illustratur.

ctenus ergo nihil ulterius de numero chordarum expiscatum est, quam inter ἔγχορδα fuisse quædam organa, quæ *decem*, quædam quæ *duodecim* chordis gaudebant. Posterius a *Josepho* tantum, prius diserte ex sacris literis, etiam ubi mystice δεκαχόρδου introducitur, uti ostensum est, discimus. Unde, si nihil aliud, saltem *denario* illi subfuisse mysterium liquido agnoscimus. Et Patres quidem decem præcepta legis præfigurata esse pie crediderunt; sed hoc coactum est. In genere *denarius* sua natura perfectionis symbolum est, quia cunctos singulatim numeros includit, qui e denario proficiscuntur, & in eum resolvuntur. Ipsum nominis apud Græcos etymon hoc docet, apud quos δέκας dicitur, ὡς δεκτικὴ πάντων ἀριθμῶν. i. *quod omnes numeros complectatur*: unde σύμβολον τελειότητος secundum *Cyrillum* in Hos. c. 3. Plura videri possunt apud *Bungum* de Numer. X, p. 355. sqq. *Meursium* Denar. Pythagor. cap. 12. *Delrionem* Adag. I, 35. Emphatice *Philo* de opif. mundi p. m. 10. de denario ait: ἧλις ὅρος τῆς ἀπειρίας τῶν ἀριθμῶν ἐστὶ, περὶ ὃν ὡς καμπτῆρα εἰλοῦνται καὶ ἀνακάμπτουσι i. *qui est immensitatis numerorum Terminus, ad quem ceu metam circumaguntur & se reflectunt.* Hanc perfectionis significationem tum in mensuris tabernaculi atque templi, tum in ipso Decalogo intendi alibi demonstrabitur. Nil autem impedit, quo minus hic perfectam laudem DEO in cultu N. T. ferendam similiter adumbratam fuisse statuamus. Perfectio hæc spectat celebrationis divinæ a) materiam omnes virtutes a DEO in opere gratiæ revelatas complectentem, quas schola antiqua Judæorum *decem* illis *Sephiroth* inclusit. b.) formam: quia perfecta charismatum Spiritus mensura Ecclesiæ impertienda, *decem minis* adumbrata Luc. XIX, 13. c) tempus: quia istius plenitudini verum Hallelujah reservatum, ex qua causa ipsum diem expiationis mensis Tisri *decimum* fuisse censeo. d) locum: quia universitas gentium, a quibus hæ laudes decinendæ, sub *denarii* numero solet proponi. Quo pertinent *decem viri ex omnibus linguis gentium apprehendentes fimbriam viri Judæi* Zach.

Denarius perfectionis symbolum est.

Perfectio laudis, quæ Deo in N. T. fertur.

Zach. VIII, 23, & *decem servi* Luc. XIX, 13. Pergo 4) *Fides citharārum* plectro, digitove pulsari debebant, ut sonus exiret. Sic ad pangendas laudes Jehovæ necesse est, ut *digito* DEI id est Spiritu ejus moveamur Ps. LI, 17. Jes. VI, 7. 5) Fides pulsatæ, tactæque, quia ex materia fragili, intestinis ovium, uti est apud *Homerum* Odyss. 21. & similibus constabant, hinc intensæ fortius usu ipso atterebantur, & frangebantur. Sic ebuccinatores laudum divinarum, licet vires animi & corporis omnes intendere studeant, thesaurum suum ἐν ὀστρακίνοις circumferunt, aliisque inserviendo consumuntur 2. Corinth. IV, 7. 6) *Sonus* citharārum erat clarus & amænus, a qua suavitate videtur certa quædam citharæ species עגבים dicta esse. Hinc inter summas voluptates humanas memorantur Eccles. II, 8. & in lætissimis occasionibus, præsertim conviviis adhibitæ. *Plutarchus* Sympos. VII. c. 8. Ἀλλ' ἤγε κιθάρα πάλαι τε καὶ καθ' ὅμηρον ἐπὶ τοῖς χρόνοις γνωρίμη τῆς δαιτὸς ἐπὶ, καὶ μακρὰν ὅτως φιλίαν καὶ συνήθειαν ἃ πέπεται διαλύειν, ἀλλὰ δεῖσθαι τῶν κιθαρῳδῶν μόνον, ὅπως τὸν πολιὸν θρῆνον καὶ γόον ἐξαίρωσι τῶν ᾠδῶν, εὔφημα καὶ πρέποντα θαλιάζουσιν ἀνθρώποις ᾄδοντες i. *Cithara jam olim ætate Homeri adhibita est in conviviis, & amicitiam consuetudinemque adeo antiquam non licet dissolvere, sed citharœdis solis utendum est, ut luctum & funebrem complorationem e cantilenis summoveant, canentes bene ominata, quæque hominibus epulantibus accommodata sunt.* Nihil vero jucundius animabus sanctificatis, quam virtutes DEI fœderati demonstratas agnoscere & in earum celebratione exerceri. Ps. CIV, 33. 34. 7) Ad *citharārum* pulsationem singulare requirebatur *artificium*, plus quam ad ullum aliud organum. Hinc multum æstimati, qui ejus gnari erant. *Cicero* Tuscul. disp. lib. I. *Summam eruditionem Græci istam censebant in nervorum vocumque cantibus: Igitur & Epaminondas, princeps meo judicio Græciæ, fidibus præclare cecinisse dicitur. Themistoclesque aliquot annis ante, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior.* Quin eo in pretio ludis Græciæ fuit, ut victori statuæ ponerentur, docente *Xiphilino* in Nerone. Inspiciatur

4.) *in pulsatione fidium.*

5.) *in materia & debilitate fidium:*

6.) *in sono claro & suavissimo:*

7.) *in artificio singulari, quod observandum a citharœdo:*

tur *Jul. Cæs. Bulengerus* de Theatr. lib. II. c. 35. Sed multo majoris momenti opus est celebratio Jehovæ in Ecclesia. Capax ejus est nemo, nisi qui a Spiritu Sancto edoctus ejusque donis instructus est. 8.) *Cithara* in deliciis fuit *Davidi*, qui ea præivit: & in eo typum esse Davidis spiritualis jam dicere occupavimus, qui vere in pangendis laudibus divinis Ecclesiæ Præcentor supremus est. 9.) *Usum* quod attinet, is cum sono conveniebat, ut nonnisi in lætissimis occasionibus citharæ adhiberentur. *Cessatio gaudii citharæ* signum ingentis luctus fuit Jes. XXIV, 8. Ezech XXVI, 13. Hinc in captivitate Babylonica *ad salices suspensæ* Ps. CXXXVII, 2. Addi potest illud Job. XXX, 31. *conversa est in luctum cithara mea.* Et confer, quæ habet Celeb. *Bochartus* in Can. l. II. c. 7. ubi Græcis quidem *Cinnyram* in luctu, Hebræis autem in gaudio usitatam fuisse docet. Quamvis notandum heic quoque, quod jam indicavi, nondum liquere, quod Græcorum κιννύρα præcise τῷ כנור respondeat. Nihil magis lætitiam spiritualem promovet in fidelibus, quam commemoratio laudum Jehovæ. Hoc est vere lætari in Deo suo, quod totiens totiensque inculcatur. Generali huic usui specialiores subordinari possunt, qualis fuit a) ad sacrificia 1. Chron. XVI, 5. 42. XXV, 1. 3. 6. 2. Chron. XXIX, 25. b.) in deductione arcæ 2. Sam. VI, 5. 1. Chron. XIII, 8. XV, 16. c) in initiatione templi 2. Chron. V, 12. & murorum Hierosolymæ Nehem. XII, 27. d) in triumphis 2. Chron. XX, 28. quæ facile applicantur. 10) Singularis autem usus *citharæ Davidicæ*, antequam manum tollimus, non est prætereundus, quando ejus tactu Spiritus inquietus & furibundus Saulis Regis cohibitus est. 1. Sam. XVI, 14. 16. 23. Hunc in genere Musicorum concentuum effectum esse, ut vehementiores animi motus sedet, supra docui. Lyra autem facile primas tenet. Clinias Pythagoreus, si quando se ad iracundiam impetu ferri sensisset, τὴν λύραν ἁρμοσάμενος ἐκιθάριζε. i. *lyram assumtam pulsavit*, referentibus *Æliano* Var. lib. XIV, 23. & *Athenæo* Deipnos. XIV, 5. Idem expertus est David. Sic præ-

8.) in eo, quod peculiare Davidis instrumentum:

9.) in usu ad lætitiam excitandam:

10.) in sedando spiritu inquieto Saulis:

prædicationis nominis divini ea sæpe vis fuit, præsertim in illis seculis, quæ post afflictiones decem dierum sequebantur, & maxime regno Saulis & Davidis respondent, ut tyrannorum contra Ecclesiam furor deferbuerit. 11) Denique *cithara* cæteris organis nobilior semper credita est. Hinc *Philo* de opif. mundi p. 28. de ea ait, quod χεδόν τι τῆς ἁπάσης ἡγεμονὶς ἔσκε μυσικὴν ὀργανοποίας i. *princeps sit inter omnia propemodum instrumenta Musica.* Sic & nobilissima occupatio virorum Dei ea est, qua in virtutibus DEI celebrandis occupati sunt. Hac enim proxime ad Angelos accedunt, & cum Ecclesia triumphante communionem jam in terris habent Apoc. V, 11-14.

11.) *in præstantia præ cæteris organis.*

XXVI. Restant κρόταλα & inter ea fors antiquitate præcellunt TYMPANA. Memoranda hic, quia ipsa quoque diserte sensu mystico adducuntur Psal. LXVIII, 26. LXXXI, 3. CXLIX, 3. CL. 4. Addi possunt Jes. XXX, 32. Jerem. XXXI, 4. In Musica templi adhibita fuisse, nusquam diserte memoratur. Probabile tamen est aliquando, præsertim in noviluniis percussa esse ex Ps. LXXXI, 3. Unde *Tacito* Hist. lib. V. c. 5. ut & *Plutarcho* ansa nata lib. IV. Sympos. fingendi, sacra Judæorum in Bacchi honorem celebrata cum *tympanis.* Non ergo debuisset hoc instrumentum a Clar. *Tillio* in descriptione Musices templi plane præteriri. Mysticam ei significationem in Cybeles sacris attribuere gentiles. *Varro* lib. XVI. rerum div. apud *Augustinum* de civ. DEI lib. VII. c. 24. *Quod tympanum habeat, significari esse orbem terræ.* Quocum convenit sententia Leucippi, qui de terra statuit χῆμα αὐτῆς τυμπανοειδὲς εἶναι i. *figuram ejus tympano similem esse*, notante *Hesychio* περὶ σόφων p. 24. Aliter tamen *Phurnutus* de Nat. Deor. c. 6. adductus ajens: οἱ ὄμβροι ὡς ἐπιπολὺ μὲν βροντῶν καὶ ἀστραπῶν συμβαίνει γίνεσθαι. καὶ ταύτην περιεπάγουσι τυμπάνοις καὶ κυμβάλοις καὶ κεραυνεῖς, ἢ λαμπαδοφορίοις χαίρουσαν. i. *Imbres utplurimum cum tonitru ac fulmine contingunt. Quare eam (Rheam) inducunt ut gaudentem tympanis ac cymbalis & fulminibus sive facibus gestatis.* *Tympana* hic ob raucum & horridum sonum tonitruum emblema gerunt,

Tympani quoque mystica significatio est.

Videtur in Musica templi non esse omittendum.

Mystici tympanorum in sacris gentilium usus.

æque ac in descriptione Junonis, quam *Martianus Capella* dat de nupt. Philol. l. 1. *Hæc fulmen dextra, læva sonorum bombis terrentibus sustinens tympanum, sub quibus plurimum sudans ima subjecta roscidis videbatur inundare fluoribus.* Quæ eo lubentius adduco, quia non penitus abludunt a significatione mystica, quam *tympana* in cultu veri DEI habuisse videntur.

In cultu Levitico indicant Evangelium publica confessione inter omnes gentes recipiendum,

Nam nihil aptius repræsentabant, quam publicam & communem nationum terræ confessionem, qua Christo nomen daturæ, & veritati Evangelicæ subscripturæ. Hoc apte exprimebatur. 1.) per *tympanorum formam*, rotunditate orbem terrarum exprimentem: 2.) per *sonum*, qui erat gravior, tonitrui similis, & per se inamœnus, nisi adjunctis aliis instrumentis, præsertim dulcedine lyræ temperaretur. Hinc apud *Suidam* τύμπανα φεκνώδη τινὰ βόμβον ἐξ ἑαυτῶν ἀνιέντα i. *Tympana horribilem quendam bombum emittentia.* *Lucretio* lib. II. *tonare* dicuntur: *Catullo* in Aty remugire & *reboare*: *Luciano* Dial. Ven. & Cupid. βομβεῖν: *Claudiano* de rapt. Proserp. lib. I. *mugire.* Salmoneus quoque *pelles detractas in curru cum æneis lebetibus agitans* (i.e. tympana pulsans) ἔλεγε βροντᾶν i. *dicebat se tonare*, memorante *Apollodoro* Biblioth. l. I. c. 7. Talis sonus exprimere potest commotiones ingentes integrarum in terra nationum, quæ quamvis in ortu suo multum inordinati habent, tamen ad promovendam gloriam divinam sapientia ejus diriguntur. 3.) Denique *usus* saltem apud Phœnicios æque ac Romanos non in bello nec in aliis tristioribus occasionibus, sed tantum in magna lætitia erat Gen. XXXI, 27. Job. XXI, 12. Unde in luctu publico *gaudium tympanorum cessare* dicitur Jes. XXIV, 8. Sigillatim memorantur a) in deductione arcæ 2. Sam. VI, 5. 1. Chron. XIII, 8. b) post adeptam victoriam Exod. XV, 20. Judic. XI, 34. 1. Sam. XVIII, 6. c) in splendidis conviviis Jes. V, 12. Quæ facile applicantur. Ego in hoc emblemate mihi gratulor de consensu Collegæ amicissimi, Doct. *Gerhardi Buschii*, qui ad Ps. LXVIII, 26. p. m. 95. 96. ita commentatur "*Tympanis* autem ornantur: quæ ut mulieribus

1.) propter formam:

2.) propter sonum graviorem:

3.) propter usum in variis publicis lætitiis.

eribus fere propria, ita non adhibita videntur nisi in ma- "
xima celebritate, & in choreis præcipue locum habebant; "
id quod iterum nos eo ducit, ut cogitemus, tum effusum "
ex isthoc liberationis specimine, ex Sponsi præsentia ortum "
gaudium, tum conjunctionem, consensum, charitatem & "
ordinem singularem. Ita ostenditur, quomodo cœtus fi- "
delium Rectorum suorum consiliis responderint, cum illis "
amice conspiraverint, & alternis DEI caussam egerint; nunc "
Doctoribus, mox aliis Ecclesiæ membris suas partes agen- "
tibus: ita *tympanorum* loco haberi possunt omnia illa me- "
dia, ad quæ confugit, quæ adhibuit populus, ut Evange- "
lium propagaret, ejus doctrinam aliis probaret, adversa- "
rios autem obtunderet; qualia supplicationes, apologiæ, "
protestationes, legationes & similia, quæ integri cœtus no- "
mine fieri solent. Equidem plus artis in pulsandis citharis "
& illarum sonus magis distinctus, at si *tympanum* cum ci- "
thara jungatur, varia non ingrata tamen efficietur harmo- "
nia, & juncta fortius resonabunt. Ita vox populi non solet "
esse nisi confusum murmur, at si quis arte regat, & ejus de- "
sideria distincte & prudenter proponat, tum & vox populi "
pondus habet maximum, præsertim, si plures populi com- "
muni animo & voluntate eadem expetant. "

XXVII. Supersunt CYMBALA, quæ in mystica recen- *Cymbala mystica in sacris veri Dei & gentilium.*
sione organorum musicorum Ps. CL, 5. simul locum nanci-
scuntur. Quid apud gentiles in sacris Cybeles præfigurarint,
modo ex *Phurnuto* docuimus. Aliter tamen *Servius* ad Georg.
IV, ubi ait: *Matris cymbala, quæ in ejus tutela sunt, ideo quod*
similia sunt hemicyclis cœli, quibus cingitur terra, quæ est ma-
ter Deorum. Notavi hæc jam in tractatu de cymbalis lib. III.
c. 4. Apostolus 1. Cor. XIII, 1. sensu non bono *cymbala* usurpavit: *Locus 1. Cor. XIII. 1. illustratur.*
Ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ καὶ τῶν ἀγγέλων, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, γέ-
γονα χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον. Illustrarunt hanc metapho-
ram ab Apostolo adhibitam *Delrio* Adag. l. I. 722. *Roa* Singu-
lar. Tom. II. l. 5. p. 600. seqq. Ego quoque prolixius in citato

tractatu de cymbal. l. I. c. 3. Addi potest ibi observatis *Quintilianus* inanem oratorem *tinnulum* appellans: *Nam tumidos*, inquit, *corruptos, & tinnulos, & quocunque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborare, ut corpora non robore, sed valetudine inflantur.* Nec multum abludit illud *Juvenalis* Sat. VI, v. 126.

> *Cedunt Grammatici, vincuntur Rhetores, omnis*
> *Turba jacet, nec causidicus, nec præco loquatur,*
> *Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis,*
> *Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas*
> *Pulsari; jam nemo tubas, nemo æra fatiget.*

Huc quoque pertinent, quæ ibidem lib. I. cap. 6. de proverbiali *crotali* significatione observavi. Quamvis autem in deteriorem partem *cymbali* metaphoram Paulus adhibeat, ejus tamen interpretatio certum nobis figendi significationem *cymbali* in usu templi mysticam fundamentum submministrat. Ex contextu enim liquet, oculum intendi ad illos, qui multis extraordinariis charismatibus in prima Ecclesia instructi erant, ad cursum Evangelii promovendum, quamvis, cum vera cordis sanctificatio abesset, iis abuterentur ad perversum scopum, non tam honori DEI velificantes, animasque aliorum lucrantes, quam inanem coram hominibus gloriolam captantes. Nam extraordinaria illa primæ Ecclesiæ dona non semper cum salvifica cordis ad DEUM conversione conjuncta fuisse: & talibus hominibus jam primævam Ecclesiam laborasse ex historia constat, atque alibi prolixius a me est demonstratum. Illi eo magis possunt ab Apostolo intendi, quia κύμβαλον ἀλαλάζον potest designare cymbalum absque modis musicis incondite concussum, quæ est sententia *Ligtfooti* Hor. Hebr. in h. l. & ante eum *Prosperi* Ep. 46. ad Demetriadem. Nec difficulter hic pollicem addo *Hammondo* & *Clerico*, qui speciatim linguis peregrinis utentes ab Apostolo innui existimant. Tollamus jam id ex metaphora Apostoli, quod ad scopum

designarunt Evangelii doctrinam per Viros extraordinariis charismatibus instructos promovendam:

Landesbibliothek Oldenburg

pum ejus accommodatum mali ominis erat, & tum eo præeunte agnoscemus, *cymbala* in cultu Levitico aptissime repræsentasse talia subjecta in Ecclesia N. T. quæ extraordinariis donis Spiritus Sancti instructa, sonum verbi Evangelici longe lateque per orbem diffundebant. Et decentiam emblematis facile agnoscimus, perpendentes non tantum 1) Formam *cymbalorum* terræ instar habentem: sed etiam 2) sonum, qui fuit acutus, penetrans, & sono tympanorum longe amænior, quem Latini eleganter naturam soni exprimentes *tinnitum* appellabant, uti doceo de cymbal. l. II. cap. 7. Sic prædicatio Evangelii per Viros charismatibus extraordinariis instructos ingentem vim habuit, ut attentionem orbis ad miracula tanta excitaret, animosque insolita rei novitate perculsos ad recipiendum Evangelium aptos redderet. 3) Accedit, quod *cymbalistæ* in Musica templi symphoniam incipientes, ut supra docui, figurare potuerint Viros extraordinariis donis instructos in N. T. chorum ducturos, aliosque ad celebrandum nomen Jehova incensuros esse. 4.) Conveniunt & usus specialiores *cymbalorum* in sacris notati, & quos cum instrumentis aliis ferme communes habebant: quales fuere in deductione arcæ 2. Sam. VI, 5. 1. Chron. XV, 16. 19. 28. in constitutione Musices templi cum sacrificiis conjuncta 1. Chron. XVI, 5. 42. XXV, 1. 6. 2. Chron. XXIX, 25. In initiatione templi Salomonis 2. Chron. V, 12. 13. in fundatione templi Serubabelis Esdr. III, 10. in initiatione murorum Hierosolymæ Neh. XII, 27. quæ secundum supra dicta applicari debent. Hinc illustrari potest mystica *cymbalorum* mentio quæ Zach. XIV, 20. fit, ubi *cymbalis equi*, id est Ecclesiæ, *inscribenda* promittitur *Sanctitas Jehovæ*. Alludi ad morem veterum, equos in pompa tintinnabulis aliisque sonoris ornamentis instruentium, notarunt alii, de quo ritu consuli possunt *Dougtæus* Anal. Sacr. P. I Exc. 173. *Kusterus* notis in Aristophan. Ranas vs. 944. Quoad spiritualem vero sensum indigitatur, prodituros ultimis temporibus Viros, qui donis excellentibus Spiritus instructi plusquam

1.) *in forma:* 2.) *in sono acuto:* 3.) *in ordine temporis, quo confligi consueverant:* 4.) *in variis usibus.* *Loco Zach. XIV, 20, lux affunditur.*

mera

mera *cymbala tinnientia* futuri, quia sanctitatem Jehovæ doctrina vitaque spirabunt, atque adeo digni laudum divinarum Præcentores erunt. Eja, fuge, dilecti mi, fuge! Ego nunc in orbitam redeo.

Præfectus super Schoschannim typus virorum Apostolicorum.

XXVIII. Si jam daretur per משנים *cymbala* indigitari, *Præfectus super Schoschannim* typus erit Virorum Apostolicorum Doctorumve in Ecclesia excellentium, qui Spirituali prudentia instructi, prospiciebant, ut charismata aliis collata in honorem DEI & ædificationem Ecclesiæ recte impenderentur. Nam *Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciendus erat* 1. Cor. XIV, 22. Et talibus Doctoribus egregie competit titulus τῶν מנצחים id est non tantum præeuntium, sed etiam prudenter, fervide, *constanter urgentium opus*, quæ præcipuæ virtutes sunt, quibus illustres in Ecclesia Doctores splendere debent.

Cur ei tradita cantica prophetica?

Quod vero his tradebantur cantica Prophetica, quale nostrum, inter sacrificii combustionem decinenda, secundum leges musicas, id ipsum quoque typicum erat. Nam eo adumbrabatur, *tum* quale argumentum prædicationis Evangelicæ futurum esset, nempe ut amores cœlestes Christi & Ecclesiæ explicentur celebrenturque: *tum* bona talibus canticis descripta post consummatum sacrificium Christi Salvatoris nostri plene manifestanda esse.

Epilogus harmoniam spiritualem in prædicatione Evangelii Ecclesiæ Doctoribus & singulis membris commendat.

XXIX. Nostrum nunc est, ut quod illi in umbra, id nos in Spiritu & veritate præstemus. O si tales Præcentores Ecclesia catervatim numeraret, qui intensis animi corporisque viribus, corde, ore, opere opus Domini assidue urgerent! Utinam vero & ii, qui dona, quæ a DEO acceperunt, ædificationi publicæ impendunt, cupide sequentes alios haberent, nec supereſſent tot millia Pseudochristianorum aures ad harmoniam Evangelii obturantium, de quibus conqueri oportet: *Tibiis cecinimus vobis, & non saltastis: lamentati sumus vobis, & non planxistis*, Matth. XI, 17. Vah perversas homi-

hominum mentes! Eo perverſiores, quo jucundius melodiæ Evangelicæ argumentum. Quid enim illa, niſi meros ſpirat, prædicat, inculcat AMORES? O dura corda, quæ tot tantisque illecta DEI, Chriſti, fidelium dulciſſimis, conſtantiſſimis, beatiſſimis AMORIBUS non liqueſcunt! Sed quid mirum? *Nemo poterat diſcere canticum illud, niſi illa centum XLIV millia, ii videlicet, qui emti ſunt e terra.* Apoc. XIV, 3. Veſtrum ergo præcipue, veſtrum hoc opus eſt, beatæ animæ, quæ AMORUM cœleſtium & divinorum præguſtum habetis. Horum amorum memores eſtote: hos pſallite, perfectiones DEI illius, qui totus ipſiſſimus AMOR eſt, memoria recolentes, meditatione jugi contemplantes, aliisque deprædicantes. *Implemini Spiritu, loquentes ad vos invicem Pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus: canentes & pſallentes in corde veſtro Domino.* Epheſ. V, 18. 19. Et dum unusquisque, quæ a Domino dona accepit, ſecundum menſuram Spiritus ei conceſſam ad promovendam celebrationem Jehovæ confert, dulciſſimam harmoniam, Angelorum æmuli, inſtituite. Reſonent jam hic in terris cœleſtis Hallelujæ primordia! Namque

Non vox, ſed votum, non muſica chordula, ſed cor;
Non clamor, ſed AMOR tinnit in aure Dei.

I EXER-

EXERCITATIO SECUNDA
DE
PRAEFATIONE PSALMI

1. *Analysis Psalmi.* 2. *Et præfationis, quæ ecstatica.* 3. *Emphasis pronominum* Ego & Sua. 4. *Materia Psalmi est:* sermo bonus. 5. 6. *Subjectum:* Rex, *quem* Messiam solum *esse evincitur.* 7. *Carmina dicuntur* opera. 8. Cor *symbolum animæ & præcipue voluntatis.* 9. *Cur dicatur* ebullire? *Enthusiasmus Poëtarum & Prophetarum. Varia emblemata* vomitionis, fontis, ollæ ferventis *illustrantur.* 10. Recitata *publice carmina.* 11 – 13. *De Scribis veterum, scribendi ratione, calamis scriptoriis & atramento præcipue Judæorum disseritur.* 14. 15. criba *designat Spiritum Sanctum, aut cor a Spiritu afflatum.* 16. 17. Calamus *symbolum linguæ a Spiritu motæ.* 18. *Sapientia Psaltis in prologo hoc indicatur.* 19. 20. *Psaltes in his circumstantiis typus fuit Apostolorum.* 21. *Epilogus.*

I.

Generalis divisio Psalmi.

PSalmum ipsum inspicienti duæ partes generales obveniunt. A. Præfatio v. 2.
B. Tractatio v. 3. – 18.

Præfatio ecstasin redolet.

II. Præfatio est ecstatica. Nil consuetius Poëtis, quam carmina excellentioris argumenti per enthusiasmum quendam inchoare; de qua re eruditam dissertationem conscripsit *Petrus Petitus.* Videri etiam potest *Mericus Casaubonus* Tractatu de Enthusiasmo. Sed quod illi aut vehementiori quodam animi raptu patiebantur, aut ad conciliandam operi authoritatem fingebant, divino afflatu se agi venditantes, id Vatibus sacris evenit frequentissime atque excellentissime, quorum intellectum divinæ lucis radiis Spiritus DEI ita collustravit, ut extra se per tempus acti, *aut* abrupte suum epos inchoarent, *aut* sublime quid & divinum promitterent. Et prius quidem in Psalmis præfatione carentibus frequens est. Posterioris vero præfatio nostra exemplum subministrat. *Ebullit*

lit cor meum sermonem bonum! Recitabo ego opera mea de Rege. Lingua mea est stylus Scribæ velocis. In quibus verbis grandiloquis commendatur Psalmus *Analysis ejus datur.*

1. A persona loquente: *Ego, mea.*
2. A materiæ excellentia, ubi
   a. in genere materia laudatur. Est *sermo bonus.*
   b. in specie subjectum definitur. Sunt *opera de Rege.*
3. Ab illustri compositionis modo,
   a. ratione intentionis: *Cor meum ebullit.*
   b. ratione executionis:
      α. in genere: *Recitabo.*
      β. in specie: *Lingua mea est calamus Scribæ velocis.*

III Pleonasmi proprie dicti merito exulant a stylo Spiritus Sancti: præcipue in libris propheticis. Videsis id evincentem *Teelmannum* in Exerc. Sacr. p. 223. sqq. Ubi enim nec apex frustra est, nec litera reperitur שאין החרים בה תלוים גדולים i. *a qua non magni montes dependent*, secundum scitum Hebræorum, ibi vix ab imprudentiæ crimine se liberant, qui supervacaneas voces in Scriptura cœlitus inspirata locum habere posse autumant. Unde *Gregorius Nyssenus* Homil. I. in illud, faciam hominem: *Dicere autem, verbum aliquod in scriptura redundare, grande est nefas.* Habent quidem Grammatici suos pleonasmos ex genio linguæ derivatos, quos tamen non sine consilio ita Spiritus S. adhibet, ut sua sapientia eorum defectum suppleat. Et si quædam exceptiones in stylo historico admitti possunt, nihil hoc ad stylum propheticum attinet. Putesne ergo frustra istud אני, EGO, in textu comparere? aut fortuito inculcari, opera, quæ moliebatur Vates, SUA esse? Quid proclivius cogitatu, quam voluisse Prophetam ut virum a DEO actum se commendare, *qui* id quod agebat, summo studio, viriumque omni intentione agebat, *qui* in Ecclesia ut testis fide dignus accipi debebat, *quique* simul איש מופת, *vir signi* erat, id est typus eorum, qui eadem *Pleonasmos non dari in stylo Prophetico præsupponitur.* *Nec frustra est, quod vate dicat Ego, & sua opera commendet.*

magnalia DEI in implemento celebraturi erant, quæ hic in promissione proponuntur? Non enim infrequens est, ut iidem, qui de rebus futuris vaticinabantur, in prophetandi modo aliorum typi essent, præsertim Ministrorum Novi Testamenti, ut etiam hoc pacto Prophetas & Apostolos uni fundamento inædificasse pateat. De qua re §. 19. prolixius agendi redibit locus. Atque eo magis omnis ostentationis in prologo tam magnifico de propria persona suspicio abscinditur, cum quæ de se contra morem Prophetarum præclara prædicat, eum non gloriationis sed exempli caussa prædicare, inde pateſcat.

Sermo bonus designat veritates Evangelicas.

IV. Modestius de se, magnificentius de materia, quam meditabatur, prorumpit Propheta. Promittit SERMONEM BONUM. Vocem דבר hic eo sensu sumimus, quo satis frequens est, ut non merum verbum, sed integrum *sermonis* complexum designet. Videantur Lexicographi. Absolute posita hæc vox aliquando de doctrina Evangelii & promissionibus divinis usurpatur. V. Psal. CV, 8. Ps. LXVIII, 12. Quanto magis hic, ubi sermo *bonus* prædicatur? *Sermo* autem *bonus* est aut natura sua, aut effectis. *Natura* sua, quando prudens, æquus, verax: & hoc sensu phrasis occurrit Deut. I, 14. 1. Reg. II, 38. 2. Reg. XX, 19. *Effectis* quando gratus, jucundus, salubria consilia dans, solamina præbens. Ita sumitur 1. Reg. XXII, 18. Prov. XII, 25. Zach. I, 13. Atque hoc significatu *bona verba* apud Romanos in proverbium abivere. Videantur *Brissonius* de form. I. p. 9. *Roa* Singular. I, 9. &c. Addo & apud Græcos. Apud *Aristophanem* per Διαγγελίσασθαι explicatur v. 639. 640.

Bona verba, Proverbium apud Romanos & Græcos.

- - Ω βελὴ, λόγους ἀγαθοὺς φέρων
Εὐαγγελίσασθ' πρῶτον ὑμῖν βούλομαι.

i. *O Senatus, bona verba ferens lætum nuntium vobis dicere volo.*

In omni emphasi hæc prædicata conveniunt verbo gratiæ, quo *bonum annuntiatur* Jes. LII, 7. Unde etiam cum duplici articulo cluit הדבר הטוב, quasi diceres: *iste sermo in summa emphasi*

phasi bonus Jer. XXXIII, 14. Græci una voce εὐαγγελίῳ exprimunt. *Natura* sua nil continet, nisi quod sanctum, θεοπρεπές, verax, constans est. Nec habet alium finem, alium effectum, nisi ut plenos consolationum alveos aperiat, & ad summam felicitatem ducat. Quidam Patrum hic *sermonem hypostaticum*, Filium DEI, intelligentes ulterius progressi sunt, inter quos *Tertullianus* & ante eum *Cyprianus* Adv. Judæos lib. 2. cap. 1. Sed malo in simpliciori sensu heic subsistere.

De Rege qui subjectum est Psalmi, latius disseritur, eumque solum Messiam esse evincitur: aliorumque sententiis breviter recensitis,

V. Principale hujus sermonis subjectum est *REX* quidam, quem nullum alium esse, quam Messiam, Israëlis Regem, tam certum est, quam quod certissimum. Nullam responsionem merentur, qui in mera litera subsistunt, quales sunt, qui ex Judæis de Salomone solo cogitant, quos fere uno agmine Photiniani, *Enjedinus, Volckelius, Crellius* & *Schlichtingius* sequuntur. Minorem adhuc, qui aut cum Judæis de Abrahamo, aut de Hiskia, aut de Ahasvero & Esthera, aut de Davide & Bathseba, aut cum *Jarchio* de studiosis legis explicant. Quibus merito opponitur istud *Augustini* contra Faustum Manichæum, qui hoc vaticinium juxta cum aliis nolebat de Christo explicare: *Quid autem mirum, quod oculis clausis nihil invenerit in Scriptura, quod ad prænuntiationem Christi pertineret; si oculos habet ad legendum, & cor ad intelligendum non habet, qui positus ante ostium clausum divini secreti, non fide pietatis pulsat, sed electione impietatis insultat?* Ab his tamen bene distinguendi, qui media via incedunt, Psalmumque quoad literam de Salomone ut typo Christi, sed quoad sensum mysticum de Rege Messia & spirituali ejus connubio intelligendum existimant, quorum inter antesignanos numerandi *Calvinus* & *Grotius*, quos falso prioris hypotheseos accusat & odiose cum Socini asseclis jungit *Bernh. von Sanden* in disput. de Pulchritudine Christi. Perpendatur tantum hæc Calvini in Ps. XLV. epigraphe, ubi postquam quoad literam describi Salomonis gratiam & decorem docuerat, addit: *Interea non dubium est, quin sub hac effigie majestas,*

opulentia & propagatio Regni Christi, suis titulis ornetur: ut sciant fideles, nihil sibi esse beatius vel magis optabile, quam subesse Regis hujus præstantissimi imperio. Et secundum hanc hypothesin integer Psalmus ab eo pertractatur. Quare frustra per hanc calumniam exosum Megalandri hujus nomen reddere *Sandenius* tentavit. Tandem aliquando ab his injuriis & calumniis abstinere fas esset, quæ partium animos satis exacerbarunt, bonisque omnibus utriusque confessionis adeo fœtent, ut effrontes esse oporteat, impudentissimosque, qui non Christianorum, nedum Theologorum, sed obtrectatorum schema in publica luce porro assumere non verentur. Quin & alias literam nimis sectanti *Grotio* itidem injurium fuisse *Sandenium* deprehendet, qui ejus in Hebr. I. commentarium consulit. Interea quantum incommodi hæc sententia habeat in exegesi Psalmorum, jam superiori Exerc. dicere occupavi. Et optarem, multos ex nostris, *Bucerum, Musculum, Pellicanum, Junium, Mollerum* aliosque hic non aliquid humanitus esse passos. Horum hypothesin ex parte emollire studuit *Rivetus*, qui non quidem in omnibus, sed tamen in quibusdam hujus Psalmi sententiis sensum aliquem historicum esse statuit, qui in typo primo ad Salomonem referendus sit. Ingenue tamen fatetur, *esse* nonnulla, *quæ ei ne quidem in typo conveniant, & de Christo & Ecclesia immediate exponenda sint.* Sed quia hoc pacto hiulca & lacera redditur oratio, quod post *Bisterfeldium* de Emin. Script. pag. 36. Dan. *Cramerum* in schola Prophet. p. 188. aliosque in exegesi Prophetarum admittendum esse, non facile sentio, iis calculum lubentius adjicio, qui totum Psalmum allegorice de solo Messia intelligunt. Ita statuit tota ferme veneranda antiquitas *Justinus Martyr, Chrysostomus, Theodoretus, Basilius* aliique Græci, qui videri possunt in Catena Patrum a *Corderio* publicata. Ex Latinis quoque pollicem premunt *Cyprianus* Adv. Jud. l. II. c. 1. *Hieronymus* in h. l. & in epist. ad Principiam. *Hilarius* l. IV. de Trinitate p. 72. *Cassiodorus* in h. l. *Augusti-*

guſtinus Orat. adv. Jud. in h. l. & l. XVII. de C. D. c. 16. ſcribens: *Quis hic non Chriſtum, quem prædicamus, & in quem credimus, quamlibet ſi tardus, agnoſcat, cum audiat DEUM, cujus ſedes eſt in ſecula ſeculorum, & unctum a DEO, utique ſicut unxit DEUS, non viſibili, ſed ſpirituali atque intelligibili chrismate?* & quæ ſequuntur. Hos authores cum *Beza*, *Coccejo* aliisque ſequimur, non eorum authoritate, ſed his prægnantibus rationibus inducti. I. Quia nulla perſona poteſt indicari, in qua præter Regem Meſſiam tot ſplendida attributa univerſa & ſingula inveniuntur. Fateor proxime ad veriſimilitudinem accedere, qui Salomonem ut typum Chriſti hic conſiderant, quare hæc opinio magnos defenſores nacta eſt. Sed invita prorſus Minerva. Quomodo enim Spiritus Sanctus Regis hujus pacifici *victorias*, cum bella nunquam geſſerit? aut *thronum* ejus *æternum*, qui jam in Succeſſore vacillabat? *aut* eum ut *Deum*, filios ejus ut *Principes totius terræ* deſcripſiſſet, a cujus proximo hærede longe maxima pars regni paterni defecit? II. Adſcribuntur Regi noſtro varia, quæ plusquam humanum quid ſpirant, nec niſi in perſona θεανθρώπῳ verare poſſunt. Talis ſit oportet, qui ut *pulcherrimus inter filios hominum* v. 3. inducitur, qui *habet thronum æternum*, v. 7. qui gerit nomen ELOHIM & *ſuper conſortes ſuos unctus eſt* v. 8. qui *adorari* debet v. 12. cujus *nomen* memorandum *in generationes omnes*, cuique *omnes populi confiteri debent* v. 18. III. Quin & cum talem eſſe Sponſum oporteat, qualis eſt ſponſa, evidentiſſimum eſt, Sponſum hic ſpiritualem denotari. *Non opinor*, ait *Auguſtinus* de Civ. D. l. XVII. c. 16. *quenquam ita deſipere, ut hic mulierculam aliquam prædicari credat atque deſcribi.* Sive enim præſcriptam ei mariti ſui adorationem, ſive filias Regum & amicas ſimul cum ea ad Sponſum introductas contempleris, longiſſime hæc a more in nuptiis terrenis conſueto abeſſe agnoſcet, cui vel mica ſalis ſub pectore eſt. Unde *Rivetus* recte notat: *in nuptiis terrenis non eſſe easdem, quæ ſponſam comitantur & ipſam ſponſam: ſed in conjugio ſpirituali omnes*

noſtra authoritate Patrum recepta argumentis confirmatur.

1.) quia in nullam aliam perſonam tot ſplendida attributa quadrant: ne quidem in ipſum Salomonem:

2.) quia perſona, quæ hic ſiſtitur, indubie eſt divina:

3.) quia non poteſt ſponſa proprie dicta intelligi, ſed tantum ſpiritualis:

omnes amicos & amicas Sponsi & Sponsæ sponsam constituere, quia sponsæ corpus mysticum est. Adhæc non filia Pharaonis, nec Tyri, aut ullius hominis, præsertim Gentilis idololatræ *tota* fuit *gloriosa intus* v. 14. Id intelligi nequit nisi de Ecclesia, quæ est virgo *gloriosa, non habens maculam aut rugam* Eph. V. 27.

4.) quia Psalmus publico cul. tui est desti. natus:

IV. Nec credibile publico cultui destinatum fuisse Psalmum, nisi ejus materia singulare quoddam religionis mysterium involvisset. Quam ineptum enim ibi fuisset, Regis mortalis laudes, quam fœtidum, ejus amores deprædicare? Non cadit hæc aut ambitio aut stoliditas in sanctissimos Viros, qui cultum Templi instaurarunt. Nulla hinc fuit eruditio, משכיל, pro populo DEI, cum sit res ordinaria, in vulgus nota. Addo Salomonis cum filia Regis Ægypti vel Tyri conjugium nimis invisum DEO fuisse, quam ut publico cantu inter cultum DEI celebraretur, quoniam viro Judæo cum fœmina gentili inire matrimonium severa lege vetitum erat Exod. XXXIV, 16. Deut. VII. 3. 4. cujus transgressionem DEUS Salomoni ut ingens crimen exprobravit 1. Reg. XI. & in ejus domo punivit.

5.) quia aliorum sententia multis premitur incommodis.

V. Ut taceam incommoda multa, in quæ se præcipitant contra bonæ interpretationis regulas, qui literalem sensum ad singulas phrases accommodare tentant, quorum passim mentio fiet. Exempli loco consuli possunt, quæ Exerc. III. §. 12. contra *Muscalum*: VI. §. 3. contra *Bucerum*: Exercit. VIII. §. 4. contra *Mollerum* & *Pellicanum*: Exerc. XI. §. 14. contra *Jurieum* &c. adducuntur.

6.) quia Paullus Psalmum directe ad Christum transfert:

VI. Author Epistolæ ad Hebræos Ἰεδιτάς c. I. 8. 9. diserte ad Filium DEI verba v. 7. 8. pertinere docet: *Ad Filium (dicitur:) Thronus tuus, DEUS, in seculum seculi: virga recta virga regni tui. Dilexisti justitiam & odisti transgressionem: propterea unxit te, o DEUS, DEUS tuus oleo exultationis, ultra consortes tuos.*

7.) quia elegans est hujus Psalmi cum Canti-coCantico-rum parallelismus:

VII. Accedit elegans inter hunc Psalmum & Canticum Salomonis parallelismus: qui suadet, ut idem utrique prophetiæ subjectum statuamus. Ita *Theodoretus* sensit in Cant. I, 1. Et Clar. *Gerhardus* in Postillæ Salomonææ præfat. c. 5. parallelismum instituit

tuit per singulos versus, quem hic omittimus, tum quia non ubique cum nostra hypothesi convenit, tum quia data occasione singula loca conferemus. Quin & alii Prophetæ ea gnorismata Messiæ divisim dedere, quæ hic in unum collecta sunt, quorum in ipsa exegesi perpetuo filo fiet recensio.

VIII. Et apud Rabbinos res in confesso est, tam veteres quam recentiores. *R. Meir Arama omnes Rabbinos in eo consentire* ait. *Targum Jonathæ* ad vs. 3. שופרך מלכא משיחא עדיף מבני אינשא איתיהב רוח נבואה בשפוחך מטול כן ברכינך יי לעלמא i. *Pulchritudo tua, Rex Messia, major est, quam filiorum Adam: datus est Spiritus Prophetiæ in labiis tuis, propter hoc benedixit te Deus in æternum.* Idem ad vs. 8. אנת מלכא משיחא מטול דרחמתא צדקתא וסניתא רישעא וגו' i. *Tu Rex Messia, propterea quod dilexisti justitiam & odisti malitiam &c.* Quod eo majoris momenti est, quia idem *Paraphrastes* Regem hunc in v. 15. agnoscit pro מלכא דעלמא i. *Rege mundi, qui Hierosolymis in Regio illo palatio habitat.* Ex recentioribus *Abenezra* ad v. 2. sic ait: זה המזמור נאמר על דוד או על משיח בנו שכן שמו שנ ודוד עבדי נשיא להם לעולם i. *Iste Psalmus dictus est de Davide aut de Messia filio ejus sicut nomen ejus est sicut dicitur* (Ezech. 37. v. 25.) *Et David servus meus erit Princeps eorum in æternum.* Paucis autem interjectis: אם המזמור על דוד יהיה מחבריך שאול ואם על המשיח יהוא הנכון יהידה מהבריך חסידים אחרים i. *Si Psalmus iste exponatur de Davide, præ consortibus tuis, de Saule erit intelligendum: Sin vero de Messia, NB. & hoc est, quod convenit, intelligetur tunc præ consortibus tuis de aliis sanctis hominibus.* *Jr. Gibbor.* fol. 45. col. 1. in confesso ponitur ad v. 3. דרשו רזל מקרא זה על שכינה i. *Antiqui explicuerunt locum hunc de Scheschina.* *Kimchius* h. l. זה המזמור נאמר על מלך המשיח ונקרא שיר ידידות כלומר אהבת למשיחו i. *Hic Psalmus dictus est de Rege Messia, & vocatur canticum amorum q. d. amoris Domini erga Messiam suum.* Et R. *Obadia* illud v. 1. *Dicam ego opera mea Regi*, sic explicat: שהוא הכח השכלי וכמו כן יהיה דברי על מלך המשיח i. *Rex iste est facultas intellectiva: atque ita etiam*

8.) *quia plerique ex ipsis Judæorum Magistris consentiunt.*

verba mea erunt de Rege Messia. Adde R. *Salomonem ben Melech* in Michlol *Jophi* fol. m. 172. אמר אני מעשי למלך כלומר אני אומר בפתיחת רברי כי מעשי הם בעבור מלך המשיח וגו i. *Dico ego opera mea de Rege*) *quasi dicat, ego dico publice verba mea, quia ea sunt opera mea propter Regem Messiam.* Similiter *Abarbanel* in Præfone Salut. I. p. 22. ex versione *J. H. Maji* sceptrum illud, de quo v. 7. agitur, sceptrum esse Messiæ fatetur. Ipse *Sal. Jarchius*, quamvis alio detorquere studeat scopum Psalmi, sua tamen propria vineta cædere cogitur, non tantum, quando ad versum hunc eum intelligit, *qui idoneus est, ut regnet, & de quo dicitur* Proverb. VIII, 15. *per me regnabunt Reges*, sed etiam Regem, de quo in sequentibus legitur, ipsum *Deum benedictum* ad vers. 12. 15. 18. & *Regem totius terræ* ad vers. 15. esse agnoscit. Nec abludit *Midrasch Tillin* non obscure innvens, ad Redemtorem Israëlis cor esse in meditatione hujus Psalmi erigendum, loco exscripto in *Raymundi* Pug. Fidei p. m. 665. Addi potest testimonium *R. Isaaci* in Chizzuk Emuna a *Wagenseilio* inter Tela Satanæ editi P. II. p. m. 437. זה המזמור נאמר על מלך המשיח אשר יקימהו השי מזרעו של דוד המלך עה ויהיה מלך על כל ישראל ולא יהיה הפסק למלכותו אבל ימלוך הוא ובנו ובן בנו אחריו עד עולם i. *Cæterum Psalmus iste de Rege Messia compositus est, quem Deus B. ex semine Regis Davidis b. m. suscitabit. Is regnum obtinebit super omnes Israëlitas, neque deficiet regnum ejus, sed ipse, filiique ac nepotes illius post illum regnabunt ad finem usque seculi.* Viderint ergo quidam, qua fide Judæos perhibeant de Salomone ad literam hoc Epithalamium intelligere.

Messias verus est & promissus Ecclesiæ Rex post passiones manifestandus.

VI. Certum est igitur, de nullo alio, quam *Messia Rege* Psalmum nostrum agere. Inter ejus titulos, ille REGIS frequentissimus est, præcipue a Davidis tempore, quando in regia ejus familia typi administrandi a Messia regni spiritualis cumulabantur. Psal. II, 6. XX. 10. XXI, 2. XXIV, 7--10. XLVII, 8. 9. LXVIII. 25. LXXII, 1. LXXXIX, 28. XCVIII, 6. Cant. I, 4. 12. III. 11. Jes. XXXIII, 22. Jerem. XXIII, 5. Zach. IX, 9. Rationes hujus præclari tituli alibi obviæ sunt & in Psalmi ipsius

ipsius consideratione sparsim obvenient. Quare eas nunc non moramur, præcipue postquam otia hic nobis fecit Celeb. *Roëllius* in nupero doctissimo ad initium Ep. ad Ephesios commentario præclare hunc Messiæ piorum Israëlis Regum veri antitypi titulum μυσικώτατον pertractans pag. 388. seqq. Quamvis autem universalis Rex sit totius regni gratiæ, & ut talis singulare Regnum jam in Israëlem carnalem sub Veteri Testamento gesserit, nihilominus tamen inspicienti adducta loca ad oculum patebit, semper Spiritum Sanctum, quando Messiam ut *Regem* introducit, depingere velle illam glorioſam majestatem, qua potiri debebat Messias, ex quo consummatis passionibus ad dextram DEI evehendus erat. Id ergo idem erat, quod Psaltes noster moliebatur.

VII. Huic Regi in gloriam evecto OPERA *sua* sacrabat. *Opera* etiam monumenta ingenii dici possunt, præcipue poemata. *Ovidius* in fine Metamorph: *Opera Psalmistæ designant carmen ejus Regi inscriptum.*

Jamque opus exegi - -

Carmen Homeri *Homericum plasma* est *Ausonio*. *Eustathius* ad Il. α. monet ποιεῖν antiquis esse τὸ ποιητικῶς ἤγουν ἐμμέτρως ἀείδειν καὶ γεάφειν Ipsum Græcorum ποίημα est a ποιέω. Psaltes hac denominatione vult indicare, *sive* se omni intensione virium in elaboratione carminis sui occupatum esse: *sive* argumentum carminis sui esse *opera* illustria in Regno Messiæ gerenda: *sive* insignem fructum a carmine suo expectandum, operationem gratiæ scilicet in aliorum cordibus. Possunt hæc quoque ad antitypum spectare, quia tales repræsentabat, qui in decinendo cantico novo Evangelii operaturi essent. Præfixum hic designat, *tum* Regi cœlesti carmen hoc dicari, ita ut Messiæ celebratio pangendi illius unicus scopus sit, *tum* Regis laudes potissimum carminis argumentum esse.

VIII. Tanto molimini respondebat non minor impetus. Sermonum bonum *cor* vatis *ebullibat*. COR stylo Scripturæ animam, & singulas ejus facultates, frequentissime *Cor uti totius animæ, ita præcipue volun-*

tatis & desideriorum ejus symbolum est.

autem voluntatem ejusque appetitum & desideria designat. Idem apud Latinos & præcipue Græcos obtinere docent Lexicographi. Confer *Vorstium* Philol. Sacr. II. cap. 22. Ratio plerumque ea datur, quod *cor* pro sede animæ antiquitus habitum sit. Error hic per se verissimus fuit. Docent id *Menagius* in notis ad Laërt lib. VII. cap. 159. *Barthelinus* de morb. bibl. Fascic. Tom. V. p. 378. seqq. *Gatackerus* ad Antonin. p. 95. seqq. Sed quid opus est, ut Spiritum S. se opinioni erroneæ accommodasse credamus? Supponitur id & hic & sæpe alias a Philosophis, qui stylum emblematicum & mysticum Scripturæ non sat inspexerunt. Probabilius mihi est, errorem hunc ex male intellecto Scripturæ scopo si non natum saltem confirmatum esse, præsertim inter Patres primitivæ Ecclesiæ. Id pro certo habeo, Spiritum S. potius ad rationes emblematicas, quam ad hunc errorem respexisse. Sicut enim *cor* principium omnis motus atque adeo vitæ animalis, unde a חי leben/ ita hæc desideria principium sunt vitæ spiritualis & moralis omniumque actionum, aut bonarum, aut malarum, pro diversitate objectorum, in quæ feruntur. Sicut *cor* est abstrusissima hominis pars, ita nil abstrusius desideriis animi, quæ soli cordis renumque Scrutatori perlustrare convenit. Sicut *cor* membrum nobilissimum est corporis, ita facultas appetendi summum bonum, ubi per Spiritum sanctificata & accensa est, nobilissima facultatum animæ est, qua una credere, amare Deum, cum eo se unire, laudesque ejus ebuccinare capax fit. Sicut *cor* a natura custoditum est sollicite præ reliquis membris, ita nil sanctius esse debet fidelibus, quam custodia sinceritatis in desideriis Prov. IV, 23. Denique sicut *cordis* læsio certissimam mortem infert, & excordes sine vita sunt, ita in morte spirituali jacet, & æternam non effugiet, qui desiderio veri & summi boni caret. Solet ergo *cor* in sanctis ut fons totius cultus eorum laudari. Solent ad *cor* provocare, quando aliquid in gloriam Dei moliuntur Psal. LXXXIV, 3. Psal. CXIX, 1. 10. 69. 80. 111. 112. &c.

112. &c. Inde nil frequentius, quam *cor* inducere, ut principium carminum & canticorum in honorem DEI compositorum Psal. XIX, 15. XLIX, 4. LVII, 8. CXI, 1. CXXXVIII, 1. Hinc recte *Philo* de Plantat. Noë p. 231. *Præstat Deum laudibus hymnisque colere, non quales decantantur voce sonora & tinnula;* ἀλλὰ ὃς ὁ ἀειδὴς καὶ καθαρώτατος νοῦς ἐπιχήσει, καὶ ἀναμέλψει i. *sed quos invisibilis & purissimus animus decantabit & modulabitur.* Suaserim quoque hic inspicere *Ursinum* Analect. Sacr. P. I. lib. III. cap. 24. seqq.

IX. Haut vulgarem autem *cordis* motum indigitat Psalmista, ei *ebullitionem* tribuens. Qui videri volebant Numine afflati carmina sua profari, similes *cordis* agitationes frequenter fingebant. *Virgilius* Æn. VI. v. 77. sq. *Cordis vehementiores motus fingebant poetæ.*

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore *possit*
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda *domans, fingitque premendo.*

Et paullo ante v. 48. seqq.

- - *Sed* pectus *anhelum,*
Et rabie fera corda *tument: majorque videri,*
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore DEI - -

Horatius lib. II. od. 19.

Evæ, recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore *turgidum*
Lætatur evæ - -

Lucanus Pharsal. lib. I. v. 64.

Sed mihi jam numen: nec si te pectore *vates*
Accipiam, Cirrhæa velim secreta moventem
Sollicitare Deum

Idem *lib. V.*

- - *Artus*

Phœbados irrupit Pæan, mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
Pectore - -

Claudianus de raptu Proserpinæ lib. I.

Jam furor humanos nostro de pectore *sensus*
Expulit, & totum spirant præcordia *Phœbum.*

Tale quid vere de se testatur Psalmista voce רחש *quæ varie explicatur: 1.) per eructare, simili a vino petito:*

Simile aliquid in ἐγγαστριμύθοις & Pythonibus obtinuit vere, quod a poëtis fingebatur. Sed longe potiori jure & secundum veritatem cor suum extraordinarie commotum Psaltes testatur. Verbum רחש est ex ἅπαξ λεγομένοις. Inde variæ interpretationes, ex quibus quæ præferenda sit, judicatu est difficile. οἱ vertunt ἐξηρεύξατο: quos sequitur vulgata: *Eructavit.* Simile tum desumtum esset ab iis, qui potu repleti, quæ accepere, evomunt, aut, quod magis convenit, quia per *fœcundos calices* disertiores facti sunt, dicta quasi evomere videntur, secundum illud *Ennianum* apud *Gellium:*

- - *Et quæ bona dicta*
Evomeret - -

Huc potest referri, quod Galaton pictor Homerum pinxit ἐμοῦντα, τοὺς δὲ ἄλλους ποιητὰς τὰ ἐμημεσμένα ἀρυομένους i. *vomentem, & reliquos poëtas ea, quæ evomuisset, haurientes*, ut docet *Ælianus* Var. lib. 13 c. 22. Nec aliena heic esset metaphora. *Mustum* enim Evangeli *fœcundat facit virgines* Zach. IX, 17. Adeoque sensus esset, vatem & dulcedine & copia veritatum pulcherrimarum quasi ebrium, eas patefaciendi impetum cohibere amplius non posse. Prorsus ut Elihu Job. XXXII, 18. 19. 20. *Plenus sum sermonibus: coarctat me spiritus ventris mei. Ecce venter meus ut vinum, cui non aperitur: sicut utres novi findetur. Eloquar ut respiratio fiat mihi: aperiens labia mea respondebo.* Aliter paullo hanc metaphoram explicat *Hieronymus* ad Principiam Epist. 140. *Ructus* ait, *proprie dicitur digestio cibi & concoctarum escarum in ventum efflatio.* Quomodo

do enim juxta qualitatem ciborum de ſtomacho ructus erumpit, & boni vel mali odoris flatus indicium eſt; ita interioris hominis cogitationes verba proferunt, & ex abundantia cordis os loquitur &c. Cum hujus vitula araſſe videtur *Baſilius Magnus* ſimili modo ad h. l. allegorizans. Alii cum *R. Salomone* vertunt: לבי השריץ *verminat cor meum*, quia apud Chaldæos רחש reſpondet שרץ. Simile deſumtum ab aqua, in qua piſces, aut a terra, in qua vermes aliave animalia magna copia producuntur. Quod quibus placet, ii Prophetam a Spiritu vivificante ita inſpiratum ſibi proponunt, ut carmen vivum, varietate refertum, ad vitam ſpiritualem in aliis excitandam deſtinatum profunderet. Tertia claſſis eorum eſt, qui cum *Hammondo* ſcaturiendi notionem præferunt, ſicut aquæ e fonte ſcaturiunt. Eleganter & nervoſe. Aquæ enim vivæ doctrinæ Evangelicæ & veritatum ſalvificarum frequens emblema ſunt. Ipſi id viderunt Hebræorum Magiſtri Talmudici in Maſſechet *Avoda Sara* cap. 1. אין מים אלא תורה i. *non eſt aqua aliud quam doctrina. Targum* ad Zach. XIII, 1. ad hæc verba: *Eo die erit fons apertus domui David & habitantibus Jeruſalem*, ſic habet: בערנא ההיא יהי אולפן אוריתא גלי כמבוע דמיין לבית דור וליחבי ירושלם i. *tempore illo erit doctrina legis aperta, ut fons aquæ, domui Davidis & habitantibus Hieroſolymæ.* Plura in hanc rem videſis apud *Grellotum* Prodrom. pag 98. 99. 249. *Edzardum* Præf. ad Avoda Sara cap. 1. p. 10. Sicut autem doctrina per aquam, ita Doctores per *fontes* depinguntur. Utrumque jungit Salomo Prov. XVIII, 4. *Aquæ profundæ ſunt verba præſtantis viri & fons ſapientiæ* (eximius Doctor, qui aliis inſtituendis præeſt) *eſt torrens ſcaturiens.* Plura hujus allegoriæ exempla poſſunt videri Jeſ. XLIX. 1. Joh. VII, 38. Apoc. VIII, 10, XIV, 7. XVI, 4. Frequens itidem hoc ſymbolum apud Hebræorum Magiſtros, uti notant *Druſius* Apophtegm. lib. I. *Majus* in Appendice Abarban. præcon. ſalut. ad locum Jeſ. XII. Quid ergo magis congruum, quam prolationem doctrinæ

2.) *per verminare, ubi ad aquas verminantes alluditur:*

3.) *per ſcaturire, quod eſt fontis.*

Aquæ ſunt ſymbolum doctrinæ,

fontes Doctorum.

ctrinæ, quæ fit a Viris sanctis, scaturitioni aquæ ex fonte vivo comparare? Præcipue cum in hac metaphora verbum נבע *effundere instar scatebræ* frequenter usurpetur. Sic Ps. CXIX, 171. תבענה *Scaturiunt labia mea celebratione* Confer. Ps. LXXVIII, 2. Prov. I, 23. *Sive* enim perpendas, quam limpida sit aqua, quæ e fonte scaturit, quamque sana, ita ut tutius ex ipso fonte bibantur aquæ, quid aptius ad exprimendam doctrinæ pellucidam & defecatam puritatem? *Sive* gratum auribus susurrum, & palato saporem, quis non cogitet de jucunditate, quam *bonum* istud *verbum* animis conciliat? *Sive* aquarum ex fonte prosilientium perennem copiam, quis non evehatur ad abundantiam & perpetuitatem verbi divini agnoscendam? *Sive* denique vim mirificam, quæ ex retrusissimis montium cavernis & saxorum venis, in quibus coctæ & præparatæ quasi sunt, aquas protrudit, potestne magis vivide exprimi opus istud Spiritus Sancti in intimis animi recessibus impetum istum efficientis, quo aguntur, qui divinitus ad revelanda mysteria regni cœlorum missi sunt? Atque ita vere ἐκ γὰρ περισσεύματος τῆς καρδίας ὁ στόμα λαλεῖ *loquitur*, & *homo bonus* ἐκ γὰρ ἀγαθῆς θησαυροῦ τῆς καρδίας ΕΚΒΑΛΛΕΙ τὰ ἀγαθά. Matth. XII, 34 35. Congruit illud *Philonis*, quod deter. potiori insid. p. 162. Πηγὴ λόγων διάνοια, καὶ ῥόμιον αὐτῆς λόγος, ὅθι τὰ ἐνθυμήματα πάντα ὥσπερ ῥεύματα ἀπὸ γῆς εἰς τὸ μαφανὲς ὑπηρέοντα ἀναχεῖται. i. *Fons sermonum mens est, unde ceu ex ore fontis verba promanant: quia omnes sermones ex hoc, sicut fluenta rivorum e terra, profunduntur in propatulum.* Sunt denique, qui reddunt: *ebullire*, & ad ollam ferventem respici volunt, quæ ejicit cibos.

4.) *per ebullire quod est ferventis olla.*

Magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni,
Exultantque æstu latices, furit intus aquai vis,
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis:
Nec jam se capit unda, volat vapor ater ad auras.

Virgi-

Virgilius Æn. VII. 462. seqq. Quin *Philo Judæus* sermoni superabundanti ὑπερβλύζον seu *superebulliens* quid adscribit, de Sacrif. Abel. p. 139. *Ainsworthus* post *Bucerum* in hanc rem observavit, unici hujus verbi unicum etiam derivatum extare מרחשת quod *cacabum* designat, & Lev, II, 7. VII, 9. usurpatur de vasculis, in quibus minchæ præparari debebant, quæ constabant farina oleo promixta, & bene elixatæ DEO offerebantur. Sane Ps. CXLI. 2. *extensio manuum* confertur cum מנחת-ערב *munere vespertino*: unde eleganter præparatio cordis ad laudandum Deum præparationi minchæ comparari potest. Farina oleo mixta designat meditationes puras per Spiritum sanctificatas. Æstus ignis, qui ebullitionem caussatur, ejusdem Spiritus igneam vim notat, qui pectori stimulos subdit, ita ut se continere ab effando res pulcherrimas intellectui repræsentatas nequeat, omnesque obices rumpat. Sic David se affectum sentiebat Ps. XXXIX. 4. *Incalescente corde meo in me, in meditatione mea exardescente igne, locutus sum lingua mea.* Hinc ζέοντες τῷ πνεύματι Rom. XII, 11. Sicut autem, quod ita elixatum erat, Deo sacrum erat, & in Sacerdotum cibum destinatum, ita effusæ agitante Spiritu meditationes celebrationem nominis Divini promovent, & fidelibus, qui spirituale Dei Sacerdotium sunt, commodum animorum pastum subministrant. Hæc quamvis & docte & pie cogitata sint, & optionem cuique liberam relinquamus, mirari tamen subit, cur de eo, quod proximum erat, hactenus nemo quod sciam cogitarit? CORDI *ebullitionem* tribuit Psaltes. Quis autem nescit, in vehementioribus animi motibus, amoris potissimum, desiderii, zeli & similium, *cor* vehementius agitari, perque suam agitationem majorem abundantiam sanguinis in venas protrudere, unde totum corpus calore corripi, & ad agendum incitari potest? Quid ergo impedit, quo minus רחש לב de tali motu cordis & inde nata efferveſcentia sanguinis interpretemur? Eo magis, quia in sacris paginis frequens est, ut naturalis ille cordis motus, illaque sanguinis propulsio in symbolum

Nova interpretatio proponitur, Psaltem ad cordis in vehementiori affectu ebullitionem alludere.

bolum vehementissimorum animi affectuum, quibuscum conjuncta sunt, adhibeantur. Sic dicitur *cor ardere* Luc. XXIV, 32. *commoveri* Jes. VII, 2. *incalescere* Ps. XXXIX, 4. *moveri* & *subsilire e loco suo* Job. XXXVII, 1. *perstrepere ut tibiæ* Jerem. XLVIII, 36. Accedit, quod violenti hi cordis motus frequentes semper fuerint iis, qui carmen aliquod magni momenti meditabantur, uti ex supra citatis locis patet. Quibus addi possunt, qui *calorem* internum in pangendis carminibus præ se ferunt. *Ovidius* Fastorum VI.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Et sane aptissime hic cordis motus depingit sanctum Vatis nostri impetum ad decinendas laudes cœlestis Regis. Sicut enim motus cordis interiores sunt, ita in intimis mentis penetralibus hoc consilium captum esse indigitat. Sicut hi motus indicium sunt affectuum vehementissimorum & præcipue amoris, desiderii, zeli, lætitiæ: ita omnes hos affectus suum cor agitare & urgere ad proferendum carmen suum docet. Sicut cor commotum eundem sanguini motum imprimit, qui omnibus membris corporis sè dividit, istudque ad agendum incitat: ita indicatur, omnes facultates animæ viresque corporis ad exequendum sanctissimum consilium conspirare. Et affinis est phrasis, quando a Spiritu bono Prophetæ *impleri* dicebantur Mich. III, 8. contra ac Pseudomantes, qui itidem *impleti* sed a malo dæmone dicuntur Jes. II, 6.

Verbum אמר *per recitare vertitur, publicamque carminis propalationem indigitat.*

X Nec mora, id ad quod se commotum sentit, in actum deducit. RECITABO, inquit. Verbum אמר de publica prædicatione & gloriatione haut infrequenter usurpatur. Exempla sunt Psal. CXLV, 6. 11. Jes. III, 10. Psal. CXXXIX, 20. Hoc sensu Psaltes est intelligendus, qui non in privatos usus asservare cantilenam suam, sed cum parrhesia publice gloriabundus eam recitare, & decinendo reliquis præire volebat. Tales recitationes carminum in more etiam apud alias gentes erant, sive ad excitandos aliorum affectus, sive ad obtinendum

dum aliorum censuram & approbationem. Priori sensu *Virgilius* Georg. I. 349. 350.

- - Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos & carmina dicat.

Posteriori *Suetonius* de Nerone in vita ejus c. 10. *Declamavit sæpius publice & carmina recitavit, non modo domi, sed & in theatro, tanta universorum lætitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, eaque pars carminum aureis literis Jovi Capitolino dicata.* Plinius lib. I. Epist. 13. *Magnum*, ait, *Poëtarum proventum annus hic attulit. Toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis.* Martialis lib. X. Epigr. 10.

Sæpius assurgam recitanti carmina? Tu stas,
Et pariter geminas tendis in astra manus.

Videri possunt plura apud *Fabrum* Agonist. lib. I. cap. 25. 26. *Casaubonum* ad Suet. Aug. §. 89. & post alios *Omeisium* dissertatione singulari de Recitationibus Veterum. Recitata forte etiam sunt cantica sacra, quando publicabantur, sicut prophetias valvis affixas, ut transeuntes legerent, novimus.

Nomen Scribæ breviter illustratur, & hic tria designare posse indicatur.

XI. Nil vero vulgare, nil humanum a nostro recitante exspectetur: *Lingua mea*, ait, *est calamus Scribæ velocis.* SCRIBARUM, ספרים nomen ante ignotum, Davidis potissimum tempore in populo DEI invaluit, Tum enim Susa 1. Paral. XVIII, 16. & Semajah filius Nathanael 1. Paral. XXIV. 6. hoc nomine innotuere: & de Levitis ספרים *Scribæ* 2. Paral. XXXIV, 13. fuisse dicuntur. Si *Simonii* conjectura valeret, *Scriba* idem esset ac Propheta: & tum ratio adhibiti heic nominis in aprico esset. Sed cum abunde erroris convictus sit ab *Heideggero* Exercit. Bibl. Diss. VIII. & *Basnagio* Dissert. Epistol. contra Simon. p. m. 159. seqq. id nunc non moramur. Nomen hoc aut *conditionis* aut *officii* fuit, & illius vel *politici* vel *ecclesiastici*, quod docent *Ligtfoot* Harm. Evang. p. m. 309, in Lucam p. m. 520. 521. *Hottingerus* Thesaur. Philol. lib. I, c. 2, §,

1. p. 74. sq. *Grotius* Comment. in Matth. c. XI. 4. *Ursinus* Antiq. Hebr. Academ. cap. 9. p. m. 221. seq. *Edzardus* Comment. in Avoda Sara cap. 1. p. 238. 239. *Barthius* Advers. L. 1. & LX. p. m. 2884. sqq. *Fesselius* Advers. Sacr. l. c. 1. In nostro loco triplici sensu sumi potest. I. Primo potest *conditionem* denotare, sicut fit, quando quemcunque literatum & insigni eruditione præditum exprimit. Ita enim 1 Paralip. XXVII, 32. *Jonathan* איש מבין וספר *vir intelligens & Scriba* appellatur, oppositе ad hominem ἀγράμματον Act. IV, 13. seu ut *Syrus* ibi habet דלא ידעא ספרא i. *ignorantem literas*, idiotam. II. Dein potest *munus* eorum respicere, qui in lege DEI docenda, describenda & explicanda occupati erant; hæ enim potissimum functiones erant eorum, qui γραμματεῖς in sacris paginis cluunt. Ita Esdra ספר מצות יהוה *Scriba præceptorum Domini* c. VII, 11. & in diplomate Regio v. 12. ספר סתא די אלה *Scriba legis DEI insignitur*. Hoc sensu Moses a Rabbinis dicitur *Scriba magnus Israëlis*, ut notavit *Wagenseilius* in Sotam p. 322. Nisi potius hoc ex Chaldaismo derivandum sit, in quo ספרא Prophetam sonat, & pro נביא sæpe ponitur, ut probat *Keuchenius* in N.T. p. 67. Ex quo tamen nequit inferri, in sacris Prophetam Scribam dici. Ad hunc ordinem spectabant γραμματεῖς illi, de quibus totiens in Evangelio, & quorum successores Karræi fuisse videntur. Consuli potest *Lydius* ad passionem pag. 38. seqq. *Basnagius* Histor. Jud. lib. II. c. 9. §. 4. seq. *Olearius* in Matth. Observ. L. & sexcenti alii. III. Denique designari potest *actio* illius, qui in describendo, aut excipiendo verba, quæ ad calamum dictantur, occupatus est, quæ signatio quamvis in sacris insolita, cum etymo & hic cum nexu Psalmi satis congruit.

1.) *Virum doctum:*

2.) *Legis divinæ explanatorem:*

3.) *Amanuensem.*

Per מהיר *non tantum velox, sed etiam doctus & promptus*

XII. Pro diversitate autem *Scribarum* diversimode eis VELOCITAS attribui potest. Præcipue cum *Ludovicus de DIEU* commode monuerit, מהיר non modo *festinum*, sed etiam *peritum* designare posse: quia מהירא Syris non celerem, sed *doctum* designet, & apud Æthiopas מהר sit *docere*. Habet etiam

iam notionem promtitudinis & diligentiæ. Sic Prov. XXII, 29. מהיר במלאכתו notat *promptum, diligentem in opere suo.* Utroque sensu laudatur Esdra ut ספר מהיר *Scriba doctus & promtus in lege Moses* Esdr. VII, 6. Si ergo ad priores duas notiones vocis ספר respiciatur, *doctum* & *promptum* vertere oportet: si ad tertiam, communissima *velocis* significatio retineri potest. Nec incommode hic conferuntur a *Lorino, Riveto* & aliis ταχυγραφίαι veterum, qui callebant artem non tantum ornate, sed etiam celeriter & per compendia scribendi, de quibus qui plura cupit, adeat *Lipsium* Cent. I. ad Belgas ep. 27. *Jos. Scaligerum* Elench. Trihær. c. XI. *Marcellum Donatum* comm. in Suet. Titum c. 3. *Barthium* l. cit. M. Z. *Boxhornium* in Ep. exscripta a *Crenio* Analect. p. 193. s. *Morhofium* Polyhistor. lib. IV. cap. 2. §. 3. sq. *Joh. Wouwerium* de Polym. c. V. *Scriba designatur.*

XIII. Instrumentum Scribæ frequentissimum עט STYLUS est. Sic Jerem. VIII, 8. de עט שקר ספרים *stylo falsario Scribarum* querela est. Jud. V, 14. שבט ספר *virga Scribæ* appellatur. Veteres ante chartam inventam tabulis saxeis, plumbeis, ligneis & plerumque ceratis utebantur, quibus ut literæ exprimerentur, opus erat *graphiis* ferreis, æneisve, altera parte acuminatis ad literas exarandas, altera obtusis ad delendas. Sic Jobus c. XIX 24 optat, ut *sermones ejus stylo ferreo in plumbum & saxum inciderentur.* Confer Jer. XVII, 1. De scribendi ratione apud veteres in genere abunde egerunt *Alexander ab Alexandro* dier. Gen. II, 30. *Salmuthus* ad Panciroll. lib. II. tit. 13. *Petrus Holmius* singulari tractatu de Scriptura & Scriptione inserta a *Crenio* Analectis Amst. 1699. editis, *Seldenus* de libris l. I. cap. 1. *B. Fr. Salzmannus* dissertationibus IV. Graphii vero seu *styli* tam majusculi, quam minusculi formam dedit Laur. *Pignorius* de serv. p. 223. seq. præter quem videri possunt *Smetius* Antiq. Noviomag. p. 88. & 149. seqq. *Turnebus* Adversar. XIV, 24. *Gonsalius* ad Petronium p. m. 19. *Hugo* de prima scribendi orig. cap. 9. alii. *Occasione styli varia ad scribendi rationem apud veteres pertinentia notantur.*

Istud certum est, apud Hebræos commodiorem scribendi rationem in chartis hœdi- *Judæi in pergamenis scribebant,*

unde hic calamus scriptorius intelligi debet:

hœdinis, quas pergamenas vocant, non Pergami urbe Troadis, ut volunt, temporibus Eumenis & Ptolomæi primum inventas, sed jam longe ante in populo Judaico notas, obtinuisse. Quod inde certum est, quia libros suos מגלות *Volumina* appellabant Psal. XL. 8. Judæi sane gloriantur in *Baal Schalschelet Hakkabala* p. 72. a. אין ספק שיש בידנו אופן עשיית קלף מהעורות היא לנו בקבלה מסיני i *Dubium nullum est, artem ex pellibus parandi membranas habere nos per longam traditionem inde a monte Sinai derivatam.* Et sane ante Ptolomæum & Eumenem Judæos membranas in usu habuisse, *Josephus* confirmat, quando LXX Senes ad illum Ptolomæum pertulisse memorat διφθέρας, αἷς ἐγεγράμμενοι ἦσαν τοὺς νόμους χρυσοῖς γράμμασιν, & quæ sequuntur Antiq. l. XII. 2. Adi *Wagenseilium* ad Sotam p. 366. seqq. *Buxtorfium* Lex. Talmud. f. 573. *Schickardum* juris Regii p. 89. seq. Unde sequitur eos etiam *graphia* habuisse obtusiora, aut mollioris materiæ: de quibus nil certi memoria proditum est. Fors ab Ægyptiis didicere certi junci arundinisve genere loco pennarum, quæ lapsu temporum adhibitæ, uti. Quo collimatur apud *Persium* Sat. III. v. 10.

Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo

Martialis lib. XIV. Ep. 38.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Præcipue cum & in Asia tales calami suppeterent. *Plinius* lib. XVI. c. 36. *Calami Ægyptii chartis inserviunt maxime, cognatione Papyri. Probatiores tamen Cnidii, & qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur.* Hi calami scalpello acuebantur, uti nostræ pennæ, & findebantur in medio, unde κάλαμοι μεσοφιδεῖς in Epigrammate veteri dicuntur. Vide *Pierium Valerium* Hieroglyph. l. LVII. 16. sq. & cumprimis *Salmasium* Exercit. ad Solin. p. 1044. 1045. Calamus etiam requirebat atramentum, quo madefieri debebat. Hinc junguntur apud *Pollucem* onomast.

qui findebatur & atramentum requirebat.

maſt. lib. X. c. 14. μέλαν, μελανοδόχον καλάμης i. *atramentum, atramentarium, calami.* Et *Perſius* l. c. pergit:

Tum querimur, craſſus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha.

Sepiæ enim piſcis humor apud Afros atramento aptus erat, uti Scholiaſtes Perſii ad hunc locum notavit. Vide poſt alios *Gonſalium* ad Petron. pag. 239. *Holmium* libro citato: *Dairval* Util. des voyag. Tom. II. p. 546. ſqq. Habuiſſe & ſua atramenta Hebræos ex loco Ezechielis mox citando patet, de quorum conficiendorum ratione meretur legi *Wagenſeilius* ad Sotam p. 372. ſeq. Id ob analogiam allegoriæ non eſt prætereundum, oleum (perpetuum Spiritus Sancti ſymbolum) ad nobiliſſima atramenta adhibitum: uti citatus ibi ex *Gemara* codicis *Schabbath* locus docet: כל השמנים יפין לדיו ושמן זית מין המובחר בין לגבל בין לעשן i. *Quævis olea apta ſunt ad parandum atramentum, ſed oleum olivæ eſt præſtantiſſimum, tam ad macerandam fuliginem, quam ad eam faciendam.* Inſpiciatur quoque de atramentis Hebræorum *Schickardus* de jure Regio Hebr. p. 96. ſq. & *Carpzovius* l. cit. *Arnoldus* in Append. Sotæ p. 1184. 1185. *Voiſin* in Procem. Pug. Fidei p. 104. 105. Malumus ergo *calamum* cum, quam *ſtylum* vertere, quia ille ſcribendi modus & apud Hebræos uſitatior, & ad promte velociterque ſcribendum aptior.

XIV. Tali *calamo* eleganter *lingua* comparatur. Cujus ſymboli vis ut funditus pernoſcatur, primo videndum, quis hic per *Scribam velocem* poſſit intelligi. Tres & ſubſtantivi & adjectivi ejus notiones hoc loco quadrare docuimus. Si primam & ſecundam retinemus illuſtre in *Scribis* Spiritus Sancti ſymbolum eſt. Ille eſt, quem Ezechiel videt, ut *virum indutum lineis, cum atramento Scribæ ad lumbos ſuos* c. IX, 2. 3. Et cum digitorum uſus ad ſcribendum potiſſimum requiratur, hinc idem Spiritus, ut *digitus DEI* introducitur, per quem olim lex inſcripta eſt tabulis lapideis, Exod. XXXI, 18. Deut.

Tranſitur ad myſterium, & indicatur Scribam notare aut ipſum Spiritum ſanctum,

Landesbibliothek Oldenburg

Deut. IX, 10. quod non tantum inde patet, quia *Spiritus DEI* & *digitus DEI* alternant Luc. XI, 20. coll. Matth. XII, 28. sed etiam quia 2. Cor. III. 3 clare innuitur, id quod olim *Spiritu DEI vivi in tabulis lapideis scriptum erat*, nunc per eundem *inscribi tabulis carneis cordis*. Et certe ab omni parte emphatica est comparatio. Si enim 1) *Scriba* quemque sapientem designare potest, eminentissime hic titulus ei convenit, qui est *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, consilii & cognitionis*, Jes. XI, 2. qui *scrutatur profunditates DEI*, & *novit, quæ sunt DEI* 1. Cor. II, 10. 11. 2.) Si per *Scribam* Doctorem legis intelligimus, summus Doctor idem Spiritus est. Ille curavit scribi sacras paginas, quibus omnis voluntas Dei continetur 2. Petr. I, 21. Ille inscribit legem cordibus Jer. XXXI, 34. 2. Cor. III, 3. Ille illuminat oculos ad eam intelligendam Joh. XIV, 26. XVI, 13. Ille est monitor perpetuus ad eam implendam Jes. XXX, 21. Et qui monitis suis morem gerunt, eos confirmat, obsignat, conservat Ezech. IX. 4. Eph. IV, 30. Apoc. VII, 3. XIV, 1. 3.) Est autem Spiritus Dei *Scriba peritus*, *tum* quia consilii æterni pars fuit, atque adeo illarum Dei viarum, per quas peccator Deo reconciliandus, perfectissime peritus est, *tum* quia suas informationes secundum discipulorum indolem, captum, conditionem sapientissime instituit. 4.) Est tandem *Scriba promptus & diligens*, quia id agit assidue, ut mentes hominum suo splendore collustret, conscientiis stimulum subdat, refractarios convincat, & demonstratione veritatis in rete Evangelii illiciat.

aut cor Prophetæ a Spiritu commotum,

XV. Si vero cui volupe sit in tertia *Scribæ* notione ut simpliciori acquiescere, illum oportet per eum cor Prophetæ a Spiritu commotum intelligere. Hinc ipsi viri θεοπνεύστοι audiunt γεγραπται Matth. XIII, 52. Nam sicut talis *amanuensis* excipit ab alio dictata, ita sacri Scriptores nil aliud proferre animum induxerunt, neque quoad res, neque quoad verba, nisi quod Deum ejusque Spiritum authorem haberet. Matth. X. 30. Luc. XXI, 15. Jes. LIX, 21. Ille cordibus prius indidit

verita-

Landesbibliothek Oldenburg

veritates, quas lingua proferrent: unde quamvis non voluntate hominum, volentes tamen scripsere. Et sicut ab *amanuensi* requiritur tum attentio ad percipienda, tum fidelitas ad reddenda dictantis verba, ita in Virorum θεοπνεύστων cordibus eædem virtutes locum habebant. Habac. II, 1. 1. Cor. VII, 25. 1. Tim. I, 12. Et tales sunt *Scribæ veloces*, quia promtissime id exequuntur, quod in mandatis habent Jes. VI, 8. Prætulerim tamen ob majorem emphasin & σωαφείαν allegoriæ priorem sensum: idque eo magis, quia ipsa Spiritus certo sensu ut *amanuensis* Christi potest considerari, ut *secundus testis*, *ab illo datus*, Zach. IX, 12: *qui non loquitur de semetipso*, *sed quæ audivit*, *loquitur* Joh. XVI, 13. 14. Quocunque autem sensu sumas, istud certum est, egregium pro immediata inspiratione Scriptorum sacrorum, tam quoad sensum, quam quoad ipsa verba inde argumentum desumi posse. Nam si *Scriba* est ipse Spiritus sanctus, & lingua Prophetæ nil nisi *calamus*, ecquid evidentius, quam singula verba, ut ipsius Spiritus sancti verba considerari debere? Si vero *Scriba* est Propheta, tum nullo alio pacto esse potest, quam quatenus Spiritus est *amanuensis*; quare nulla alia verba proferre ipsi integrum est, quam quæ ei a Spiritu Sancto inspirantur.

quod tamen minus commodum censetur.

XVI. *Lingua* vero a tali Spiritu & per Spiritum impulso corde recta non poterat aptius comparari, quam *cum Scribæ velocis calamo*. Convenit hoc emblema aptissime, *tum* quia Vates noster idem scribere & recitare volebat, *tum* quia elegantissima est inter *linguam* & *calamum* tam *Scribæ* in genere, quam *Scribæ promti velocisque* in specie parallelia. Conveniunt *lingua & calamus* 1) quia sicut hic manu *Scribæ* regi debet, ita *lingua* nil proferre DEO decens potest, nisi a Spiritu ejus recta. Unde scite *Athenagoras* in πρεσβείᾳ ait: *Spiritum DEI Prophetarum ora*, *tanquam instrumenta moviſſe* ὥσει καὶ αὐλητὴς αὐλὸν ἐμπνεύσας, *ut tibiis ad inflandum uti solet tibicen.* 2.) Sicut *calamus acutus* requiritur ad imprimenda char-

Calamus est symbolum linguæ a Spiritu commotæ:

tæ verba, ita *lingua* Prophetarum adaptabatur ea prudentia ea vi, ut quæ profabatur, cordibus inscribi potuerint: unde *verba sapientum aculeis & clavis infixis* comparantur Eccles. XII,13. Confer heic *Lomeierum* Dier. Genial. lib. I. c.3. p.131. sq. 3.) *Calamus* scalpello acuendus & findendus, præciso eo, quod superfluum est. Spiritus est, qui linguam sanctificat, præjudicia & figmenta carnis præscindit, non sine dolore veteris hominis Jes. VI, 6. 7. & sæpe a ministerio verbi abhorrentes cogit. Jer. XX. 7-9. Jon. I. 3. Exod. IV, 10. 13. 4.) *Calami* imbuendi atramento, linguæ autem oleo Spiritus Sancti, quem *atramento* opponit Apostolus 2. Cor. III. 3. 5.) *Calami* exprimunt sensum scriptoris, & linguæ Prophetarum voluntatem mittentis DEI & Spiritus ejus. Unde totiens inculcant, non se sed *Jehovam dicere*, quæ profantur. 6.) *Calami* requirunt chartam, tabulasve scriptorias, quibus voces inscribantur. Tales tabulæ emblema sunt mentis, quæ doctrinam accipit. Hinc istud dictum *R. Eleazaris*: *Qui legem discit in pueritia, cui similis est? ei qui scribit in charta novæ. Qui vero legem discit in senectute, cui similis est? ei qui scribit in charta vetere.* Et aliud *R. Elisæ filii Abujæ*: *Qui puer discit, cui similis est? atramento scripto in charta nova. Qui vero senex discit, cui similis est? atramento scripto in charta bibula.* Utrumque adducitur a *Drusio* Apophtegm. lib. I. Metaphora hæc etiam apud prophanos scriptores satis frequens fuit. Hinc Antisthenes apud *Diog. Laertium* lib. VI. c. 5. cuidam querenti, quod perdidisset commentaria, regerit: Ἔδει γὰρ ἐν τῇ ψυχῇ ἀυτὰ, καὶ μὴ ἐν ταῖς χάρταις γεγράφειν i. *Oportebat ista animæ potius, quam chartis inscribere.* Et de Zenone ibid. lib. VII. c. 37. ὃν καὶ ἀφωμοίᾳ ταῖς σκληροκήροις δέλτοις &c. i. *Hunc* (Cleanthem scilicet) *ille certis durioribus tabulis comparare solebat, quæ vix quidem & cum difficultate scripturam admittunt: sed quæ inscripta fuerint, servant diutius.* Sic *Seneca* præfat. lib. I. controv. de Porcio Latrone narrat: *Ajebat se scribere in animo.* Plura videri possunt apud *Casaubonum* &

Charta & tabulæ emblemamentis.

præ-

præcipue *Menagium* in Laert. l.cit. *Suicerum* Thes. Eccles. Tom. I. in ἐγκολάπτω. Sic *linguæ* Prophetarum instrumenta sunt, per quæ voluntas Dei non tabulis lapideis sed carneis cordis inscribitur. 2. Corinth. III, 3. Eleganter & ad rem heic *Basiltus*: Ὥσπερ ὁ κάλαμος ὄργανον ἐστὶ γραφικὸν, τῆς χειρὸς δὲ ἐπιτήμως κινούσης αὐτὸν εἰς τὴν τῶν γεγραμμένων ἀπεικόνισιν· οὕτω καὶ ἡ δικαία γλῶσσα κινουμένη αὐτὴν δὲ ἁγίου πνεύματος ἐγγράφει ῥήματα τῆς αἰωνίου ζωῆς ταῖς καρδίαις τῶν πιστευόντων. βαπτισθὴν δὲ μέλανι, ἀλλὰ πνεύματι θεοῦ ζῶντος. γραμματεὺς δὲν τὸ πνεῦμα, διότι σοφόν ἐστιν καὶ διδακτικὸν ἁπάντων, ὀξυγράφον δὲ, διότι ὀξεῖα τῆς διανοίας ἡ κίνησις. νοήματα δὲ ἡμῖν ἐγγράφει τὸ πνεῦμα, οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ' ἐν πλαξὶ, καρδίαις σαρκίναις. κατὰ δὲ τὴν ἀναλογίαν δὲ πλάτους τῆς καρδίας, πλείονα ἢ ἐλάττονα ἐγγράφει ταῖς καρδίαις τὸ πνεῦμα, ἢ ἐκφανῆ πᾶσιν, ἢ ἀμυδρότερα κατὰ τὴν προπαρασκευὴν τῆς καθαρότητος. Διὰ δὲ τὸ τάχος τῶν γεγραμμένων, πλήρη πᾶσα λοιπὸν ἡ οἰκουμένη δὲ εὐαγγελίου γεγένηται i. *Sicut calamus instrumentum est scriptorium, a gnara manu motum, ad significandum ea quæ scribenda; ita & lingua justi, quando movetur a Spiritu Sancto, inscribit verba vitæ æternæ cordibus fidelium, tincta non atramento, sed Spiritu DEI viventis. Scriba igitur Spiritus est, quia sapientissimus omniumque Doctor: velox autem, quia celeriter intellectum movet. Sententias vero nobis inscribit Spiritus non in tabulis lapideis, sed carneis cordis. Secundum latitudinem vero cordis plura aut pauciora inscribit cordibus Spiritus, eaque aut omnibus conspicua, aut obscuriora, prout puritas cordis incrementa cepit. Ob celeritatem vero scriptionis, universa terra impleta est Evangelio.* 7.) *Calamus* est instrumentum, per quod monumenta ingenii perennant. Job. XIX, 24. Hinc illud *Horatii* Carm. lib. III. od. 30.

Exegi monumentum ære perennius.

Quæ lingua immediate a Spiritu mota profert, ea ad perpetuam memoriam & eruditionem Ecclesiæ destinata sunt Jes. LIX, 21. Confer Psalmi nostri v. 18.

XVII. Major gloriatio est, quando *docti, promti, velocis Scribæ calamo lingua* adsimilatur. 1.) Ut enim *calamus* *Speciatim per calamum Scribæ*

docti promti & velocis

in perita manu accurate res scribendas exprimit, ita summa adhibebatur a Profetis ἀκρίβεια. 2.) Uti eleganter pingit, ita vividissimas sistebant rerum pulcherrimarum imagines. 3.) Uti celeriter, ita mentem statim verba sequebantur. *Spiritus Sanctus nescit tarda molimina ad componendum diuque meditandum hoc carmen, quemadmodum humana carmina non cito scribuntur, sed mox illuminat & dat intelligentiam, mox scribit in corde & lingua canit*, verba sunt *Bugenhagii Pomerani* ad h.l. 4.) Uti literarum interdum compendia adhibebantur, ita sæpe Vates pauciſſimis verbis multorum & maximorum mysteriorum complexum exhibebant. Hanc analogiam obſervavit *Hieronymus* ad Principiam Ep. 140. *Mea autem lingua in similitudinem Scribæ velocis, quem notarium possumus intelligere, quodam signorum compendio breviatum Evangelii strictumque sermonem exaravit in tabulis cordis carnalibus.*

certæ Prophetarum qualitates indicantur.

Sapientia in hoc Prologo propius detegitur.

XVIII. Admiranda sane est, quæ in hoc Prologo elucescit, Prophetæ nostri sapientia. Ita brevi gyro omnia comprehendit, quæ tum carmen, tum authorem commendare poterant. In materia carminis jucunditas cum summo pondere conspirabat. Quid enim *jucundius*, quam *bona* illa *verba* percipere, quæ solamen peccatoris summum & unicum in se continebant? Quid *ponderosius*, quam erudiri de *Rege* illo, qui ad salutem peccatoris non tantum acquirendam, sed etiam applicandam exspectabatur? In authore omnia juncta sunt, quæ Virum θεόπνευστον decent. Libere testatur se a *Scriba* supremo, Spiritu Sancto, regi atque inspirari: simul talia argumenta addit, quæ omni falsæ gloriationis suspicioni ansam præcidunt. Istud enim mihi postulo, si quis falso profiteatur immediatam a DEO inspirationem, eum aut pro mente capto aut turpissime mendaci habendum. Prius ab authore nostro quam longissime abest: nec enim a turbata mente tam concinna & elegantissime digesta, tam emphatica & stylo rei gravitati conveniente gaudens oratio proficisci potuit.

Sed

Sed longe magis abest posterius. Quomodo enim impostura blasphemæ & impiæ notam incurreret, qui nil nisi *humilitatem*, *obedientiæ promtitudinem*, *sinceritatem*, *& scopum sanctissimum* spirat. *Humilitatis* indicium est, quod nomen suum nequidem præfixerit, nullamque adeo sibi ex hoc testimonio divinæ inspirationis laudem quæsiverit. Unde & verbis in hac testificatione planissimis, longeque a ventosis illis enthusiasmis discrepantibus utitur, quos Poëtæ Gentilium mentiuntur. *Promtitudo* in obedientia ostenditur, quando se non tantum ut *calamum Scribæ*, sed etiam *velocis*, nihil procrastinantis describit. *Sinceritatem* spirat *cor* amore & fervore *bulliens*. Talis quoque est *scopus*, qualis convenit scriptori a Spiritu DEI acto. Cum enim totius scripturæ sacræ scopus sit, testimonium dare Filio DEI, ut unico salutis nostræ ἀρχηγῷ, atque ita viam salutis peccatori commonstrare Ps. XL, 8. Apoc. XIX. 10. 2. Tim. III, 15. hunc ipsum scopum Psaltes noster declarat se intendere, quia gloriæ *Regis* sui velificari, atque ita *bona* illa *verba* proferre meditatur, quæ fidem in hunc Regem excitare poterant.

XIX. Sed ulteriora quoque huic præfationi subesse nobis persuademus. Ipsas Prophetarum personas, quando Prophetias publicabant, typicam rationem sæpe habuisse certum est. Sic Jesaias discinctus & discalceatus fuit typus Ægyptiorum & Cuschitarum c. XX: a Seraphino expeditus c. VI. & vanitatem totius cultus carnalis prædicans c. XL typus Pauli. Jeremias jugo colla aptans c. XXVII. pro typo totius populi Judaici, Hoseas c. I. pro typo ipsius Christi matrimonium cum adultera Israëlis Ecclesia rupturi habendus est. Quin, quod magis ad rem nostram pertinet, aliquando in ipsis Prophetiarum suarum præfationibus, ut typi considerari volebant talium personarum, quæ in implemento id videre & celebrare laudibus debebant, quod illi futurum vaticinabantur. Sic exempli gratia Hanna typum tum Mariæ, tum uni-

Cum Prophetæ sæpe præcipue in prologis ut typi spectari debeant,

versæ Ecclesiæ N. T. gerit, quando cantico suo 1. Sam. II, 1. ita præfatur: *Exultat animus meus in Jehova, elevatur cornu meum in Jehova: dilatatur os meum contra hostes meos, nam lætor de salute tua.* Mysticæ quoque sunt passim præfationes Salomonis, præcipue Prov. XXX. & XXXI. In Psalmorum libro idem aliquando obtinet. Quis non mysticam agnoscit præfationem illam Ps. LXXVIII. *Erudiens Asaphi. Auscultа, populi mi, legem meam: arrigite aurem vestram ad dicta oris mei. Aperiam in parabola os meum: scaturiginis more effundam ænigmata ab antiquo.* Asaphus hic typus est summi Prophetæ, ad quem hæc verba Matth. XIII, 35. applicantur. Nec minus Ethan Ezrachita pro typo totius Ecclesiæ haberi vult, quando Psalmum LXXXIX. ita infit: *Gratias Jehovæ in seculum canam, in generationem & generationem notificabo veritatem tuam ore meo.* Idem observare usu venit Ps. CVIII, 2.3.4. CXLV, 1.2. CXLVI, 1.2. Merito ergo heic quoque non in persona Prophetæ subsistimus.

Psaltes in hac de se periphrasi potest ut typus considerari primorum Ecclesiæ Præconum, Apostolorum:

Quod ei apprime in typo adscribi patet, id illustrius illis Regis Messiæ Præconibus tribui potest, qui post revelatam ejus gloriam Prophetæ nostri antitypi futuri erant. Idem ab iis thema, idem proponendi modus exspectabatur. Idem thema, quia *bonum verbum* Evangelii de parta salute & aperto novo Testamento annuntiaturi Ps. LXVIII, 12. Jes. LII, 7. Ex Jesaiæ loco ad oculum patet, *bonum* istud *verbum* præcipue hujus argumenti futurum, ut *Jehovam regnare* undique innotescat. Hinc Seraphim *Regem in throno sedentem* celebrant Jes. VI, 1-3. & Cherubim *solium* ejus suffulciunt Ezech. I, 26. Iidem Præcones Ps. XXIV, 7-10. introducuntur, ad quæsita de hoc Rege respondentes, & Ps. II, 10-12. ad ejus obedientiam adhortantes. Uti quoque debebant eodem proponendi modo. *Cor* eorum a Spiritu præparandum, ut *pastorum secundum cor DEI* Jer. III. 15. Quin & vehementi zelo implendum, quod igneus Seraphim & Cherubim adspectus depingi-

Landesbibliothek Oldenburg

git. Hinc libera & aperta *recitatio* sequi debebat Jes. XL. 9. XLVIII, 20. quæ voci tubæ & clangori buccinæ comparatur Ps. XLVII, 6. Zach. IX, 14. In qua recitatione lingua eorum similis futura *stylo acuto* corda perfodienti Ps. VIII, 3. Zach. IX, 10. de quo plura ad versum sextum. Lingua autem hæc regenda a *Scriba* cœlesti, Spiritu Sancto Ezech. I, 12. 20. & ex hoc fonte comparanda stylo Scribæ tum *periti*, quia *pascent scientia & intelligentia* Jer. III, 10. & *faciem humanam* habent Ezech. I, 10. tum *promti*, quia *alati* Jes. VI, 3. Ezech. I, 6. & *venti* & *flammæ ignis* Psal. CIV, 4. tum *velocis*, quia *fulguri* similes Zach. IX, 14. & *in omnem terram prodibit linea eorum*, & *in extremitates orbis habitabilis sonus eorum* Ps. XIX, 5. Unde simul patet, quomodo hic versus cum præcedente conferri possit. Sicut enim ibi testatur se canticum suum Præfecto super Schoschannim, & filiis Koræ tradidisse, quos ut typum Virorum Apostolicorum & minoris ordinis Doctorum consideravimus; Ita Apostoli laudes Messiæ, quas primi protulerunt, cæteris Ministris N. T. tradere debuere. Unde Ezech. I, 19. 20. idem Spiritus, qui *animalia*, simul *rotas* animabat.

cujus rei implementum monstratur.

XX. Et hæc quidem prædicata universim Præconum Regis Messiæ, in Apostolis, Evangelistis & Doctoribus nascentis Ecclesiæ accuratissimum implementum accepere. Ecquod enim aliud argumentum conciones eorum habuerunt, nisi ut suavissimum de reconciliato per Christum DEO Evangelium nunciarent? 2. Cor. V, 18. 20. Eph. III, 8. 9. Col. I, 23-28. quod eadem expressione, quæ in Psalte occurrit καλὸν Θεοῦ ῥῆμα dicitur Hebr. IV, 5. Quid studiosius egerunt, quam ut Christum *Regem* ejusque majestatem & gloriam patefacerent? Act. II, 33-36. III, 13, X, 42. Hebr. I. Quid clarius emicat in modo, quo officio suo functi sunt, quam ex εἰλικρινείᾳ cordis eos Evangelio operam dedisse, cum omnia incommoda & pericula lubentissime subirent? Rom. I, 9. 1. Cor. X. 33. 2. Cor. II, 17. VI, 3.

Landesbibliothek Oldenburg

VI, 3-10. Et quantus fuit ardor, quo cor eorum quasi bulliebat, ut Regis cœlestis gloriam manifestarent? Act. XX, 24. Gal. IV, 19. 20. Rom. IX, 1. 2. 3. qui ansam dabat subsannatoribus, ut pro ebriis eos haberent Act. II, 13. Quanta in annunciando publice veritates carni exosissimas parrhesia? Matth. X, 18. Act II, 18. V, 29. 42. XXVI, 22-26. Rom. I, 16. Quanta vis sermonis, qui corda instar *calami acuti* penetrabat? Act. II, 37. V, 14. Et hoc linguæ cum corde commercium eleganter exprimitur a gentium Apostolo 2. Cor. VI, 11. τὸ στόμα ἡμῶν ἀνέῳγε πρὸς ὑμᾶς, Κορίνθιοι, ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται. In quibus verbis aliquid valde affine nostræ in Psalmo phrasi deprehendere mihi videor. Unde vero ista vis erat, nisi quia *lingua* eorum a Spiritu Christi dirigebatur? Matth. X, 20. Gal. I, 12. Eph. III, 7. Cujus rei symbolum erat effusio Spiritus sub *linguarum ignitarum* forma Act. II, 3. Et quis nescit quanta ex hoc fonte fluxerit spiritualis prudentia? Act. VI, 10. 1. Cor. IX, 20-22. Col. I, 28. quanta in exequendis mandatis promtitudo? Gal. I, 16. quanta in propagando Evangelio celeritas? Col. I, 6.

Epilogus Doctoribus singulisque Christianis officia injungit.

XXI. Hic iterum habent, quod notent, quotquot ministerio Evangelii se consecrarunt. Meminerint, linguam suam nihil aliud oportere esse, quam calamum in manu Scribæ cœlestis. *Ministri Spiritus*, quales omnes operarios DEI in vinea Nov. T. esse decet 2. Cor. III, 6. necessario opus Spiritus in se deprehendere, ductui Spiritus se totos tradere, a Spiritu Sancto agi debent. O turpissimos hypocritas, qui testimonium Spiritus absque Spiritu aliis explanare præsumunt! qui multa ore blaterant, etiam de viis DEI, quæ ipsi interdum longe minus, quam auditores sui, intelligunt: qui non Regi supremo, sed sibi litant: suam rem & sua commoda promovent: corde duplici & fucato coram DEO corrumpunt, quicquid sæpe coram hominibus promovere videntur. Veri hi sunt *Korachitæ*, sed non quales illi, qui a Da-

vide

vide constituti sunt ad decinenda cantica, sed quales illi, qui invito DEO & Mose se ipsos ad sacerdotium intrudere volebant. In hoc speculo impia tot Pseudo-Doctorum turba utinam legeret, quis eos eventus exspectet! qui eo certior erit, quo magis longanimitas divina eorum fraudes, inanesque blaterationes toleravit. Ego sane credo, callidum illum veteratorem, omnium irregenitorum in Ecclesia Doctorum prototypum, qui artificiosissime veritatem confiteri & ei testimonium dare novit, si e re sua id esse putat, in nulla re magis gaudere, quin si integrum ipsi esset, in publicis sæpe cætibus cachinnos sublaturum, quando pulpita scandunt, premunt, pulsant tot maleferiati Epicuri de grege homines, qui *Curios simulant & Bacchanalia vivunt:* qui nihil minus amant, quam id ad cujus amorem alios se allicere profitentur: quorum ora tam longe a cordibus sunt dissita, quam cælum ab inferno: qui impudentissime se sacro quodam & cœlesti ardore agi mentiuntur, quando sæpe igniculi infernales rixarum, odiorum, simultatum pectus urunt. Nonne satius esset, histrioniæ & scenæ miserrimos homines se tradidisse, quam ministerio Evangelii, in quo quamvis per tempus a DEO tolerantur, quin etiam pro veris Pastoribus sæpe ab ipsis fidelibus habentur, a Rege tamen Ecclesiæ, qui est καρδιογνώστης, in adventu suo confundentur, & detracta larva Angelorum & bonorum omnium execrationi, Diabolorum vero lusui propinabuntur? Nihil in has Christianismi hodierni pestes & maculas invehendo genuinis Spiritus Ministris detractum volo. Grati agnoscimus, eos nondum inter nos exstinctos esse, quin magis magisque latera movere. Hi ob labem eorum, qui symmystæ haberi volunt, non sunt negligendi, sed majoris æstimandi, præcipue quando virtutes illas ut indubitatos Spiritus fructus possident, quarum nobis Psalmista exemplum dedit. Idem ergo sit omnis externæ actionis & præcipue orationis principium, *cordis* verus & sincerus affectus, intimumque glorificandi DEI desiderium.

Landesbibliothek Oldenburg

Eadem sit meta, ut non nostro, sed solum *Regis* cœlestis honori militemus. Idem sit agendi modus & ardor, ut, quicquid agimus, intensis viribus *operemur*, ut ex *plenitudine cordis* loquamur cum vehementia & demonstratione veritatis, ut instinctibus Spiritus Sancti rite ad trutinam verbi examinatis obedientes simus, & in toto muneris nostri ardui decursu humilitatem, prudentiam, promtitudinem sectemur.

Atque utinam non tantum *calamus*, sed & *charta* recte se haberet, cui laudes Jehovæ inscribendæ! Utinam eadem aviditate laudes Regis Messiæ imbiberentur, qua effundere eas fas est! Utinam pios Doctores cætus sequerentur! Procul dubio sacer eorum impetus successu lætus insignia incrementa caperet. Id certum est, ebullitionem cordis in laudes Regis Messiæ non ad solos Præcones, sed ad omnes Christianos spectare, qui sunt populus, quem DEUS formavit, ut laudem ejus enarret Jes. XLIII, 21. Quamvis caro nihil magis respuat, quam Regiam Christi gloriam, quæ regno peccati e diametro adversatur, nihil tamen magis, quam ejus celebratio cordi esse debet omnibus, qui pro subditis ejus haberi volunt. *Gloriam Regni tui prædicent* (omnia opera tua) *& potentiam eloquantur; ut notas faciant filiis hominum potentias ejus & gloriam decoremque regni ejus*

Ps. CXLV, 11. 12.

EXER-

EXERCITATIO TERTIA
DE
INCOMPARABILI REGIS MESSIÆ PULCHRITUDINE.

1. *Divisio generalis Psalmi, fundata in hypothesi* de duplici N. T. convivio. 2. *Specialis pericopæ.* 3. Pulchritudo *Messiæ prædicta & præfigurata ad omnes ejus relationes pertinet, sub quibus in hoc Psalmo sistitur.* 4. *Mystica est.* 5. *Per partes demonstratur.* 6. *In divinitate.* 7. *In humanitate.* 8–11. *In opere ejus mediatorio, ubi inseritur digressio* de Angelo, in quo nomen DEI est Exod. XXIII, 21 12. *Describitur ut* pulcherrimus, *inserta excursione* de Michaele, Gabriele & Cherubinis. 13. Filii Adam *quid?* 14. *Illis Rex Messias comparatur.* 15. *Præfertur fatentibus Rabbinis.* 16. *Indicatur quomodo talis evadere & effici debeat.* 17. *Implementum in Jesu Christo demonstratur spirituale, posthabitis, qui de literali cogitant.* 18. *Officia præscribuntur, ad quæ consideratio pulchritudinis Messiæ nos obligat.*

I.

AD Tractationem Psalmi accedimus. Ut autem de ejus ordine & methodo constet, notandum, in scriptis Prophetici celebrari *duplex convivium nuptiale*, alterum in exordio, alterum in fine Novi Testamenti instituendum. Convivium, inquam, nuptiale: quod diversum potuit esse, licet non diversæ essent nuptiæ, præsertim cum epulæ nuptiales in septiduum protraherentur apud vetustissimos orientis incolas, uti patet ex nuptiis Jacobi Gen. XXIX, 27. Simsonis Jud. XIV, 12. Confer *Seldenum* de jure Nat. lib. V. cap, 5. *Heideggerum* Hist. Patr. l. 15. *Lydium* Rit. Nupt. p. 167. In quo more sine dubio typus fuit, totum tempus novi Testamenti concatenatarum nuptiarum instar esse. Apud gentes alias similiter septiduum sæpe nuptiis insumtum est. *Donatus* ad Terentii Phormionem: *Heri fuerunt nuptiæ, sed adhuc munus corraditur, quia in nuptiis etiam septimus dies instaurationem voti habet: Ut in funere nonus dies, quo parentalia concludun-*

Prævia observatione de duplici convivio nuptiali N. T.

tur. Quod vero primæ & poſtremæ diei epulæ præcipue memorantur, inde eſt, quia ſicut primus paſchatis & ultimus feſti tabernaculorum dies ſanctiores & feſtiviores reliquis erant, ita majorem donorum gratiæ & ſpiritualis gaudii menſuram primis & poſtremis temporibus N.T. ſapientiſſimus DEUS diſtribuere conſtituit. De epulis prioribus videri poteſt Cant. I. II. III. Hoſ. II. Matth. XXII. &c. & per eas depingitur ſtatus auguſtiſſimus Eccleſiæ poſt effuſum Spiritum Sanctum. De poſterioribus agitur Cant. VIII. Jeſ. XXV. Prov IX. Apoc. III. XIX. &c. & eæ collimant ad feliciorem conditionem, qua Eccleſia repurgata a ſordibus ſuis in fine ſeculi gaviſura eſt, quamque ut imminentem piis deſideriis anhelamus. Ad utrasque noſter Pſalmiſta collimat, & in eo eſt, ut quo ſplendore tum Sponſus tum Sponſa in illis compariturі ſint, graphice deſcribat.

Pſalmus totus dividitur.

1. In prioribus, verſ. 3.--12.
2. In poſterioribus, verſ. 13.--18.

Atque hæc partitio nobis eo aptior viſa eſt, quia ex hac hypotheſi commodiſſime ſymbolum *filiæ Tyri* v. 13. explicatur, & ratio ſolida redditur, cur cum v. 10. ornatus Sponſæ ſpiritualis jam deſcriptus erat, nihilominus ad eum v. 14. redeatur. Præcipue, quia in veſtitu ipſo aliqua eſt diverſitas, quæ ex temporum differentia optime elucidatur. Accedit, quod in priori convivio Meſſias ut exiens & Sponſa ad ejus dextram collocata vſ. 9, 10. in poſteriori vero Rex intra palatium conſtitutus, ut Sponſam expectans, quæ introducitur, depictus eſt, quæ diverſa ſchemata hæc hypotheſis illuſtrat. Poſſet, qui magis materiam, quam verborum artificium conſiderat, ſecundum conſuetas periodos ſeptem N. T. Pſalmum diſpeſcere. Quinque ad convivium prius pertinent, quarum prima invenitur v. 3. ſecunda 4. 5. 6. tertia 7. 8. quarta 9. quinta 10. ſexta & ſeptima poſteriores epulas conficiunt v. 13-18. Sed ſimplicius ſecundum varietatem ſchematum diſtinguitur.

Quæ

quæ varietas clariſſime & ex eo pateſcit, quia ad vſ. 12. tempus præſens, inde vero ad finem usque tempus futurum conſtanter ſervatur. Unde concipi animo debet Propheta in duplicem ecſtaſin, aliam poſt aliam raptus. In priori contemplatur Regem pulcherrimum victorem a profligatis hoſtibus redeuntem, in palatio magnifico thronum occupantem, atque dextra ſua Regiam Sponſam recipientem, quacum paullo poſt in publico ſe oſtendit. In poſteriori conſpicit Sponſam ſtipatam multis comitibus, inter quas filia Tyri elucet, cum magna pompa in palatium Regis, quin & in thalamum ejus introductam, atque ita contractum conjugium conſummantem. In celebratione nuptiarum priorum diſtinguenda eſt compellatio duplex:

a. *Regis*, cujus excellentiam celebrat v. 3 -- 10.
b. *Sponſæ*, quam de officio ſuo monet v. 11. 12.

Excellentia *Regis* exaggeratur:

α. In genere ratione totius *perſonæ* ejus
β. In ſpecie ratione *munerum* & *relationum* ejus præcipuarum, in quibus introducitur ut *Propheta, Imperator, Rex, Sacerdos, Sponſus.*

& in ſpecie prior ejus pericopa.

II. Excellentia perſonæ Chriſti breviſſime ſed emphatice exprimitur his verbis v. 3, *Longe pulcherrimus effectus es præ filiis Adam. Ubi*

א. Gloria Meſſiæ ſub emblemate *pulchritudinis* depingitur.
ב. Exaggeratur
aa. Per oppoſitionem in ſuperlativo gradu: *pulcherrimus.*
bb. Per comparationem: *præ filiis Adam.*
ג. Origo ejus indicatur: *effectus es.*

Landesbibliothek Oldenburg

Pulcher Meſſias debuit eſſe.

III. PULCHRITUDO Meſſiæ frequenter a Spiritu Sancto laudatur Gen. XLIX, 12. Jes. XXXIII, 17. Cant. I, 16. & præcipue V, 8--15. ubi per partes præſtantia *formæ* ejus exprimitur. Et fuere inter typos Meſſiæ viri, quos haut dubie ea fini ab egregie *forma* Scriptura commendat. Joſephus Geneſ. XXXIX, 6. XLIX, 22. Moſes Exod. II, 2. Actor. VII, 20. Hebr. XI, 23. cujus formam ſingularem in modum extollit *Joſephus* Antiq. lib. II. c. 5. ipſique gentiles fama acceperunt, uti patet ex *Juſtino* Hiſtor. lib. 36. Et quidni adderem in hoc typorum ordine, qui reliquis præfigendus erat, Adamum ipſum, ſecundum quosdam a *pulchritudine* denominatum, uti infra §. 13. monebitur. ὁ γὰρ ἐν ἀληθείᾳ καλὸς καὶ ἀγαθὸς ἦν τῷ ὄντως ἦν, ait *Philo* de Opif. mundi p. 31. i. *Hic enim* (Adamus) *ipſe erat revera pulcher atque bonus.* Et plura addit, quibus hunc primum Meſſiæ inter mortales typum *pulcherrimum* fuiſſe evincit. Quanquam non opus ſit, ut corpus lucidum ei cum *Obſervatoribus Hallenſibus* adſcribamus, refutatis ea propter ſingulari diſſertatione a *Gebhardo*. Videri plura de perfecta Adami forma poſſunt apud *Carpzovium* Diſp. Acad. V. cap. 3. *Buxtorffium* Diſſert. Theol. Philol. I, p. 3. ſq. aliosque. Addendus his *David* 1. Sam. XVI, 12. 18. XVII, 42. De Salomone nihil. Idem emblema hic adhibetur, tum quia generatim viri illuſtres inter homines *pulchritudine* corporis conſpicui eſſe ſolent, tum quia eam iis maxime convenire credidit vetuſtas, qui Doctorum, Imperatorum, Regum, Pontificum, Sponſorum perſonam gerunt, ſub quibus ſcheſibus Meſſiam proponere Vates animum induxerat. Generatim pulchritudinem cœleſte quid habere perhibetur a *Pacato* in Panegyrico Theodoſii: *Non fruſtra plane opinione ſapientum, qui naturalium momenta cauſſarum ſublimius ſciſcitati, arcanis cœleſtibus nobiles curas intulerunt, auguſtiſſima quæque ſpecies plurimum trahere creditur de cœlo. Sive enim divinus ille animus, venturus in corpus, dignum prius metatur hoſpitium: ſive cum venerit, fingit habitaculum pro habitu ſuo, ſive alterum ex altero creſcit, & cum ſe paria junxerunt, utra-*

Pulchritudo corporis ſpectata ſemper eſt in viris illuſtribus.

Pulcher corpore fuere varii typi ejus.

utraque majora sunt, parcam arcanum cœlestem rimari. Quocum incidit istud *Maronis* de virtute dictum:

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.

Hinc Deorum formam ut *pulcherrimam* exprimere laborarunt Poëtæ. I. Doctores discipulis commendat oris venustas. Unde Zeno τὸ κάλλος εἶπε τῆς φωνῆς ἄνθος εἶναι i. *pulchritudinem dixit vocis florem esse* apud *Diogenem Laertium* de vit philos. lib. VII, 23. Judæorum Magistri hoc inter requisita ad Prophetam numerant: quod tamen prudenter restringit *R. Nissim* citatus ab *Abarbanele* apud *Meierum* Seder Olam p. 721. 722. *Si Propheta pro se tantum prophetaverit, illis rebus plane non indiguit: sed si prophetico munere fungeretur apud populum, ut eum duceret in orbitis justitiæ, tunc sapientia, divitiæ, fortitudo, mansuetudo, & elegantia personæ erant res, quæ prodesse poterant, ut Propheta esset honoratus & æstimatus in oculis populi.* De Synedrii Assessoribus *Gemarista* Tract. Sanhedrin f. 17. אמר רבי יהונתן אין מושיבין בסנהדרין אלא בעלי קומה בעלי חכמה ובעלי מראה i. *Dixit R. Jonathan: non constituunt Assessores Synedrii, nisi viros proceros & sapientes & vultu venerabiles.* Et quid de pulchritudine certorum Magistrorum, præcipue *R. Jochananis* fabulentur, legi potest apud *Georg. El. Edzardum* comment. in Tractat. Berach. p. 194. seq. *in Doctoribus & Prophetis:*

II. Eadem Duces belli spectabiles facit. Hinc *Cornelius Nepos* Iphicrate c. 3. *Fuit autem & animo magno & corpore, imperatoriaque forma.* *Suetonius* de Germanico in Caligula §. 3. *Omnes Germanico corporis animique virtutes, & quantas nemini cuiquam, contigisse satis constat: formam & fortitudinem egregiam &c.* Livius Hist. lib. IV. cap. 19. *Erat tum inter equites tribunus militum A. Cornelius Cossus, eximia pulchritudine corporis, animo ac viribus par.* Et de Scipione idem XXVIII, 35. *Ceperat jam ante Numidam ex fama rerum gestarum admiratio viri: substituerat que animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam. Cæterum major præsentis veneratio cepit: & præterquam, quod* *in belli Ducibus:*

suapte

Landesbibliothek Oldenburg

ſuapte natura multa majeſtas inerat, adornabat promiſſa cæſaries, habitusque corporis &c. *Claudianus* de laudib. Stilic. lib. I. v. 44. ſeqq.

Jam tum conſpicuus, jam tum venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris,
Membrorumque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis - -

Hinc ad illud *Virgilii* Æn. VII. 656.

Victoresque oſtentat equos, ſatus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus - -

in Regibus: *Pulchrum* pro *forti* ſubinde poni notat *Servius*. III. Nemini vero magis competere, quam Regibus, in confeſſo apud omnes gentes fuit. Hinc notum illud *Euripidis* apud *Porphyrium* & *Stobæum*:

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

Saulis Regis formoſitas exprimitur, & inter cauſas promotionis ejus ad regale faſtigium memoratur 1. Sam. IX. 2. 10. 23. 24. Unde *Joſephus* Antiq. lib. VI. c. 5. p. 176. de eo: τὸ ὕψος ἦν βασιλικώτατος; *quoad ſtaturam erat regno aptiſſimus*. Apud *Erasmum* adagium eſt: *Forma regia*. Alexander apud *Curtium* de Abdolonymo regia ſtirpe nato, licet inope: *Corporis quidem habitus famæ gentis non repugnat*. Quomodo apud *Homerum* Iliad. III. Agamemnon, apud *Virgilium* Æn. I. & VII. Æneas atque Turnus, apud *Polybium* lib. IV. Philippus Macedo, apud *Plutarchum* in Alex. Darius, apud *Dionyſ. Halicarnaſſeum* lib. II. Numa, apud *Plinium* in Panegyr. Trajanus, apud *Suetonium* in Aug. Auguſtus, apud alios alii Principes a ſpecie corporis commendati ſint, notatum eſt aliis. Quin integri populi, Æthiopes ſecundum *Ariſtotelem* Polit. IV. cap. 4. & *Athenæum* Deipnos. lib. XIII. Indi ſecundum *Strabonem* lib. XVI. pulcherrimos ad regnum evehebant. Videri meretur *Barthius* Animadv. in Claudian. p. m. 768. ſeq. *Duportus* Gnomolog.

molog. Homer. p. 18. *Roa* Singul. T. I. lib. III. 3. 4. *Scacchus* Myrothec. III. c. 9. IV. In Sacerdotum initiatione formæ quoque ratio habita est. Omnes Sacerdotes vitio aliquo corporis laborantes ab altari removentur Levit. XXI, 17. Unde ut Hircanus in perpetuum a Pontificatu removeretur, sufficiebat aures ei præscindi, teste *Josepho* Antiq. l. XIV, c. 5. & de bell. Jud. l. I. c. 11. Præcipue Pontifex maximus ex scito Rabbinorum non tantum sine vitio sed etiam excellentis formæ esse debuit. *Maimonides* Hilkoth Kele Hammikdasch cap. 5. §. 1 כהן גדול צריך שיהיה גדול מכל אחיו הכהנים בנוי בכח בעושר בחכמה ובמראה i. *Oportet ut Pontifex Maximus sit omnibus fratribus suis Sacerdotibus major pulchritudine, robore, divitiis, sapientia & aspectu.* Idem Com. ad Misnam Jomæ cap. 1. העקר אצלינו בי כהן גדול צריך שלא יהיה באנשי דורו מן הכהנים יותר שלם ממנו בחכמה ובאמונה ביופי בעושר בכוח i. *Apud nos pro fundamento penitur, necessarium esse, ut Sacerdos maximus nulli temporis sui Sacerdoti in sapientia, fide, PULCHRITUDINE, divitiis, aut viribus concedat.* Addi possunt, quæ ex *Gemara* tum Codicis *Horajoth* c. 2. tum Codicis *Cholin* cap. 10. excerpsit *Braunius* Selector. Sacr. lib. III. c. 2. §. 24. Apud Romanos eadem sententia. Inde *Seneca* Excerpt. Controv. lib. IV, 2. *Sacerdos non integri corporis, quasi mali ominis res vitanda est. Hoc etiam in victimis notatur: quanto magis in Sacerdotibus.* Plura in hanc rem congessit Cælius *Rhodiginus* Antiq. Lect. XII. c. 2. p. 813. Addi potest quod in Elidis sacris pulchriores administros fuisse docet *Athenæus* lib. XIII. Ἐν Ἤλιδι δὲ καὶ κρίσις γίνεται καλλους, καὶ τῷ πρώτῳ τὰ ἱερὰ φέρειν πεύκη δίδοται, τῷ δὲ δευτέρῳ τὸν βοῦν ἄγειν, ὁ δὲ τρίτος τὰς θυηλὰς ἐπιτίθησιν. i. *In Elide autem judicium etiam formæ instituitur, & primo quidem conceditur ea, quæ Dei sunt, gestare, secundo vero bovem adducere, tertius libamina imponit.* *in Sacerdotibus.*

V. De Sponsis non opus est, ut quicquam addam. *Res* ipsa heic loquitur. Unde *Claudianus* carmen nuptiale merito a præconio *formæ* Sponsi Regii inchoat Fescenn. I. *in Sponsis.*

Princeps coruſco ſidere pulchrior,
Parthis ſagittas tendere certior,
Eques Gelonis imperioſior,
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna formæ laus erit igneæ?

Pulchritudo Meſſiæ eſt myſtica, deſignans, quicquid in eo excellens, admiratione, amore, veneratione dignum eſt.

IV. Quæ quamvis ita ſint, certum tamen eſt, Regi Meſſiæ *pulchritudinem* non in ſenſu proprio ſed figurato heic tribui. Spirituale enim eſt connubium, quod carmine ſuo Vates honorare vult, & ad ea tempora reſpicit, quibus Meſſias quamvis incarnatus, non tamen amplius oculis corporis videndus erat. Sumitur ſæpe *pulchritudo* pro quacunque excellentia, quæ admirationem, amorem, venerationem conciliare poteſt. Sic de *pulchritudine gentis Iſraëliticæ* Jer. XI, 16. Ezech. XVI, 14. 15. 25. *de pulchritudine Regis Tyri* Ezech. XXVIII 17. *Regis Ægypti* XXXI. 8. 9. Et ratio metaphoræ in promtu eſt, quia *pulchritudo* corporis ſimiles motus admirationis, amoris, venerationis excitare ſolet. *Iſocrates* Encom. Helen. p. 514. Τῶν δὲ καλῶν ἔρως ἡμῖν ἐγγίνεται, τοσούτῳ μείζω ἔ βελόμεθα ῥώμην ἔχων, ὅσῳ περ καὶ τὸ πρᾶγμα κρεῖττόν ἐστι. καὶ τοῖς μὲν χρῆσιν ἡ κατ' ἄλλό τι προέχουσι φθονοῦμεν· ἢν μὴ τῶν ποιεῖν ἡμᾶς εὖ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, προσάγωνται, καὶ τέρπειν σφᾶς αὐτοὺς ἀναγκάσωσι· τοῖς δὲ καλοῖς ἅμα ἰδόντες ἔννοι γιγνόμεθα· καὶ μόνους αὐτοὺς ὥσπερ τοὺς θεοὺς, οὐκ ἀπαγορεύομεν θεραπεύοντες· ἀλλ' ἥδιον δουλεύομεν τοῖς ποιήσασιν, ἢ τῶν ἄλλων ἀρχομεν· πλείω χάριν ἔχοντες τοῖς πολλὰ προσάττουσιν, ἢ τοῖς μηδὲν ἐπαγγείλασι. Vertit *Wolfius*: *Pulchrorum amor natura nobis eſt inſitus: cujus tanto majores vires ſunt, quam ut deliberandi ſpatium præbeat, quanto res ipſa eſt præſtantior. Ac iis quidem, qui vel ſapientia, vel alia quapiam facultate præcellunt, invidemus, niſi nos quotidianis beneficiis alliciant, & ſui amorem quaſi extorqueant: formoſis autem a primo ſtatim aſpectu benevolentia conjungimur; & ſolos eos, quemadmodum Deos, colendo non fatigamur: ſed libentius eis inſervimus, quam aliis imperamus: majoremque illis gratiam habemus, ſi multa imperent, quam ſi nihil faciendum denuncient.* Gemina his ſunt, quæ in Charidemo *Luciani*, ſeu quicun-

quicunque alius Dialogi illius auctor fuerit, Opp. Tom. II. p. m. 789. & 795. inveniuntur. Addantur, quæ ex *Xenophonte* & aliis congessit *Roa* Singul. T. I. lib. III, 3. *Laertius* de vit. Phil. V. 19. Merito ergo ejus excellentia *pulchritudinis* nomine exprimitur, qui non tantum iis functionibus inclytus est, quæ per formæ majestatem insigniter ornantur, sed etiam in sui admirationem, amorem, cultum omnes rapit, qui oculos fidei in illum conjiciunt. Cumque nihil mentem magis ornare, & erga eam affectus admirationis, amoris & honoris excitare possit, quam virtutes, per qvas perficitur, quasque in operationibus suis manifestat, hinc pulchritudinem mentis in habitu atque exercitio virtutum potissimum consistere æqui rerum arbitri persuasi sunt. In quam rem plura infra Exerc. IX. §. 15. adduco, ubi de pulchritudine Sponsæ ago.

V. Operæ autem est pretium, ut summa cœlestis *pulchritudinis*, qua fulget Messias, capita paucis delibemus לחזות בנעם יהוה i. *ad adspiciendum suavitatem Jehovæ*, quod unicum Davidi in votis erat Ps. XXVII, 4. Spiritus sane prophetiæ triplicem ejus pulchritudinem commendat, ut *Dei*, ut *hominis*, ut *Mediatoris*, & a quacunque illum parte intueatur Sponsa, fateri necesse habet: כלו מחמדים i. *Universum ejus sunt desiderabilia* Cant. V, 16. *Partes pulchritudo Messiæ describitur.*

VI. Summum *pulchritudinis* suæ fastigium est *Divinitatis* gloria, quæ Messiæ ut filio unigenito pari cum Patre gradu convenit. Quicquid in essentia Dei, qui totus quantus quantus AMOR est 1. Joh. IV, 8. amabile reperitur, Messiæ competit. Patet id ex attributis & operibus præstantissimis ei adscriptis. Jes. IX, 5. XLV. 18-21. XLVIII, 12-16. Tribuitur ei *vita* perfectissima Job. XIX, 25. omniscientia Ps. CXXXIX, 7. sapientia summa Prov. IX, 1. libertas indeterminata Jes. XLVI, 10. sanctitas excellentissima Jes. VI, 3. justitia & bonitas Psal. CXLV, 7-9. æternitas Proverb. VIII, 22-23. independentia Jes. XLI, 4. XLVIII, 12. omnipotentia ibid. v. 13. & sic deinceps. Unde singula nomina divina ei competunt, præcipue *pulcherrimum* id *1.) quoad divinam ejus naturam:*

Dei memoriale, *Jehova* Jerem. XXIII, 6. XXXIII, 16. Et agnovit id catecheſis priſcorum Judæorum, uti a Viris doctis abunde demonſtratum eſt, præcipue in conſtitutione τῶν *Sephiroth*, virtutes Meſſiæ exprimentium.

2.) *quoad humanitatem in ortu:*

VII. Nec caruit ſua pulchritudine *humanitas* Meſſiæ ſive ortum ejus, ſive diverſas, quas ſubivit, conditiones luſtremus. Si ortum reſpicias, quid pulchrius, quam immaculatum ex Virgine naſci? Jes. VII, 14. Jerem. XXXI, 22. *Ut cum lucente mane oritur Sol: ut mane non nubilo herba tenera a terra exiſtit, a ſplendore poſt pluviam* 2. Sam. XXIII, 4. Conditio erat tum privata, tum publica. Privata ſuam quoque decentiam habere debebat, cum *ſuper DEUM projectus eſſet ab utero* Pſ. XXII, 11. *butyrum ac mel comedens* Jes. VII, 15. *ramus tenellus & lanugine veſtitus* Ezech. XVII, 22. Sed magis publica, ſive exinanitam ſive exaltatam contemplemur. In exinanita carni *nulla* videbatur *forma, nec decus eſſe* Jeſ. LIII, 2. 3. Sed qui aciem mentis intendebat, is *pulchritudinem* tectum quidem ſed non diminutum iri prævidebat. *Habitabat* hic divina gloria, ut olim in tabernaculo Levit. XXVI, 12. Zach. II, 10. quod exterius hirſuta pelle tectum & omnibus aëris incommodis expoſitum, interius auro rutilabat. *Pulcher* futurus erat donis quieſcentis in eo Spiritus Jes. XI, 2. XLII, 1. LXI. 1. 2. *pulcher* perfectiſſimo virtutum omnium exemplo Pſ. XVI, 7. 8. XL, 8. 10. Jeſ. L, 5. ut חסיד *ſanctiſſimus*, ſeu *ſtudioſiſſimus* ille *DEI* Deut. XXXIII, 8. Pſ. IV, 4. XVI, 10. *pulcher* in doctrinæ ſuavitate *proferens verba elegantia* Gen. XLIX, 21. Jeſ. XLII, 2. 3. L, 4. *pulcher* in miraculis Jeſ. IX, 6. Joel. II, 26. *pulcher* in ipſis paſſionibus, quas ſecundum conſilium Dei in teſtimonium incomprehenſibilis amoris patienter ſubiturus. Zach. III, 9. Jes. LIII, 7. Sed longe *pulchrior* proditura humanitas ex vinculis mortis liberata, immortalitate donata, ſummæ beatitudinis & gloriæ per adſcenſum in cœlos compos facta: de quo Pſ. XVI, 10. 11. Jeſ. LIII, 8. 10. & multis aliis in locis.

in vita tum privata,

tum publica, tam in exinanitione,

quam in exaltatione.

VIII. Po-

VIII. Potissimum tamen hic ea *pulchritudo* respicitur, qua ut *Mediator* exornandus erat. In hac ἀλόγῳ *germen Jehovæ* (sive ut alii non male vertunt & præferunt, *splendor Jehovæ*, quod docte defendit *Steph. le Moyne* ad Jerem. XXIII, 6. cap. 2. p. m. 35. sq.) *gloriæ & honori erit, & fructus ille terræ excellentiæ & ornamento superstitibus Israëlis* Jes. IV, 1. Ubi pulchritudinem Messiæ Targum agnovit, vertens: בעידנא ההיא יהא משיחא דיהוה לחדוא וליקר i. *in tempore illo erit Messias Jehovæ ad gaudium & ad honorem.* Virtutes, quas in opere mediatorio exseruit, sunt præcipuum decus ejus, in quo amari & glorificari cupit. Hæ *bonitas* & *gloria* ejus appellantur Exod. XXXIII, 19. 22. 23. XXXIV, 5. Et certe tam susceptio quam executio operis mediatorii eum pulchrum & desiderabilem tum in *oculis DEI* tum in *oculis peccatoris* reddebat. 3.) *quoad munus ejus mediatorium:*

IX. In oculis DEI Patris sui merito *formosus* apparebat, qui tanto studio se voluntati ejus exequendæ applicabat Ps. XL, 7. 8. 9. Jerem. XXX, 21. *qui* quicquid per peccatorem in operibus Dei vastatum videbatur, restitutum ibat Job. XXXIII, 24. *qui* omnem gloriam & perfectionem Dei inter homines obscuratam non tantum verbis notam faciebat Psal. XL, 10. 11. LXIX, 31. 32. CXVIII, 17. sed etiam facto ipso & illustrissimo omnisufficientiæ divinæ exemplo confirmabat Ps. XVI, 2. 3. LXXI, 16. Hinc non tantum ut *nutritius* ejus ab æterno *in gremio ejus luserat* Prov. VIII, 30. sed etiam ut *dilectus DEI* Deut. XXXIII, 12. Jes. V, 1. de quo egregio prædicato consulendus celeberrimus Præceptor meus *Roellius* in Eph. I. p. 793. sqq. Porro ut *servus DEI electus*, *in quo placebat sibi* in tempore manifestandus Jes. XLII, 1. & quod magis erat, ipse ut כבוד יהוה *Gloria Jehovæ* proditurus Jes. XL. 5. Ezech. I, 28. quo nomine *R. Bechai* frequenter Messiam appellare ab aliis notatum est. Huc collimatur, quando sub typo Zorobabelis, *sigillum DEI* Hagg. II, 23. nominatur, a Patre in summo pretio habitum, Patrem ornans, Patrem exprimens. Ex eodem fonte ut *facies Jehovæ* Exod. XXXIII, 14. 15. ut *Angelus* a) *in oculis Patris sui:*

Digreſſio, in qua probatur Ex. XXIII, 21. non Spiritum Sanctum ſed Filium deſignari, ubi ſolutis argumentis quæ affe-runtur,

faciei Jes. LXIII, 9. *in quo nomen Jehovæ eſt*, deſcribitur Exod. XXIII, 21. Sunt, qui hunc locum malunt de Spiritu Sancto accipi, his potiſſimum uſi argumentis 1) quia perſona loquens eſt Filius, quod ex nexu patet: 2) quia *Angeli* nomen jam Abrahami temporibus geſſit: 3) quia ſicut *Spiritus ducit pios in via plana*, Pſ. CXLIII, 10. ita Iſraëlem cum Principe ſalutis in Canaanem introduxit Jeſ. LXIII, 11. 4) Quia Spiritus hic ab Iſraële *exacerbatus eſt* Jes. LXIII, 9, 10. 5) quia peccata in ipſum commiſſa *non condonantur* Matth. XII, 32. 6) quia *in ejus medio* eſt Filii *nomen*, cum ſine eo Dominum nuncupare Chriſtum non poſſimus. His argumentis pugnat doctiſſimus deceſſor meus *D. Schmedes* in Oratione de Apparit. Sp. S, ſed non vincit. Reſponderi poteſt ad 1) Ex nexu videre eſt, verba hæc eſſe verba Patris, qui cap. XXIV, 1. diſtinguitur a Jehova, ad quem Moſes jubetur adſcendere. Damus Filium locutum eſſe in Sinai Act. VII, 38. Hebr. XII, 25. 26. Sed an ſolus? Præcipue cum hoc Angeli teſtimonium ante adſcenſum Moſis in montem editum ſit. Accedit, quod ſi vel maxime Filius hic ipſe fuerit, ut alias tantum non perpetuo, המדבר *loquens ille*, & *Verbum Dei*, id tamen quod proferebat, ſæpiſſime in nomine Patris proferebat, ita ut verba, quæ loquebatur, non ſua ſed Patris eſſent. Quod infra §. XII. prolixius aſſerendi redibit locus. Ipſum Judæum *Bechai* heic *Dominum per eminentiam ſic dictum* ut loquentem concipere, docet *Cramerus* Theol. Iſrael. P. II. p. m. 7. Ad 2) Id in controverſo eſt. Reſpicitur ad hiſtoriam Gen. XVIII. XIX. ubi quidam ſub trium Virorum ſpecie tres Hypoſtaſes eſſentiæ divinæ, alii ſolum Filium Archangelum cum comitibus duobis creatis angelis apparuiſſe putant. Nec carent poſteriores conjecturis, quibus cauſſam ſuam probabilem reddere ſatagunt. Conferri meretur poſt *Coccejum*, *Witſium* & alios Cl. *Braunius* in Ep. ad Hebr. p. 916, ſq. Quicquid id ſit, ſi prius concederetur, nulla tamen eſt conſequentiæ vis. Ad 3) Non negamus Spiritum Chriſti comitem fuiſſe, ſed Chriſtus tamen Dux primarius erat: qualis hic deſcribitur. Et

locus

locus Jes. LXIII, 11. inspectus hic non quadrat. Diversa est phrasis; diversus scopus. Ad 4.) Verba Prophetæ propius inspecta *Spiritum dolore affectum* clare distinguunt ab Angelo cui *inobedientes exstiterunt.* Posterius loco nostro parallelum est, non prius. Ad 5.) Blasphemia in Spiritum Sanctum aliud erat peccati genus: alia quoque cum apparitione Christi in carne inchoabat Œconomia. Ad 6.) Interpretatio hæc coacta est & phrasis majori jure pro nobis militat. Fortioribus ergo rationibus inducti receptæ sententiæ eorum qui per Angelum hunc Messiam intelligunt pollicem addimus. 1.) Pro nobis militat nexus, qui verba esse verba Patris evincit. 2.) Symbolum Angeli frequentissime Filio convenit, rarius Spiritui Sancto: unde, nisi quid obstet, de Filio potissimum cogitandum est. 3.) Ille qui Israelem in Canaanem duxit, extra controversiam is fuit, qui in nube habitavit, quem qui Filium fuisse negat, is totam V. T. Oeconomiam turbatum it. Clarum id est ex Ps. LXVIII. ubi qui v. 8. *præcedebat coram populo suo*, v. 19. *ascendit in altum*: quod secundum Eph. IV. 8. in Christo impletum est. 4.) Ad Filii quoque obedientiam singulari modo obstringendus erat Israel, cujus Theocratia inter Israelem stabilita extra dubitationis aleam est. 5.) נשא פשע sive vertas *condonare peccatum*, sive *tollere, auferre peccatum*, utrumque enim locum habet, opus in summa emphasi Filii est, qui ut agnus Dei *peccata mundi abstulit*, & inde condonandi peccata jus acquisivit. Videant dissentientes, an soleat ita Scriptura de Spiritu Sancto loqui? 6.) Nec potiori jure quicquam Filio vindicatur, quam quod *nomen Jehovæ in medio* ejus sit. *Sive* enim per *nomen* illud essentiam divinam, *sive* legem & voluntatem DEI, *sive* virtutes ejus, maxime eas quæ in fœdere gratiæ revelatæ sunt, *sive* arctissimo sensu nomen memoriale Jehova intelligatur, ea omnia in Filio elucescunt. 7.) Conferatur Exod. III, 7. 8. ubi eundem Angelum, de quo hic sermo est, apparuisse Mosi in rubo patet, quia eandem ductionem in Canaanem promisisse perhibetur. Nec dubita-

contrariis argumentis nostra sententia stabilitur.

dubitare nos sinit Stephanus de eodem Angelo utrumque prædicans Act. VII, 30. 35. 38. Unde etiam *Abarbaneli* ad hunc locum, verbis quæ infra §. XII. citamus, subnata occasio, nostrum angelum מלאך הגואל, *Angelum Redemtorem* nominandi. Nec abludit *R. Elias* in Tischbi fol. 53. col. 1. ubi *Angelum faciei*, de quo heic Jesaias, cum *Angelo*, *in quo nomen Jehova* est, quin & cum *Angelo Metatore* eundem facit. Verba hæc sunt: מטטרון שר הפנים אמרים שהוא המלאך הרואה תמיד פני המלך יתעלה ועליו נאמר כי שמי בקרבו ששמו כשם רבו מטטרון בגימטריא שדי i. *Metatron est Princeps facierum. Dicunt, quod ille sit Angelus videns jugiter faciem benedicti Regis. Et de eo dicitur* (Exod. XXIII, 21.) *quia nomen meum in medio ejus. Nam nomen ejus sicut nomen Domini sui. Metatron enim in gematria idem valet quod Schaddai.* 8) Clarissimus est locus Jes. LXIII, 9 10. 11. sine dubio nostro parallelus, sed in quo idem Angelus, ut גואל *Redemtor* & מושיע *Salvator* Israelis introducitur, qui tituli Filio competunt. 9) Ut prætereamus, huic testimonio parallelum esse illud, quod Matth. XVII, 5. præsente eodem Mose, in alio monte Filio a Patre datur, & quo ad *eum audiendum* Israel spiritualis obstringitur. 10) Ipsi Rabbini in hanc sententiam pedibus eunt. Addi potest modo citatis, qui Angelum Goelem intelligi perhibent, *R. Moses Nachmanides* in Pentateuch. fol. 76. col. 3. ad Exod. XXXIII, 14. in verba: *facies mea ibit*, Angelum fœderis cum nostro eundem esse contendens, quando ait: פני ילכו מלאך חבריח אשר אתם חפצים שבו יראו פני שעליו נאמר בעת רצון עניתיך כי שמי בקרבו i. *Facies ibunt* (scilicet) *Angelus fœderis, quem vos desideratis, in quo facies mea videbitur, de qua dicitur* (Jes. XLIX. 8.) *in tempore beneplaciti respondi tibi; nam* (Exod. XXIII, 21.) *nomen meum est in illo.* Similiter *R. Menachem* cujus hæc verba ad Exod. XXIII, 21. citat *Altingius* Opp. Tom. I. p. 36. *Hic fuit Michael, & dicitur Angelus Domini, non DEI: quia indicatur in doctrina: sed visus in flamma ignis ad judicium designandum.* Rursum: *Hic Angelus est Angelus Goel, qui Jacobo se dixit DEUM Bethel; hic*

hic est, de quo dicitur: & Angelus faciei ejus servavit eos. Colludit *Bechai* ab eodem prolegom. in Jerem. p. 660. citatus, cujus locus prolixus ibi legi potest. Invenies eundem cum plurimis aliis exscriptum a Clar. *Edzardo* in Berach cap. I. pag. 229, sqq.

X. Sed ut ad telam, quam orsi sumus, pertexendam redeamus, idem opus mediatorium Messiam ut *pulchrum* in relatione ad peccatorem sistit. Ad quam relationem a Psal-mista nostro potissimum respicitur, quia id, quod Sponsæ eum amabilem reddere poterat, potissimum prædicare e re erat. Et sane hanc ejus *pulchritudinem* ut delineet, omnes nervos Spiritus Sanctus intendit. Pulcherrimos heic titulos, pulcherrima symbola, pulcherrimos typos Scriptura cumulat, quorum solum catalogum si exscribere vellemus, in latissimum hic iterum campum exspatiari oporteret. Quam *pulchri* sunt, quibus Messias, cumulatur, *tituli?* Fit *semen mulieris* Gen. III, 15. *Schilo* & *salus Jehovæ* Gen. XLIX, 10 18. *Melchisedecus*, Rex justitiæ & pacis Gen. XIV, 18. *Deus salutum* Ps. LXVIII, 21 *Immanuel* Jes. VII, 14. *Jehova justitia nostra* Jer. XXIII, 6. *desiderium gentium* Hagg. II, 7. *Angelus fœderis* Mal. III, 1. Quam *pulchra* adhibentur *emblemata?* Quicquid tota ferme natura pulchrum habet, Spiritus quasi in auxilium vocat, ut qualiscunque *pulchritudinis* Filii Dei imago cordibus fidelium imprimatur. Hinc Messias est *Aquila* Deut. XXXII, 11. Prov, XXX 19. *Arx* Prov. XVIII. 10 *Botrus Copher* Cant. I, 14. *Cedrus* Ezech. XVII, 23. *Cervus* Cant. VII, 14. *Clypeus* Ps. VII, 11. LXXXIV, 10. *Cornu* Psal. CXXXII, 17. Ezech. XXXI, 21. *Fons apertus* Zach. XIII, 1, *Fons vitæ* Ps. XXXVI, 10. *Lapis pretiosus, angularis, fundamenti* Jes. XXVIII, 16. *Leo* Gen. XLIX, 9. *Lux* Jes. IX, 2. XLIX, 6. *Lucerna* Psal. CXXXII, 17. *Malus* Cant II, 3. *Myrrhæ fasciculus* Cant. I, 13. *Pastor* Ps. XXIII, 1. Ezech. XXXIV, 23. *Radix Jesse* Jes. XI, 10. *Rupes salutis* Deut. XXXII, 15. *Sceptrum* Num. XXIV, 17. *Sol* 2. Sam. XXIII, 4. *Stella* Numer. XXIV, 17. *Vexillum* Jes. XI, 10. LIX, 19. Quam pulchri fuere

b) pulcher etiam est Messias in oculis peccatoris:

quod ingenere docetur

ex titulis, qui ei ut Mediatori dantur,

ex emblematibus,

typis, *typi*, quibus eandem præſtantiam in umbra Patribus exhibere Deus voluit? Sive enim de *typis perſonalibus* cogitemus, huc pertinet Adamus ipſe imagine DEI conſpicuus, & in ea ſecundum Adamum repræſentans, *Habel*, *Henochus*, *Noachus*, *Semus*, *Abrahamus*, *Iſaacus*, *Jacobus*, *Joſephus*, *Moſes*, *Joſua &c.* In hunc cenſum veniunt גואלים *Redemtores*, *Reges*, *Sacerdotes*, *Prophetæ*, *Naziræi*, & quicunque inter ſanctos ante Meſſiæ adventum aliqua prærogativa eminuerunt. Eousque, ut quicquid in horum ſeu qualitatibus, ſeu actionibus pulchrum & amabile fuit, iſtud omne ſimul & excellentiſſimo modo in eo debuerit conſpici, qui pro Rege Meſſia agnoſcendus erat. Sive *typos reales* contemplemur, amœniſſima eorum omni tempore varietas ad eundem ſcopum collimavit. Juvat hic meminiſſe *arboris vitæ*, *iridis*, *ſcalæ Jacobi*, *columnæ nubis & ignis*, *virgæ Aaronis*, *Mannæ*, *petræ in deſerto*, *tabernaculi & templi*, nobiliſſimorumque, quibus hæc ædificia ſuperbiebant, inſtrumentorum. Et quid tot *apparitiones* in Sinai Exod. XXIV. XXXIII. Jeſaiæ cap. VI. Ezechieli c. I. & X. Danieli c. VII. exhibitæ, niſi eidem pulchritudini præludebant?

& apparationibus opus mediatorium adumbrantibus.

In ſpecie pulchritudo hæc in ſingulis partibus operis mediatorii indicatur: in molimine: in conſummatione ſalutis: in fructibus:

XI. Quicquid autem ſub his involucris latet, id in plena luce ſiſtitur, quando integrum *operis mediatorii* nexum ejusque *tum* molimen, *tum* conſummationem, *tum* fructus, *tum* Œconomias perluſtramus. Ubique enim æque *pulcher* tanti operis Auctor apparet. *Pulcher* in *moliminibus* ſuis ab æterno Prov. VIII, 22. *Pulchrior* in ſalute *actu parta*, ubi ſe demonſtravit uti *rupes*, cujus *opus eſt perfectum* Deut. XXXII, 4. Quod patebit amplius, ubi ad filum Pſalmi ſingula munia contemplabimur, quibus, ut totum ſalutis negotium abſolveret, defunctus eſt. Quam *pulchri* autem inde protuberarunt *fructus*, ſeu bona fœderis gratiæ univerſim, ſeu bona Novi Teſtamenti ſpeciatim memorare juvet? De his Zach. IX, 17. *Quantum erit bonum ejus! & quanta pulchritudo ejus! Frumentum juvenes & muſtum facunda faciet virgines.* Et quis

pro

pro dignitate exprimat greſſuum Regis noſtri *decentiam in* diverſis *Oeconomiis*, quibus Eccleſiam rexit? Merito *viæ* Sapientiæ *pulchræ* eſſe perhibentur Prov. III, 17. ſive *egreſſiones ejus ab antiquo*, *a diebus ſeculi* Mich. V, 2. ſive *greſſus ejus mirabiles in ſanctuario* Novi Teſtamenti Pſ. LXVIII, 25. 36. perpendamus, quod nunc non perſequimur. Suffecerit notatis præcipuis cœleſtis *pulchritudinis* partibus, de ea profundius meditandi anſam præbuiſſe iis, quorum animæ oculis fidei & amoris in amabile hoc objectum fixæ ſunt. *in œconomiis ſalutis.*

XII. Ulterius nos evehit Propheta, quando Heroem ſuum ſiſtit ut PULCHERRIMUM. Notanda hic eſt radicis יפה duplicatio. Unde *Aquilas* vertit: καὶ ἐκαλλωπίθης: *Symmachus*: καὶ καλὸς εἶ. Duplicatio literarum radicalium eam emphaſin habet, ut ſignificatum intendat. *Abenezra* geminationem ſecundæ & tertiæ radicalis minuere, primæ vero & ſecundæ, qualis heic eſt, intendere ſignificationem tradit. Exempla excerpſit ad h. loc. *Geierus*. *Kimchius* hanc diſtinctionem reſpuit & omnem duplicationem augere ſenſum vult. Et exempla in contrarium affert *Bochartus* Hieroz. II. lib. 5. c. 6. p. 689. Iſtud ſecundum utrosque certum eſt, heic pro indicio ſuperlativi gradus habendam eſſe, atque deſignare Regem Meſſiam excellentiſſimum *ſummæ pulchritudinis* gradum poſſidere, qui tam alte eum evehit, ut fruſtra ei compar aliquid in toto univerſo quæratur. Hoc prædicatum tam auguſtum eſt, ut merito in anguſtias hic cogantur, qui literale in Salomone implementum quærunt. Nam ſi externam hic pulchritudinem intelligere fas eſſet, videant, ne Abſolonem Salomoni præferendam eſſe hoc nomine vel ex ipſa Scriptura diſcant. De eo enim 2. Sam. XIV, 25, tam eximia pulchritudo prædicatur, *ut ſimilem non habuerit in omni Iſraele &c.* Ubi id de Salomone? *Muſculus* ſe expedire tentat. Arbitror, air, Salomonem, ut hic verſus habet, ſingulari quadam venuſtate corporis decoratum, ideo prælatum eſſe reliquis, quod illi adjuncta fuerint reliqua talia ac tanta dona, " *Pulcherrimus dicitur Meſſias, ut ejus excellentia, infinitas & unitas tam in eſſentia quam in munere exprimatur.*

Landesbibliothek Oldenburg

"quæ & hoc Pſalmo connumerabuntur, quibus quæ erat "pulchritudo corporis, ſit plurimum commendata & conſpicatior facta. Sed quam hoc frigidiusculum! Quanto ἐμφατικώτερον, quanto dignius erit cantico ſacro in cultu DEI decinendo, ſi hoc pro prædicato ſoli Meſſiæ competenti habeamus? Ille meretur dici *pulcherrimus*, quia nil ejus excellentiæ ſimile in toto univerſo reperitur, quia eſſentia infinitus & unus eſt, nusquam nec parem nec ſuperiorem habens: τὸ ἓν τῆς Θεότητος una cum Patre & Spiritu conſtituens: in opere mediatorio unus & ſolus, excluſis omnibus creaturis, in quas nil niſi umbra horum prædicatorum cadit. Ita deſcribitur Pſ. LXXXIX, 7. 9. Hinc inter nomina ejus eſt עליון *Altiſſimus* Pſ. XLVI, 5. LXXVIII, 17. 35, & מיכאל *Michael* Dan. X, 13. 21. XII, 1, quod deſignat: *Quis eſt ſicut Deus fortis?* Non moror eos, qui per *Michaelem* aut cum *Gomaro* Judæisve angelum creatum, aut cum *Bekkero* ſymbolicam repræſentationem præſentiæ divinæ, aut, quod nuper placuit Celeberrimo *Honerto* in viis Dei p. m. 954. 955. Spiritum Sanctum intelligunt. Accurata omnium locorum, qui de Michaele agunt inſpectio, in ſolum Meſſiam conſpirat. I. Dan. X. ille qui loquitur ad Prophetam, ſuus *Gabriel* eſt, ille cui aſſueverat, arcanorum DEI interpres, quod patet ex coll. v. 11. 12. 19. cum VIII, 16. IX, 23. quem Spiritum Sanctum deſignare concedimus. Is vero ſe expreſſiſſime a Michaele diſtinguit, quando ait *Michaelem veniſſe ad juvandum ſe*, v. 13. & *ſecum ſe confirmaſſe ad illa* v. 21. Clariſſime ergo exprimitur ſocietas & conſilii & adjumenti, quæ inter duos hos Archangelos *Michaelem* & *Gabrielem*, ſeu melius, Filium & Spiritum Sanctum eſt. Ipſum viſum hoc declarat. Duas enim perſonas in eo obvenire patebit & hiſtoriam inſpicienti, & conferenti Dan. VIII. 16. ubi itidem duarum perſonarum mentio fit, Gabrielis, & viri, qui eum mittebat. Vir, a quo Gabriel exit, noſtro capite v. 5. 6. deſcribitur: *Ecce vir unus, indutus lineis; cujus lumbi accincti erant inſigni auro Uphaz, corpus ejus ſimile beryllo thalaſ-*

Excurſio fit ut probetur Michaelem eſſe Filium Dei, non Spiritum Sanctum, quod ſequi indicatur:

1. Ex clara inter Michaelem & Gabrielem diſtinctione, quem Spiritum Sanctum deſignare concedatur:

thalassio & vultus ejus similis speciei fulguris, oculique ejus similes tædis ardentibus, & brachia ejus ac pedes ejus similes colori æris terssi: sonus autem verborum ejus similis sono multitudinis. Quis non viso huic insignem & evidentissimam cum viso Johannis Apoc. I. convenientiam intercedere, atque adeo ipsum Filium DEI hic describi fateatur? Quando ergo cum Gabriele apparet, eopse indigitat, se illum Gabrielis comitem & socium in exequendis consiliis divinis esse, qui cum ipso missus est Jes. XLVIII, 16. in quo loco clare innuitur, Patrem in Oeconomia salutis mittentis, Filium vero & Spiritum S. Angelorum, qui mittuntur, schema gerere. II. Quin omnia *Michaelis* prædicata, quorum apud Danielem fit mentio, Messiæ conveniunt. Est *Primus e Principibus primariis*, v. 13. Est *Princeps Israelis* v. 21. Adeoque idem, qui c. VIII, 25 vocatus *Princeps principum.* Titulus שר seu *Princeps* inter Messiæ titulos frequens est Jes. IX, 5. Jos. V, 14. ubi *Princeps exercitus DEI* cluit. *Jacchiades* sane, licet ex communi errore Judæorum, angelum esse perhibeat, supra angelorum tamen sortem eum evehit, quando eum in Paraphrasi sua אחד והמיוחד מהשריכם הראשונים i. *Primum & dotibus separatum e primariis Principibus* nominat: ubi מיוחד *primatum* in cætu & donorum super alios excellentiam designare probat *Constantinus l'Empereur* in notis pag. 209. Nec minus ei competunt omnia, quæ Dan. XII, 1. in ejus descriptione memorantur, ubi non tantum iterato & emphatice *Princeps ille magnus* appellatur, sed etiam ut *stans* & *stans pro filiis populi Israelis* introducitur. *Stare* sane pro aliis aut intercessorum aut ducum est. Utrumque Messiæ competit. Prius placet *Jacchiadæ.* Ad postremum tamen potissimum hic collimatur. Et conferri possunt Jes. XI, 10. ubi radix Jesse *stans* & Apoc. XIV, 1. ubi agnus in monte Zion *stans* introducitur. III. Ipsa Novi Testamenti loca hanc sententiam stabiliunt. Quod Judas v. 9. de Archangelo Michaele perhibet, recte confertur cum Zach. III, 1. ubi eadem lis *Angelo Jehovæ* cum Satana intercedit. Ex quo sequitur

2.) *Ex prædicatis, quæ Michaeli dantur, Filio DEI convenientibus.*

3.) *ex collato loco Jud. v. 9. qui ex Zach. III. explicari debet:*

quitur, eundem esse *Michaelem* cum illo *Angelo Jehovæ*. Nexus autem totius visi bene perpensus satis declarat, eum non tantum Angelum increatum fuisse, qui statim ipse *Jehova* v. 2. appellatur, sed etiam Filium DEI. Est enim Jehosuæ advocatus. Et licet hic distinguere singulas tres in essentia Dei Hypostases. Jehova, qui *Hierosolymas elegit* Pater est. Illi qui *adstabant* v. 4. vestesque Jehosuæ mutabant, sunt *septem Spiritus, qui sunt coram throno DEI* Apoc. I. 4. id est, ipse Spiritus Sanctus diversis temporibus multifariam gratiam dispensans & vestes justitiæ atque sanctitatis converso Israeli, Jehosuæ antitypo, applicans. Ab his ex illo distinctus *Jehova*, qui est *Angelus Jehovæ*, neminem nisi Filium DEI repræsentat. Nec obstat, ab hoc Angelo promitti *virum Zæmach* v. 8. Nam ex v. 6. simul patet, illum hanc promissionem non suo sed Patris nomine proferre. Ait enim: *Ita inquit Jehova Zebaoth.* Atque hic iterum usu venit regula hermeneutica, quam §. XI. dedimus: *Filium DEI, id quod profert, sæpenumero in nomine Patris proferre.* Cujus consuetudinis multa exempla produci possent. Solum sufficiet protevangelium, quod a Filio DEI prolatum esse dubitari nequit. Probavit id affatim ὁ νῦν ἐν ἁγίοις Celeberrimus *Cornelius Hasæus*, præceptor quondam meus, cujus memoria in benedictione est, eruditissimæ dissertationis, quæ Thesauri Theologico-Philologici insigne ornamentum est, & in Vol. I. reperitur de Proteuang. cap. 1. Cujus argumentis id tantum addi velim, eum qui hic loquitur Gen. III, 8. dici *Vocem Jehova*, eique *ambulationem* tribui, ut ex eo pateſcat, non tantum illum, qui λόγος, sed etiam in forma humana præludentem futuræ incarnationi primam illam promissionem publicasse. Et tamen de semine mulieris, quasi a persona loquentis distincto sermonem instituit. Quænam ratio, nisi quia Patris, seu mavis, totius Trinitatis beneplacitum notum faciebat? Canon noster eo certior est, quia Salvator ipse Joh. V, 37. asserit: *Patrem de se testatum esse, nec tamen ejus vocem auditam esse unquam.* Ex quo patet, in visioni-

Filius DEI sæpe in nomine Patris loquitur: jam in ipso Proteuangelio.

sionibus & apparitionibus divinis, quamvis *verba* efferantur, quæ sunt verba Patris, *vocem* tamen non fuisse Patris, sed Filii. IV. Habet quoque hic singularem emphasin, quod Judas Michaelem ἀρχάγγελον nuncupet, qui titulus cum singulari efficacia *Filio* competit, qui revera legationis divinæ ad peccatorem caput est, & hoc nomine in ordine Œconomiæ salutis super Spiritum Sanctum evectus, Jes. XLVIII, 16. Unde & per φωνὴν ἀρχαγγέλου 1. Thess. IV, 16. eadem *vox* intelligi debet, quæ Joh. V, 28. describitur. Restat locus Apoc. XII, 7. qui de *pugna Michaelis & Angelorum ejus contra draconem & angelos ejus* agit. Sed ille quoque ita parallelus est primæ promissioni Gen. III, 15. ut ad oculum pateſcat Michaelem cum Semine mulieris eundem esse. Judæos suis de Hierarchia Angelorum somniis fascinatos *Michaeli* illustriorem inter angelos locum adscribere jam innuimus. Ita tamen, ut talia ei tribuant, quæ Messiæ priva sunt. In libro *Chidduschè Haggadoth* fol. 3. col. 1. *in templo cœlo sacrificare* dicitur. In *Jalkut chadasch* fol. 81, col. 4. appellatur: כהן גדול של מעלה *Sacerdos magnus in cœlo*, Convenit Author *Schaare ora* fol. 60. col. 3. מיכאל הכהן הגדול שהוא נושא דגל " יתברך מסר אותו לישראל i. *Michaelem Sacerdotem summum, qui fert vexillum, Jehova benedictus dedit Israeli* sc. in Principem. Præcipue hic notandum, vulgatam esse eorum sententiam, virum, quocum Jacobus luctabatur, Michaelem fuisse. *Jalkut chadasch* fol. 119. col. 4. num. 101. אותו המלאך שנתאבק עם יעקב היה מיכאל וכוונתו היתה לשם שמים וגו' i. *Ille Angelus qui luctabatur cum Jacobo, fuit Michael, cujus scopus erat ad nomen DEI.* Plures authores in eandem sententiam consspirantes collegit *Eisenmengerus* in libro doctissimo, qui Judæorum in eo supprimendo artes & furores omnes nuper feliciter fefellit & in lucem vernacula lingua prodiit, Revelati Judaismi P. I. cap. 18. p. 845. 846. 851. Virum autem illum Messiam ipsum fuisse luce meridiana clarius est. Et majus est, quod *Abarbanel* in Parascha Mischpatim ad Exod. XXIII, 20. eundem & Angelum Doctorem Israelis & Michaelem

4.) *ex nomine Archangeli:*

5.) *ex descriptione pugnæ Michaelis Apoc. XII, 7. necessario cum pugna seminis mulieris conferenda.*

Illustratur hypothesis ex Judæorum placitis.

Landesbibliothek Oldenburg

lem & Goelem fuiſſe cenſet: המלאך הנזכר כאן הוא מיכאל השר הגדול והוא המלאך הגואל ששמו כשמם רבו הנקרא מלאך פניו i. *Angelus, cujus hic mentio fit, eſt Michael Princeps ille magnus: & ille idem eſt Angelus Goel, cujus nomen eſt, ſicut nomen Magiſtri ſui, qui vocatur Angelus faciei ejus.* Præ reliquis autem hic adſcribi merentur verba *Bechai* ab *Altingio* Analys. Exeget. Exod. T. I. opp. p. 55. adducta, qui ad Exod. XXIII. Filio Dei ſupra a nobis vindicatum locum ita ait: *Hic eſt Michael de quo* Dan. XII, 1. X. 21. *idem qui apparuit Joſuæ* Jos. V. 14. *Non eſt de eorum genere, qui ſunt ſeparatæ ſubſtantiæ, ſed immanent in DEO, qui procedit a DEO, uti mulier a viro, de quo deſumta fuit. Dicitur meus Angelus, qui mihi dilectiſſimus, utpote per quem mundo innoteſco. De hoc loquitur* Exod. XXIII, 24. *facies mea & Eſa. LXIII, 9. Angelus faciei, hoc eſt Angelus, qui eſt facies ejus. Appellatur Angelus (legatus) quamvis non ſit de ſeparatis ſubſtantiis, quia adminiſtratio totius mundi ipſi commiſſa eſt. Atque huic Angelo eſt poteſtas remittendi peccata, & condonatio ipſi tradita eſt, Michael enim conſtitutus eſt ſuper remiſſione: quia præfectus gratiæ & reſipiſcentiæ. Quod autem ad* Pſ. CXXX, 4 *dicunt Rabbini: non tradidiſti R. P. ulli Angelo, intelligendum eſt de iis, qui ſunt ſeparatæ eſſentiæ. Vox ipſius NB. eſt DEI altiſſimi vox, & eſt verbum Domini, qui in ipſo & per ipſum, imo ipſo loquente loquitur.* Iſtud certum eſt, duo tantum nomina Angelorum ſymbolica reperiri in ſacro codice, *Gabrielis* & *Michaelis*, quæ qui creatorum Angelorum propria eſſe autumat, is ſane Angelorum naturam ſpiritualem eſſe oblivi-ſcitur, quæ nec lingua nec vocibus utitur. Hinc enim ſequitur, quod nec nomina propria ad nominum humanorum rationem compoſita iis commode tribui poſſint. Quod ſi quis exiſtimet, nomina hæc non propria, ſed *ſymbolica* eſſe, quibus munus eorum indicatur, illi incumbit rationem ſufficientem adducere, cur duobus certis ex choro Angelorum ſuppoſitis hæc nomina ſigillatim conveniant. Quæ enim hactenus adducta ſunt, omnibus Angelis communia ſunt. Accedit,

Duo tantum Angelorum nomina ſymbolica in ſacris reperiuntur, de increatis intelligenda.

cedit, quod non tantum *Michaeli*, sed etiam *Gabrieli* talia tribuantur, quæ in personam divinam solum quadrant. Quo præcipue spectat alloquium Danielis c. X. 16. 17. ad Virum a Michaele distinctum, (uti patet ex responsione ejus v. 21.) adeoque ad Gabrielem: *Domine mi, in visione multis doloribus oppressus sum; & non retinui vires. Et quomodo poterit servus Domini mei hic loqui cum Domino meo hoc?* Nusquam enim in more positum fuit sanctis, se servos Angelorum profiteri. Quare nil proclivius cogitatu, quam *Gabrielem* & *Michaelem* binas sacrosanctæ Triados Hypostases designare, quæ a Patre altera ad acquirendam, altera ad applicandam salutem missæ sunt, illumque Spiritus Sanctum, hunc Filii emblema in se continere. Et conveniunt nomina. *Gabriel* enim potentiam DEI designat. Jam vero constat, uti in Œconomia salutis Pater justitiam, Filius amorem divinum, ita Spiritum Sanctum potissimum potentiam exercere & demonstrare. Hinc ei frequentissime δυνάμις tribuitur Act I, 8. 2. Pet. I, 3. &c. *Michael* vero totam illam excellentiam gloriæ Messiæ in perfectissimo gradu comprehendit, cujus contemplatio huic digressiunculæ ansam dedit.

Cherubim in propitiatorio non esse typum Filii & Spiritus Sancti demonstratur.

Scripseram hæc, cum inciderem in Cl. *Hulsii* commentarium de prærogativis Israelis, de cujus consensu in explicatione nominum *Michaelis* & *Gabrielis* mihi gratulor. Fateor tamen, me in ea hæresi esse, quod hæc hypothesis nimium extendatur, quando ad ipsos *Cherubinos* thronum gratiæ adumbrantes transfertur, quos itidem typos Michaelis & Gabrielis fuisse Vir. Celeb. putat diss. II. §. 43. & præcipue in Append. Dissert. VI. §. 11. ubi argumenta suæ hypotheseos in compendio proponit. Difficultates enim hæ contra illam opinionem restant trutinandæ 1.) Quod Christus Rex fuerit in Israele, adeoque necessario debeat considerari ut ille, qui throno insidebat, non vero ut Minister adstans. Evidentissimus in hanc rem locus est Psal. LXXX, 2. 3. 4. *Pascens Israelem, ausculta; ducens instar ovium Josephum, sedens inter Cherubim, effulge;*

Coram Ephraim & Benjamine & Manasse excita præpotentiam tuam. Et veni ad salutem nobis. DEUS reduc nos, & illumina faciem tuam, ut salvemur. Quot hic phrases, tot fere sunt argumenta, quæ probant Asaphum Filium DEI alloqui. Ille est *pastor Israelis*, phrasi alludente clarissime ad Genes. XLVIII, 15. ubi Israel Angelum Goelem nominat רעה אתי i. *Pastorem, qui est mecum.* Illius opus est salvare: Illius est *illuminare faciem suam* ex benedictione Sacerdotali Num. VI, 25. Inspice hic sodes *Coccejum*, nec dubium amplius remanebit. Et ille tamen insidet super Cherubim. Ergo necessario ab iis distinguendus est. 2.) Præterea certum est, symbolum præsentiæ divinæ medios inter Cherubinos fuisse columnam illam nubis, quæ super Arcam apparebat. Non disputo jam, an etiam in Canaane symbolum hoc restiterit, postquam domus Dei fixum locum sortiretur. In deserto ita se habuisse nemo dubitat. Cum vero æque evidens sit inter Christianos interpretes, in nube illa Filium habitasse, hinc necessario iterum sequitur, non Patrem, quod placet Viro clarissimo, sed Filium ut throno huic insidentem concipi debere. 3) Porro quando Cherubim cum Archangelis Filio & Spiritu Sancto iidem esse traduntur, dispiciendum esset an officium Angelorum his Hypostasibus divinis in cœlo tribui possit, cujus typus adytum templi fuit? Angelorum enim nomen missionem in terram innuit. 4) Nec potest ullum exemplum ex sacris adduci, in quo *Cherubinorum* nomen divinis his subjectis tribuitur, cum sæpe alias & semper in sensu exiliori occurrat, qui sensus communior sine necessitate non est omittendus. 5) Petrus quoque 1. Ep. I. 12. de Angelis creatis hunc typum explicavit. Malim ergo in hypothesi recepta acquiescere, præsertim cum argumenta adducta majorem speciem quam soliditatem habeant. *Primo* urgetur, *quod bini sint.* Sed binarii hujus in choris tum Angelorum tum beatarum animarum aliæ possunt dari rationes. Exercitus Angelorum duplex est, *Mehanajim* Gen. XXXII, 1, 2. Dan. VII, 10

Adducta in contrarium argumenta refelluntur.

Bin.

Bini quoque Seraphinorum sunt ordines Jes. VI, 3. duas potissimas Ecclesiæ generalis partes exprimentes, ante & post Christum. *Secundo* affertur, quod maximam speciem habet, *quod distincti fuerint Cherubim a multis, qui in velis & ad parietes Templi apparent.* Sed difficultas hæc evanescit, quando conferimus visum Apocalypticum c. IV. & V. ubi distinctio similis occurrit inter animalia, quæ Cherubinis in propitiatorio, & viginti quatuor Seniores, qui Cherubinis in parietibus respondent. Quid enim aptius, quam per illos utriusque Ecclesiæ capita Prophetas & Apostolos, per hos vero totam electorum panegyrin intelligere? *Tertium*, quod *Cherubim gloriæ* appellentur, nihil probat. Nam per *gloriam* Apostolus Hebr. IX, 5. columnam nubis intelligit, quod nemo negare potest, qui eam κατ' ἐξοχὴν *Gloriam* Jehovæ in Israele vocatam esse novit. Unde Cherubim *Gloriæ* dicuntur, quia *Gloria Domini* inter eorum alas habitabat. *Quartum*, quod ex *puro & solido auro* fabricati sint, eos ferit, qui aurum arcæ pro symbolo Divinitatis habent, quod mihi non fit verosimile, cum nullum Divinitatis symbolum manibus humanis unquam formatum esse aut formari debere persuasus sim, & aptissimum mihi videatur, si quemadmodum columna Divinitatem, ita arca tota glorioſam Christi in cœlis humanitatem adumbret. *Quintum* quod *ex una cum propitiatorio massa* fabricati, nihil infert, nisi quod cum Christo *unum sint* in cœlis electi Johan. XVII, 21. sq. Nec patitur hoc emblema aliam exegesin, quia propitiatorium officii mediatorii Christi emblema fuit Rom. III, 25. *Sextum*, quasi imperfecti Spiritus non possint *sedem* DEO subministrare, ne speciem quidem habet, non tantum quia Cherubini justos consummatos adumbrant, sed etiam quia thronus DEI est perpetuum Ecclesiæ symbolum, & ad similitudinem Cherubinorum in adyto Cherubini Ezechielis thronum Jehovæ portant c. I. *Septimum* adhuc magis alienum est, quando dicitur *Filium & Spiritum inhabitationem DEI inter peccatores conciliare*, & hinc ut *juvencos*, *sacrificia*, *aratores*

tores depingi. Nam prius poſſet quidem ad explicationem ſymboli facere, quando rite evicta eſſet rei veritas: ſed ad probationem nullum momentum habet. Quænam enim illa foret conſequentia: Chriſtus & Spiritus inhabitationem Dei inter peccatores conciliant, ergo per Cherubinos expreſſi ſunt? Spiritum vero ſub juvenci aut ſacrificii emblemate unquam obvenire neſcio. Etſi obveniret, ignoro an Vir Clariſſimus inde aliquid ſuæ hypotheſi fæneraturus eſſet. Sufficiat hæc non contradictionis ſed veritatis ſtudio monuiſſe.

Filii hominis ſunt omnes homines, & præcipue qui inter eos eminent.

XIII. Lubet autem ſacro Vati, non tantum ita oppoſuiſſe Meſſiam omnibus creaturis, ſed etiam comparatione cum certis ſubjectis excellentiam ejus evidentiorem reddere. In cenſum ergo vocat omnes בני אדם ſeu FILIOS ADAMI. In genere totum genus humanum hac notione comprehenditur. Lex autem comparationis poſtulat, ut præcipue de illis cogitemus, qui inter *filios Adami* eminent, quales ſunt in mundo Principes & Magiſtratus, iique potiſſimum, qui præerant Judæis: in Eccleſia vero Sancti tam in terris, quam in cœlo, tam Patres & illuſtres perſonæ ante Chriſtum quam fideles Novi Teſtamenti, & eorum præambulones Apoſtoli. Certum eſt *filios Adami* dici homines, ut notetur eorum tum fragilitas, tum peccaminoſitas, tum exinde fluens deſpectus ſtatus Job. XXV, 6. Pſalm XXXVI, 8 CXLIV, 3. Eccles. I, 13. III, 18 19. Jes. LI, 12. Atque inde hac phraſi interdum deſignantur homines infimæ conditionis, quibus opponuntur *filii virorum*, qui deſignunt viros illuſtriores Pſ XLIX, 3. LXII, 10. Prov. VIII, 4. Sed hoc non obſtante aliquando uſurpatur de Principibus terræ Pſ. CXLVI, 3. & de ſancto Eccleſiæ ſemine Pſ. CXLV. 12. Prov. VIII, 31. Nempe ut reminiſcantur omnes, utcunque inter homines emineant, ſe tamen eſſe *filios Adæ*, pulverem, miſeros peccatores, ſi id dematur, quod ex gratia DEI habent. Et quidni melioris ſortis hominibus hoc nomen daretur, cum ipſam vocem אדם formoſum & pulchrum deſignare nos docuerit *Jobus Ludolfus* in Hiſt. Æthiop. lib. I. c. 15.

c. 15. n. 17. in Comment. ad eandem p. 207. ſq. & in Lexico ſuo. Quam notationem non infeliciter illuſtravit *J. H. Majus filius* Obſ. Sacr. II. p. 9. 10. Si eadem hic admittatur, elegans inde naſcetur paronomaſia.

XIV. Mavult autem cum iis, quam cum Angelis comparari Meſſias, quia arctiſſima eum inter & Adæ progeniem interceſſura relatio. Futurus enim a) verus homo, *fructus terræ*, Jes. IV, 1. 2) homo ex homine, qui ipſe quoque *filius Adami* Pſ. VIII, 5. Dan. VII, 13. 3) Redemtor hominum ex lege cognationis, unde titulus Goelis. 4) Secundus Adamus, qui novæ proſapiæ caput, qui pulcherrimam ſapientiæ & ſanctitatis cœleſtis imaginem, in Adamo exſtinctam, reſtauraturus erat. *Cur eorum plus quam Angelorum mentio fiat?*

XV. Ita autem cum his comparatur, ut omnibus longo intervallo præferatur. Quomodocunque *filios Adæ* interpreteris, Meſſias primas tenet. 1) In genere omnes poſt ſe relinquit, ut alter Salomo 1. Reg. III, 12, 13. VI. 30, 31. Eccles. II, 9. cui propterea כבוד *gloria*, ſeu proprie *ſuperpondium* tribuitur Pſ. VIII, 6, Pſ. XXIV, 7. 9. XXIX, 3. Jes. XLII, 8. Præcellit enim iis tum Divinitatis excellentia 1. Sam. II, 2. tum perfecta ſanctitate Eccl. VII, 28. tum mediatorii operis difficultate, ut *unus ille ex millibus* Job. XXXIII, 23. Jer. XXX, 21. qui ſolus lytro animarum ſolvendo erat Pſ. XLIX, 8. 9. 2) Omnis mundana gloria ad ejus ſplendorem ſubſidit. Eſt enim *DEUS Deorum* dictitiorum Pſ. L, 2. LXXXII, 1. LXXXIX, 28, eminens inter Patres carnis, ut *malus* frugifera *inter arbores ſylveſtres* ſteriles Cant. II, 3. Unde partim eos ſublaturus Zach. XI, 3. Mal. II, 12. Dan. II, 44. 45. partim ſuo regno ſubjecturus Pſal. II, 10. XXIX, 1. Quin & propterea iis præferendus, qui in Antichriſtianismo Judaici faſtus veſtigia preſſuri. Quo collimatur Cant. V, 9. *Quid eſt dilectus tuus præ dilecto?* 3) Præcipue autem ſublimis incedit ſuper omnes Sanctos Pſ. LXXXIX, 8. ut *Primogenitus* inter illos Ibid. v. 28. & antitypus Judæ Gen. XLIX, 8. & Joſephi, cujus ſomnia Gen. XXXVII, 7. 9. typice *Indicatur præcellentia Meſſiæ* 1.) *præ hominibus generatim:* 2.) *præ Magiſtratibus Judæorum:* 3.) *præ Sanctis in terra ſub V. T.*

in ſua, antitypice vero in Meſſiæ exaltatione implementum ſuum habuere. Tota Eccleſiæ reſpectu ejus eſt tanquam luna reſpectu ſolis. Omnes fideles ante eum, utcunque ſuo fulgore coruſcantes, ei tamen decedere debent, quia eorum prærogativæ umbræ tantum gloriæ ejus fuerunt. In confeſſo id eſt apud Magiſtros Judæorum, qui ſupra Patres Abrahamum, Moſen, Salomonem, Meſſiam evehunt. Memorabilis eſt locus in *Braunio* ad Hebr. III, 2. inter alia citatus ex *Midraſch Tanchuma* ad Paraſcha Tholdot fol. 11. col. 1. ubi poſt allegata verba Zach. IV, 7. *quis es, o mons magne?* additur: זה המשיח בן דוד • למה יקרא שמו הר גדול שהוא גדול מן האבות שנא' הנה ישכיל עבדי ירום ונשא וגבה מאד מאברהם ונשא מיצחק וגבה מיעקב ירום מאברהם שנא' הרימותי ידי אל י' ונשא ממשה שאם כי תאר' אלי שאהו בחיקך יגבה במלאכי השרת וגו i. *Hic eſt Meſſias filius Davidis. Cur vocatur nomen ejus mons magnus? Quoniam eſt major Patribus. Quia dictum eſt,* (Jes. LII, 13.) *ecce proſperabitur ſervus meus: extolletur & altus erit valde. Extolletur ſupra Abrahamum, & efferetur ſupra Iſaacum, & altior erit Jacobo. Extolletur ſupra Abrahamum, ut dictum eſt,* (Gen. XIV, 22.) *ſuſtuli manus meas ad Jehovam. Altior erit ſupra Moſen, quia dictum eſt,* (Num. XI, 12.) *cum dicas mihi, exporta eum in ſinu tuo, & elatus erit ſupra angelos miniſterii.* Adde *Nezach Iſrael* fol. 62. col. 1. קרא המלך המשיח כוכב כי מעלתו ומדריגתו של משיח למעלה שעליו נאמר ירום ונשא וגבה ולכך קרא אותו כוכב שהוא מתנשא על כל i. *Vocat Regem Meſſiam ſtellam,* (Num. 24. 17.) *quia gradus excellentiæ Meſſiæ eſt ſummus, quemadmodum de eo dicitur,* (Jes II, 13.) *extolletur, exaltabitur atque efferetur. Propterea vocat illum ſtellam, quia ille extolletur ſupra omnia.* Et in *Jalkut Simeonis* ad Jes. LX, fol. 56. col. 3. adducitur locus ex *Peſikta*, ubi fatentur Patres: משיח צדקינו עתידין אף על פי שאנו אבותיך אתה טוב ממנו שסבלה עונות בגינו i. *Meſſias juſtitia noſtra, quamvis nos ſimus Patres tui, tu es tamen præſtantior nobis, quia portaſti iniquitates filiorum noſtrorum.* Conve-

in quo conſentiunt Judæorum Magiſtri:

nit

nit huic illustre testimonium ex *Neve Schalom* lib. IX. cap. 5. excerptum a *Ioh. Frischmutho* de ligatione Isaaci differt. IV. §. 23. מלך המשיח זכה מכלם לבע' הרע הכולל וגו' ירום מאברהם ונשא ממשה אמנם וגבה ממלאכי השרת הוא הנצחית באיש וגו' ונשלמה הכוונה האלהים במלך המשיח ההפכי לארם הראשון i. *Rex Messias præ omnibus dignus erit, ut omne peccatum removeat &c. Erit supra Abrahamum, supra Mosen, & vere etiam ajunt supra Angelos ministerii, eritque immortalis in individuo &c. Sic intentio divina completa est in Messia, quæ perversa est in Adamo primo.* Comparationem ejus cum Mose instituit *R. Levi ben Gerson* ad Deut. XXXIV. 10. ואמנם האמת יהיה המתחייב מהפסוק הזה שלא קם נביא עוד כמשה שהיה נביא בישראל לבד אבל יהיה שיהיה עם זה נביא באומות העולם גם כן והוא מלך המשיח כמו שאמרו במדרש הנה ישכיל עבדי שכבר יהיה יותר גדול ממשה ויתבאר שנפלאותיו גם כן תהנינה למעלה מנפלאות משה כי משה משך ישראל לבד לעבורת השם יתברך בנפלאות שחידש והוא ימשוך כל האומות לעבורת השם יתברך וגו i. *Et certe veritas, quæ ex hoc versu sequitur, hæc est, quod non surrexit adhuc Propheta, sicut Mose, qui fuit Propheta in Israele solum, sed erit, qui erit simul etiam Propheta gentium hujus mundi: & ille erit Rex Messias, sicut dicunt in Midrasch* (super Es. LII, 13.) *ecce prosperabitur servus meus, quod major futurus sit Mose: & patet inde, quod miracula ejus etiam erunt majora, quam miracula Mosis: quia Moses pertraxit solum Israelem ad serviendum DEO benedicto miraculis suis, quæ patravit, sed ille pertrahet omnes nationes ad cultum DEI benedicti.* Conati quidem sunt hanc veterum Hebræorum sententiam alio detorquere *author Jalkut* & *Abarbanel* ad Jes. LIII, 13. qui tamen sibi ipsi non constat & in Jes. XI, 2. contrarium asserit: sed eorum effugia elisit *Const. l'Empereur* singulari ad hanc Prophetiam tractatu. *Maimonides* ad cap. 11. Massechet Sanhedrin Messiam & Salomoni præfert: ויהי אותו מלך הגדול

הגדול מאד ובית מלכותו בציון יגדל שמו וזכרו יהיה מלא
בניהם יותר מן המלך שלמה וישלימו אותו כל האומות
ויעבדוהו כל הארצות לצדקו הגדול ולנפלאות שיהיו על ידו

i. *Et erit Meſſias Rex oppido magnus & palatium ejus in Zion magnificabitur. Excellentius erit ejus nomen & memoria apud gentes, quam Regis Salomonis, eumque venerabuntur omnes populi, ſervientque ipſi omnes terræ, propter juſtitiam illius magnam & miracula, quæ ipſe edet.* Coincidunt, quæ ex ejusdem Tractatu Teſchubha cap. 9. excerpſit *Grellotus* in præfat. prodromi in Apocal. p. 23. Addi poteſt collatio, quam inter Gideonem, Samſonemque, ac Meſſiam inſtituunt *Targumim* ad Gen. XLIX, 18. quorum verba excerpſit *Wagenſeilius* Sotæ p. 179. Et huc quoque ſpectat dictum Judæorum a *Braunio* ad Hebr. l, 5. citatum, quamvis locum non deſignet: *Quicquid in Scriptura S. dicitur, quod excellentiam notat alicujus Viri magni, Prophetæ, Sacerdotis, aut Regis, id in Meſſia ſuum habet complementum.* Nec minus Meſſias omnibus Sanctis ſequentium temporum faſces prælaturus erat; in quorum *myriades vexillum fert* Cant. V, 8. 5) Quin ſi in ipſum cælum adſcendamus mente, ejus quoque incolis præferendus erat Meſſias. Certe quando Jes. LXVI, 1. cœlum thronus, & terra ſcabellum pedum ejus conſtituitur, per *cœlum* Eccleſia triumphans, per *terram* militans aptiſſime intelligitur. Eſt enim hoc idem, cum *cœlo novo & terra nova*, de qua paulo ante cap. LXV. Conferri hic poſſunt, quæ noto Exercit. VI. §. 31.

4.) præSanctis N. T.

5.) præSanctis in cœlo.

XVI. Non tamen prætereundum, vocem textus in forma pahul paſſiva reperiri, quod notat, *pulcherrimus evaſiſti, vel effectus es.* Quæ loquendi forma potiſſimum pulchritudinem muneris ejus mediatorii reſpicit. Cum enim utriusque naturæ pulchritudinem ſibi ipſi acceptam ferat, hanc tamen & Patri ex pacto æterno debebat, & propterea præſtitis conditionibus exſpectare poſt exinanitionem poterat Pſalm. VIII, 6. CX, 7. Tum ut *Sol juſtitiæ exorſurus* Mal. IV, 2. Tum *præſtantiſſima ejus pulchritudo ex Sione illuceſcere* debebat Pſal.

Excellentiam ſuam Meſſias certo reſpectu Patri debebat, & aliquando accepturus erat.

L, 2.

L, 2. & ipse *in cedrum magnificam abire* Ez. XVII, 23. Prorsus ut virga Aaronis, quæ in sanctuario recondita *produxit germen, emisit florem, amygdala eduxit*, Num. XVII. 8.

XVII. Et certe hanc formæ pulchritudinem in Jesu Nazareno contemplari Ecclesiæ concessum est. Vidit pulchritudinem Divinitatis Joh. I, 14. Rom. IX. 5. 1. Joh. V, 20. Vidit & formositatem humanitatis. Vultus atque oris ejus decor, ut certe in corpore sanctissimo, divinoque miraculo creato insignis fuit, qualis tamen fuerit, nostra parum refert. Studio prosopographiam Christi prætermisisse Evangelistas ad unum omnes, cum ea βιογραφοις adeo usitata sit, nullus dubito. Si quicquam extra oleas est, istud sane est, quod heic interpretes laboriose nænias nugasque fabulosæ proh dolor! in ipso Christianismo antiquitatis de statura & aspectu corporis benedicti Salvatoris nostri congerere amant. Si quis tamen illis capitur, per me consulat *Rigaltium* singulari dissertatione de pulchritudine corporis Christi, quæ ejus annotatis ad Cyprianum p. 236. sq. adjuncta est, *Joh. Reiskium* de Imaginibus Jesu Christi, *Chiffletium* de linteis sepulchralibus c. 30. seq. *Gretserum* in tractatu de imaginibus Christi manu non factis, *Franc. Vavassorem* in singulari tractatu de forma Christi, quem *Josua Arndtius* denuo edidit & mantissa observationum auxit, & *Fechtium* in peculiari dissertatione Vavassori opposita de forma faciei Christi, dum in his terris viveret, quæ noctibus ejus Christianis inserta est. Addi potest *Lentuli* ad Senatum Rom. epistola conficta, quæ Christi speciem, sed ementitis forte coloribus delineat, recusa in Cl. *Fabricii* Codice Apocrypho N.T. p. 301. seqq. *Ern. Sal. Cypriani* Program. Select. XVI. de pulchritudine corporis Christi, *Bernhardi von Sanden* de pulchritudine Christi ad h. l. dissertatio, & nunc nuper edita Parisiis *P. Calmet* de forma Christi dissertatio Commentario in Jesaiam præfixa: ut innumeros alios sileam, qui magis in transitu id thema tractarunt. Nos plenissime in humana Christi natura pulchritudinem ejus demonstratam fuisse cen-

In implemento demonstratur Salvatorem nostrum omnigena pulchritudine divina, humana, mediatoria conspicuum fuisse:

Landesbibliothek Oldenburg

ſemus, *quando* impleta eſt Spiritu Sancto Luc. II, 40. IV, 1. *quando* perfectiſſimum virtutum omnium exemplar dedit Matth. IX, 29. 1. Petr. I, 21. 22. *quando* ſuaviſſima doctrina, de qua ſequenti capite, innumera miraculorum multitudine, ampliſſimisque beneficiis omnes in ſui amorem atque admirationem rapiebat Marc. VII, 37. Act. X, 38 *quando* in monte transfiguratus futuræ gloriæ præludebat Matth. XVII, 2. *quando* amoris incomprehenſibilis mortem pro peccatoribus obeundo teſtimonium edebat Joh. XV, 13. Rom. V, 8. *quando* poſt mortem devictam immortalitate & corpore glorioſo donatus eſt Apoc. I, 18. Phil. III, 21. in quo ut pulcherrimus Stephano, Paulo & præcipue Johanni in Pathmo apparuit. Act. VII, 55. IX, 3. Apoc. I. 13-17. Sed e re Eccleſiæ nil magis erat, quam eum ut conſummatum Mediatorem conſpicari. Atque eccum illum ut *Agnum Dei* Joh. I, 29. ΑΛΦΑ & ΩΜΕΓΑ Apoc. I, 11. *Arborem vitæ* Apoc. II, 7. *Clypeum fidei* Epheſ. VI, 16. *Cornu ſalutis* Luc. I, 69. *Ducem ſalutis* Hebr. II, 10. *Leonem ex tribu Judæ* Apoc. V, 5. *Lucem gentium* Luc. II, 32. *Orientem ex alto* Luc. I, 78. *Paſtorem bonum* Joh. X, 11. *Primogenitum* Col. I, 15. 18, *Primitias dormientium* 1. Cor. XV, 20. *Principem vitæ* Act. III, 15. *Principium* Col. I, 18. *Radicem Davidis* Apoc. V, 5. XXII, 16. *Salvatorem mundi* Joh. IV, 42. *Stellam matutinam* Apoc. XXII, 16. Eccum illum, qui totam Divinitatis gloriam in ſe vividiſſime conſpiciendam dedit Joh. XIV, 9. Col. I, 15. Hebr. I, 3. Eccum illum, qui obedientia ex aſſe præſtita exclamare poterat: *conſummatum eſt* Joh. XIX, 30. Nec mora, toto beneficiorum inde manantium torrente Eccleſiam inundat Joh. I, 16. 1. Cor. I, 30. Epheſ. IV, 10. Col. I, 19. Atque ita in perfecto Salvatore gloriari auſa eſt fides. *Talis enim nos decebat Pontifex* Hebr. VII, 26. & talis exſtitit.

Præcelluiſſe præomnibus hominibus:

XVIII. Ita omnibus Adami filiis, quacunque eminerent prærogativa longe major evaſit. Merito enim ei, qui nomen *excellentius præ Angelis accepit* Hebr. I. & ἐν πᾶσιν πρωτεύοντι Col. I, 18. mortales omnes de arena cedunt. Eminet longe ſuper

ſuper omnes Magiſtratus mundi Apoc. I, 5. c. XIX. 16. præcipue ſuper eos, qui in cathedra Moſis ſedebant, atque eo veniente de gradu deturbati ſunt Col. II, 15. Et ſimiliter in Eccleſia primas tenet, ut *Primogenitus inter multos fratres* Rom. VIII, 29. Sole hoc oriente fulgor omnis minorum ſiderum evanuit, qui ante eum in cœlo Eccleſiæ V. T. ſplenduere. Plus hic erat Moſe, Salomone, Jona Hebr. III, 3. Joh. I, 17. Luc. XII, 27. Matth. XII, 41. 42. Plus omnibus perſonis typicis, quia ſingularum prærogativæ umbraticæ in uno ſubjecto impletæ ſunt. Plus Prophetis, quia hic Propheta e *ſinu Patris* prodiit Joh. I, 18. plus Sacerdotibus, quia *ſacrificium obtulit, quod in æternum valet* Hebr. X, 12. plus Regibus, quia *regnum ejus non eſt mundanum* Joh. XVIII, 36. Et quamvis melioribus bonis ditati ſint fideles N. T. Jeſus tamen eorum omnium *caput* eſt Col. I-18. Johannes Baptiſta *maximus ille inter natos muliere* Matth. XI, 11. quanto tamen illo minor? Matth. III, 11. Joh. I, 15. 27. III, 28-31, Apoſtoli, ejus *ſervi* Rom. I, 1. &c, Doctores omnes *ſtellæ, quas manu tenet* Apoc. I, 16. Super ipſos beatos cœli incolas exaltatus eſt. Moſes & Elias cum reliqua cœlicolarum panegyri gloriæ ejus adminiſtri ſunt. Nec dubito hoc phraſin illam includere, quæ Hebr. VII, 26. adhibetur, quando deſcribitur ut ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος. Recte Cl. *Gurtlerus* Diſ. de Jeſu Chriſti gloria apud Patrem in cœlo §. 139. obſervat, quod phraſis hæc multum differat ab aliis, quibus ſimpliciter dicitur *adſcendiſſe in cœlos*. Cœlos enim eſſe thronum Chriſti, quibus altior eſt conſiderandus, quia Rex eminentior eſt throno, cui inſidet. Sed hæc tamen nondum ſufficiunt. Optime phraſis metaphorice intelligitur. Sub *cœlorum* nomine ipſa Eccleſia pingitur: quæ, quod dualis & pluralis innuit, varias partes habet ſecundum varium conſiderandi modum. Præcipuæ ſunt *cœlum* Eccleſiæ militantis & triumphantis. Quando ergo *ſuper omnes cœlos exaltatus* dicitur Meſſias, emphatice innuitur, quomodo quicquid ſub cœli nomine comprehenditur, ipſa etiam Eccleſia triumphans, ei faſces tradat.

Locus Hebr. VII. 26. explicatur.

Landesbibliothek Oldenburg

& hac excellentia poſt paſſiones præcipue a Patre ornatum fuiſſe.

XIX. Ad hanc excellentiam tum maxime a Patre evectus eſt, cum ad dextram ejus exaltatus & clavo Eccleſiæ admotus eſt. *Certo ſciat tota domus Iſraelis, quod Deus hunc fecerit Dominum & Chriſtum, hunc ipſum Jeſum, quem vos crucifixiſtis* Act. II, 36. *Suſcitavit eum ex mortuis & collocavit ad dextram ſuam in cœlis longe ſupra omne imperium ac poteſtatem & potentiam & dominationem & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, verum etiam in futuro. Et omnia ſubjecit ejus pedibus, eumque conſtituit caput ſuper omnia Eccleſiæ* Epheſ. I, 20. 22. *Quapropter etiam Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donavit ei nomen, quod ſupra omne nomen eſt: ut ad nomen Jeſu omne genu ſe flectat cœleſtium, ac terreſtrium & ſubterraneorum: omnisque lingua profiteatur Jeſum Chriſtum eſſe Dominum ad gloriam Dei Patris* Phil. II, 9 11.

Incitamentum ad officia, quæ perfecta Meſſiæ pulchritudo ab ejus aſſeclis exigit.

XX. Quid ergo reſtat, niſi ut iis motibus impleamur, quos tantæ pulchritudinis plena revelatio exigit? Defigimus in id, quod pulchrum eſt, cupide & cum voluptate oculos. Hæreamus idcirco ſanctis meditationibus infixi his amænitatibus, & *intucamur revelata facie Gloriam Domini* 2. Cor. III, 18. Quo quid pulchrius eſt, eo majorem excitat admirationem. Quid igitur æquius, quam hic ſtupore ſancto percelli intellectum noſtrum, inſtar Seraphinorum, qui alis vultum tegunt, & Cherubinorum in hæc myſteria ἐπιθυμούντων παρακύψαι? 1. Petr. I, 14. Amamus id, quod pulchrum eſt, & uniri cum eo anhelamus. Quanto magis heic incendi in præcordiis divini amoris flammas fas eſt, ubi non tantum ſibi pulcher eſt Filius Dei, ſed & ſingulis ſe ſuique fruitionem offert? Quid indignius, quid immanius, quam hic nondum incendi? 1. Cor. XVI, 22. Pulchra facies venerationem intuentibus incutit. Multo magis illi debitum honorem exhibeamus, cui tantum honorem ſuo merito Pater conceſſit, quemque ipſi Angeli adorant Joh. V, 23. Quando vero ſuper omnes Adami filios extollitur, recordemur oportere, ut omnes creaturas ei poſtponamus, præcipue omne nomen humanum

Landesbibliothek Oldenburg

num, quantumvis amabile nobis & excellens videatur. Videamus, ne externa pulchritudo carnis nos in voluptatis barathrum transversos agat. *Ne desiderato pulchritudinem ejus cum animo tuo, neque capiat te palpebris suis* Proverb. VI, 25. 26. Abhorreat animus ab eorum scelere, qui meretricis Babylonicæ præstigiis capti, cum ea scortari pergunt. Erit, cum ultor sacrilegii de cœlo veniet, qui omnem pulchritudinem Tyrii Regis in opprobrium vortet. *Elatus fuerat animus tuus propter pulchritudinem tuam, corruperas sapientiam tuam cum splendore tuo: in terram dejecite, Regibus exposui te, ut adspiciant te.* Ezech. XXVIII, 17. Valeat omnis in ullo homine fiducia, quocunque titulo utatur. *Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum, a Jehova autem recedit animus ejus* Jer. XVII, 5. Conf. Ps. LXII. 10. CXLIV. 4. Ipse amor, quem natura jubet proximo exhiberi, amori pulcherrimi Sponsi primas det: & si cum eo consistere nequit, abnegetur. *Qui amat Patrem & Matrem supra me, non est me dignus: & qui amat filium & filiam supra me, non est me dignus.*
Matth. X, 37.

EXERCITATIO QUARTA
DE
MESSIA PROPHETA BENEDICTO.

1. *Pulchritudo & facundia quamvis raro, in Meſsia tamen perfectiſsime juncta fuere.* 2. *Analyſis generalior.* 3. *Specialior.* 4. Labra *Meſsiæ deſignant doctrinam ejus.* 5. *Cur* gratia *illis tribuatur?* 6. Effuſa eſt *gratia. Eloquentia ſermonis a ſcriptoribus ſacris & profanis comparatur* labris fragrantibus, flumini, melli, pluviæ, rori, nivi, vino effuſo. 7. *Cur paſsivum adhibeatur?* 8. *De nomine* אלהים *& cur Pater id gerat?* 9. *Quid per* benedictionem *Meſsiæ a Patre innuatur?* 10. *Eſt æterna.* 11. *Eſt fons gratiæ labiorum.* 12. *Ineſt huic rei argumentum primum, quo præcellentia Meſsiæ præ omnibus hominibus monſtratur.* 13. *Implementum ex hiſtoria Evangelica indicatur.* 14. *Officia Prophetæ huic excellentiſsimo exhibenda inculcantur.*

I.

Quæ raro in hominibus conſpirant pulchritudo & facundia,

MUlta multis dediſſe ſuperos, nulli omnia, & rariſſime concinnam vultus formam cum verborum ſuaviloquio junctam reperiri, priſci notarunt. Τὰς τὴν ὄψιν ἀμόρφους ἀναπλήρωτον ἢ δὲ λέγειν πιθανότητος apud *Athenæum* Deipnos. libr. ult.

Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes.

Et præcipue notari heic merentur illa *Homeri* Odyſſ. θ.

Ουτως ἐ πάντεσι θεὸς χαρίεντα δίδωσιν
Ανδράσιν, ἤτε φυὴν, ἤτ' ἂρ φρένας, ἤτ' ἀγορητύν.
Αλλῳ μὲν τ' εἶδος ἀκιδνότερον πέλει ἀνὴρ.
Αλλα' θεὸς μορφὴν ἔπεσι κόσμει, οἱ δέ τ' ἐπ' αὐτὸν
Τερπόμενοι λεύσσουσιν, ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει
Αιδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δ' ἔπρεπε ἀγρομένοισιν
Ερχόμενον δ' αὖ εἶδος μὲν ἀλίγκιον ἀθανάτοισιν,
Αλλ' ἤ οἱ χάρις ἀμφιπεριστέφεται ἐπέεσιν. i.

Adeo

Adeo non omnibus Deus omnia gratiosa dona dat
Viris, neque indolem, neque prudentiam, neque eloquentiam.
Alius quidem aspectu deterior est vir,
At Deus formam verbis ornat, alii autem in ipsum
Cum voluptate intuentur, hic vero inoffenso sermonis tenore loquitur
Modeste & suaviter; excellit autem inter congregatos,
Incedentem vero per urbem veluti Deum suspiciunt.
Contra vero alius forma quidem similis est Diis,
Sed non ei gratia coronat verba.

Soli hæc laus Messiæ integra est, quem cum omnium formosissimum esse asserverat, simul ut facundissimum introducit Psaltes. *in Messia perfecte unita sunt.*

II. Scilicet cum per formam omnis excellentiæ ejus complexum expresserat, eam partitim exsequi pergit, & in singulis relationibus eum *formosissimum* esse docet. Harum relationum quinque attinguntur. Sistitur *Analysis laudum Messiæ tributarum,*

א. ut Propheta v. 3.
ב. ut triumphans Imperator v. 4-6.
ג. ut Rex v. 7. 8.
ד. ut Sacerdos v. 9.
ה. ut Sponsus v. 10.

In singulis relationibus quasi novum argumentum est, quo evincitur thesis illa generalis, Messiam *inter filios Adæ esse pulcherrimum.* Sed fortissimum omnium est in omnibus simul sumtis. Sic enim omnes classes hominum, qui aliqua excellentia inter mortales pollent, percensentur, quæ cum singulæ Regi Messiæ primas deferant, inde ejus super universos excellentia evidentissime relucet.

III. Prophetici muneris excellentiam hæc verba describunt: *Effusa est gratia in labra tua :: ea fini benedixit tibi Deus in seculum.* Ubi *& specialim hujus pericopæ.*

aa. ex-

aa. excellentia doctrinæ ejus laudatur.
αα. Subjectum quod laudatur ſunt *labia* ſeu verba *tua*
ββ. Laus duplex
אא. Amænitas, ſeu *gratia*
בב. Exuberantia; quia *effuſa eſt.*
bb. Fons hujus excellentiæ indicatur. Docetur heic
αα. Res ipſa, benedictio: ubi iterum diſtingui velim
אא. Authorem: *Deus*
בב. actionem: *benedixit tibi*
גג. perpetuitatem ejus: *in ſeculum*
ββ. Nexus cum antecedenti: *ea fini.*

Quando labra Meſſiæ memorantur, ad humanitatem & munus ejus propheticum reſpicitur.

IV. Metonymice LABRA pro verbis & ſermone in ſacris frequentiſſime ponuntur. Præſupponitur ergo quidem, Meſſiam, uti cæteras humani corporis partes, ita *labra* aſſumturum, ſed tamen ſermo & doctrina ejus potiſſimum intenditur. *Propheta* enim & *Doctor* inſignis futurus erat, Deut. XVIII, 15. 18. Jes. XXX, 20. Joel. II, 23. Apud ipſos Judæos id in confeſſo eſt. Excerpſerunt eorum confeſſiones *Witſius* Miſcell. Tom. I. lib. I. c. 21. §. 33. ſq. *Cramerus* Theol. Iſr. P. II. p. 340. 341. *Eiſenmengerus* Judaiſmi Revel. Tom. I. cap. 14. p. 210. *Lütkens* de uno Meſſia p. m. 20. *Voiſin* in Procem. Pugion. Fid. Edit. Carpzovianæ pag. 152. 153. *Ligtfootus* Harm. Evang. Part. III. p. 496. 497. alii. Atque ad propheticum hoc munus heic reſpici conſentit Chaldæus: אתיהיב רוח נבואה בספותך i. *Spiritus Prophetiæ datus eſt in labiis tuis.* Et alias quoque Doctrina ejus *labiorum* nomine venit. Hinc de *ludibriis labii* Jes. XXVIII, 11. de *labio puro* Zeph. III, 9. Et *labia* ſua laudat Sapientia Prov. VIII, 6. 7. *Apertura labiorum meorum erit rectitudo. Nam veritatem meditatam effert palatum meum, & abominationi labiis meis eſt efferre improbitatem.* Scilicet duplex periodus diſtingui poteſt, in qua doctrinam ſuam vulgaturus erat, & in ſingulis labiorum inſtrumento uſurus. Primo *labiis propriis*, quando in terra obambulaturus. *Inclinate aurem*

veſtram

Landesbibliothek Oldenburg

veſtram ad ſermones oris mei : aperiam per parabolas os meum Pſ. LXXVIII, 1. 2. *Videbunt omnis caro pariter, os Jehovæ locutum eſſe* Jes. XL, 5. Dein poſt adſcenſionem in cœlos *labiis miniſtrorum*, qui ſicut *labia Sponſæ* ſunt Cant. IV. 3. ita etiam pro *labiis* Chriſti cenſeri poſſunt, ab ipſo ad exemplar Jeſaiæ c. VI, 7. ſanctificatis, in ejus nomine loquentibus. Hoc erat *os infantium & lactentium.* Pſalm. VIII, 3. *Baſilius* in hunc loc. Ἐπειδὴ πλουσία καὶ ἄφθονος ἡ χάρις ἐκκέχυται εἰς τοὺς κήρυκας τοῦ εὐαγγελίου, οὓς καὶ χείλη χαρισθῆναι ὠνόμασεν ἡ γραφή. i. *Quandoquidem dives & copioſa gratia effuſa eſt in Præcones Evangelii : quos etiam labia Chriſti Scriptura appellavit* : Paria habet *Heſychius* ad h. l. Sed poteſt etiam aliquid metaphoricum ſubeſſe dictioni modum revelationis indicans. 1) Sicut per *labia* ſenſa animi revelantur, ita conſilia & molimina Dei per doctrinam Meſſiæ manifeſtanda. Pſ. XL, 11. LXXI, 15-17. 2) Sicut *labra* rubedo maxime commendat, ita doctrina Meſſiæ eſt doctrina crucis, quam propagans Eccleſia ipſa quoque habet *labra coccineo filo ſimilia* Cant. IV, 3, Unde Meſſiæ *labra myrrham ſtillant* Cant. V, 12. 3) Sicut *labris* figuntur oſcula, amicitiæ & amoris teſſeræ, ita doctrina Meſſiæ amorem ſpirat & declarat. Hinc optat Eccleſia : *oſculetur me oſculo oris ſui* Cant. I. 1. 4) *Auguſtinus* de eſſent divin. & *Eucherius* de form. docent, *labia duo teſtamenta eſſe inter ſe conſonantia, in quibus divinatio fit, ita ut in judicio (ſi ex his fiat) non erret os*: quod hic non prorſus eſt contemnendum.

Speciatim doctrina Chriſti labris congratulatur.

V. Labris Meſſiæ GRATIA adſcribitur. Vocula חן aut active de *benevolentia* uſurpatur, quæ alteri exhibetur, aut paſſive de *venuſtate*, & *ſuavitate*, quæ alicui ineſt. Poſterioris interpretationis exempla ſunt Prov. I, 9. XXXI, 30. Et illa maxime hic quadrat. Reſpondet Latinorum *gratia* & Græcorum χάρις. Hinc veterum *Charites*. Præcipue de ſermonis ſuavitate vocem uſurpant. Patet id ex citato *Homeri* loco:

Gratia potiſſimum deſignat

ſuavitatem ſermonis & doctri.

Ἀλλ' ᾗ οἱ χάριες ἀμφιπεριστέφεται ἐπέεσιν.

Et apud *Plutarchum* in vita Ciceronis: *dicere exorſus mirifice eum movit, variisque affectibus & mira gratia oratio ejus progreſſa eſt. Petronius* Satyrico:

Sermonis puri non triſtis gratia ridet.

De Homero *Dio Chryſoſtomus* Orat. 53. agens τὴν μὲν ἡδονὴν καὶ χάριν τὴν τῶν ἐπῶν laudat: Hinc virum doctum & eloquentem χαρίεντα appellant Græci. Et ſimiliter ſermonem *non fucari pompa facundiæ & gratiæ* ſcribit *Minutius Felix.* Conferri poſſunt *Stephanus* in Lexico, *Cuperus* Apotheos. Homer. pag. 96. 97. Mercurius facundiæ conciliator dictus χαριπάτης apud Samios teſte *Plutarcho* Qu. Græc. p. 303. Adde, quæ citat *Barthius* Adverſar. lib. I. c. 12. Imitati id ſunt ſcriptores N. T. Luc. IV, 22. Eph. IV, 29. Col. IV, 6. Nec tamen hic prior ſenſus eſt excludendus, quia inter ea, quæ doctrinam Chriſti ſuavem faciunt, eminet *gratia*, quam illa offert. In Meſſia verus & unicus eſt omnis *gratiæ* fons. Confer id demonſtrantem Celeb. *Roëllium* in Epheſ. p. 452. ſeqq. Cum autem totus quantus quantus nil ſit niſi *gratia*, nil niſi *gratiam* ſpiret, hic præcipue de *gratia labiorum* ſeu doctrinæ ejus diſpiciendum. Typos in hac re habuit, quicunque olim inter Viros θεοπνεύστους gratia linguæ excelluerunt: ipſum Moſen Deut. XXXII. 2. Salomonem quoque, de cujus eloquentia *Pineda* de reb. Salom. lib. III. c. 12. Suavitatem hujus doctrinæ deprædicant ſacri Scriptores Gen. XLIX, 12. 21. Cant. V, 15. Hinc *cantico novo* comparatur Pſ. XL, 4. Et merito, ſive *argumentum*, ſive *proponendi modum*, ſive denique *fructus* conſideres. *Argumentum* doctrinæ *gratiam* ſuam naneiſcitur, tum a ſapientia, tum ab utilitate. Quid autem niſi ſapientiſſimum exſpectetur ab *æterna Sapientia*? Nihil non Deo decens, & cum ejus virtutibus rectique tramite conveniens. Prov. II, 1, 2. VIII, 6-9. *Indicat recta* Jes. XLV, 21. Revelanda inſuper tot myſteria Pſ. LXXVIII, 2. 3. Unde *R. Menachem Raknati* in Legem fol. 194. 3.

quæ in Meſſia ſumma eſt,

tum quoad argumentum,

ventu-

venturum ait *Regem Messiam* דיהיב לון רשו לגלאה i. *qui revelandi facultatem dabit*. Nec minus se commendat Christi institutio ab utilitate. Gratiosa est, quia & *gratiam* peccatori exhibendam & exhibitionis modum, adeoque totum opus *gratiæ* in molitione & executione pleniſſime ediſſerit. *Unxit Jehova me ad evangeliſandum manſuetis, miſit me ad obligandum fractos animo, ad proclamandum captivis libertatem & vinctis aperturam ergaſtuli: ad proclamandum annum acceptum Jehovæ* Jes. LXI, 1. 3. Gratioſus quoque promiſſus est *proponendi ſuaviſſimas* has *veritates modus*. Futurus enim erat primo clarus, ut *auroræ* Jes. VIII, 20. & *lucis*, Jes. IX, 2. dein blandus, lenis, qualem debilitas eorum, qui docebantur, requirebat Jes. XLII, 2. 3. L 4. *ad cor* peccatoris Hos. II, 15. *alliciens* Gen. IX, 27. inſtar *glocitantis* gallinæ Num. XXIV, 17. Hinc ut ſuaviloqua mulier Meſſias ſub nomine *Sapientiæ* inducitur, & ejus miniſtri ut *virgines* Prov. IX, 1. 3. quin *pedes eorum amœni* Jes. LII, 7. *Bammidbar Rabba* Par. 10. citante *Coccejo*: *Palatum ejus dulcedines* (dictum de ſponſo Cant. V, 16.) *Is eſt S. Ben. Vide quid is dicat: Quærite me & vivite. Eſtne illo palato dulcius? Vivo ego, ſi delector morte improbi &c. Item ſi reſipuerit improbus &c.* Conferri poteſt locus ex proœmio *Midraſch* lamentorum Jeremiæ deſcriptus a *Galatino* lib III. c. 29. ſub finem. Denique gratioſos habere debebat doctrina Meſſiæ *fructus*, quia gratiam non tantum proponebat, ſed etiam conferebat Pſ. XIX, 8. 9. Jes. XLII, 7. LXI, 3. Hinc Judæi antiqui nomen Meſſiæ *Hanina* futurum docuere. *Talmud Babyl.* in Peſach. c. 4. *R. Jochanan dicit: Quodnam erit nomen Meſſiæ? Quidam dixerunt, Haninah, id eſt, Gratia: juxta quod dicitur, Non dabo vobis Haninah, id eſt, Meſſiam, qui vocabitur Gratioſus* Jerem. XVI, 13. Locum debeo Cl. *Ligtfooto* Harm. Ev. T. I. p. 283. Hujus gratiæ collatione opponitur doctrina Evangelii doctrinæ Legis ſub Oeconomia V. T. quod jam diu ante *Coccejum* vidit *Bugenhagius* ad h. l. graphice ajens: "Lex "erat terribilis, minabatur, occidebat. Deus illic erat ignis

tum quoad proponendi modum.

tum quoad fructus.

"devorans: loquebatur de medio ignis, ut habet hiſtoria: co-
"gebatur fugere conſcientia rea, & mediator ille Moyſes in-
"telligi non potuit. Non enim potuerunt intendere filii
"Iſrael in faciem Moyſi præ ſplendore vultus ejus. Majeſtas
"divina hic omnia terruit, quia Spiritus non dabatur lege,
"ſed fide, ſicut ait Deut. V. *Quis det eos talem habere mentem,*
"*ut timeant me &c.* Hic autem ubi placuit Deo per ſtulti-
"tiam prædicationis ſalvos facere credentes, verbum caro
"factum eſt, & apparuit Deus jam homo, nobis ſimilis, ſpe-
"cioſus, jucundusque aſpectu & dulcis affatu &c. Eandem
ſane rem innuit Paullus, quando Hebr. XII, 19. 20, modum
revelationis in V. T. opponit ſuaviſſimæ Evangelii prædica-
tioni: *Non veniſtis ad ſonum tubæ, & ad vocem verborum,*
quam qui audiverunt, orarunt, ne adderetur ſibi verbum. Non
enim ferebant, quod dicebatur &c.

Quando gratia in labia effuſa dicitur, reſpici poteſt ad illos, qui infuſis oleis labra fragrantia effecere:

VI. Majus eſt, quod ea gratia EFFUSA dicitur. Verbum יצק in Hophal uſurpatur de effuſione olei Gen. XXXV, 14. de unctione Sacerdotali Exod. XXIX, 7 Lev. XXI, 10. de fluvio effuſo Job. XXII, 16. de effuſione aquæ 2. Reg. III, 11. & ipſius Spiritus Sancti Jes. XLIV, 3. Quare in genere aptum eſt ad deſignandam copiam tum ſermonum, tum fructuum Spiritus. Sed quia de *effuſione in labra* heic mentio fit, quid illa phraſis in receſſu habeat, altius trutinandum eſt. Et primo quidem poteſt reſpici ad illos, qui fragrantia quædam aromata, olea & ſimilia ori indiderunt, quæ manducata ſuavem per labia odorem emittunt. Huc referendum puto quod Cant. V, 12. *labia* Sponſi *liliis* conferantur, ob odorem nempe, quem ſpargunt. *Homerus* ſane deſcribens eloquentiam legatorum a Trojanis miſſorum, eos *lilia bibiſſe* ait. Cum autem halitus oris in ſacris emblema ſit Spiritus Sancti, a Filio exeuntis, per effuſionem odoris in labia, & per labia in illos, qui iis appropinquant, commode deſignaretur larga Spiritus & charismatum ejus copia, quæ non tantum in ſermonibus Chriſti eluceſcere, ſed etiam per eos aliis dividi debebat. Ea pro-

Landesbibliothek Oldenburg

propter Sapientia ait: *Eructabo vobis Spiritum meum* Prov. 1, 23. Ita primo cogitabam. Sed dein visum est propius ad rhombum, si subsisteremus in frequenti apud veteres metaphora, qua fluminibus & rivis Oratorum in dicendo exercitatorum sermones comparabantur. *Petronius* Satyrico:

sed magis ad communem morem oratorum sermones comparandi fluminibus.

- - - *Mox flumine largo*
Plenus, Pierio defundes nectare verba.

Tryphiodorus Halosi Ilii:

Αφνω δ' ἀενάων ἐπέων ὠδῖνας ἀνοίξας
Δεινὸν ἀνεβρόντησε, καὶ ἱερίης ἅτε πηγῆς
Ἐξέχεεν μέγα κῦμα μελισταγὲς νιφετοῖο.

Claudianus de Consul. Mallii Theodori v. 21.

Mox undare foro victrix opulentia linguæ.

Philo de Sacrif. Abel. p. 140. ὥσπερ τὰ ἀφ' ἁρπνῶν ἐκρεόμενα ἀένναα ῥεύματα ἄληκτον ἔχει τὴν φορὰν ὑπικαταλαμβάνοντας ἀεὶ τὴν λῆξιν ὑπιόντος ῥεύματος ἕτως &c. i. *Sicut rivorum perennium fluenta cursu irrequieto feruntur, sequentibus aquis præcedentes impellentibus: ita sermonis semel cœpti exundantia mentem, omnibus, quæ nobis insunt, mobilissimam & volucribus parem cursu assequitur.* *Flaccus* de Pindaro lib. IV. od. 2. v. 5.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore.

Virgilius Ecloga V. 45.

Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

Ovidius de Homero:

Adjice Mæonidem, cujus ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Caſſandra ſimiliter apud *Lycophronem* verſ. 5. deſcribitur ut χέασι βοὴν i. *fundens clamorem.* Ubi *Tzetzes:* Τροπικὴ λέξις, καὶ μεταφορικὴ ἀπὸ τ῀ χειμῶν ὑδάτων. Hinc apud *Ciceronem* lib. 2. de Orat. cap. 15. & 45. *Orationis & verborum flumen:* & Quæſt. Acad. IV. 38. *Flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles. Juvenalis* Sat. III. 75.

\- - *Sermo*
Promtus & Iſæo torrentior -

& quidem mellis. Hinc illuſtrari poteſt illud Prov. X, 11. *Fons vitæ os juſti.* Speciatim mellis fluminibus aſſimilabant. Proverb. V, 3. *Favum ſtillant labra extraneæ.* Et de ipſa Sponſa Cant. IV, 11. *Favum ſtillant labra tua. Chaldæus* hinc Gen. XLIX, 21. linguam Naphtali *dantem eloquia pulchra* vertit: חלי כדובשא *dulcem ut mel. Heſiodus* in Theogonia:

Τ῀ δ' ἔπη ἐκ ϛόματ@· ῥεῖ μείλιχα

i. *Hujus ex ore fluunt verba mellea.*

Homerus de Neſtore Il. ά.

Τ῀ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτ@· γλυκίων ῥ῎εεν αἰ῾δή.

i. *Illius etiam a lingua melle dulcior fluebat oratio.*

Quem locum expreſſit *Cicero* de ſenect. c. 10. *Oratio melle dulcior fluit ex lingua.* Confer, quæ ad citatum Homeri verſum congeſſit *Duportus* Gnomol. Homer. p. 6. 7. Hinc *Xenophon, Sophocles*, alii μελίττιν dicebantur, ἀφ' ἡδύ, ut eſt apud *Heſychium* &c. Inſpici hic poteſt *Bochartus* Hieroz. II. lib. 4. c. 12. p. 524. *Barthius* ad Claudian. p. 169. 170. *Aloys. Novarinus* Elect. Sacr. lib. I. c. 6. *Delrio* Adag. II. 151. Pluviæ quoque & roris deſtillantis ſpeciem verbis tribuit Moſes. *Stillet tanquam pluvia doctrina mea, fluat tanquam ros ſermo meus: ut pſecus ſuper teneram herbam & ſicut imbres ſuper adultam herbam* Deut. XXXII, 2. Dignum hic notatu eſt hieroglyphicum *Hori Apollinis* λϛ'. Παιδείαν ἢ γεγράφοντες, ἄρκυν δρόσον βάλλοντα ζωγραφοῦσι, δηλοῦντες, ὅτι ὥσπερ δρόσ@· πίπτουσα εἰς πάντα τὰ φυτὰ λωρεῖ, καὶ τὰ μὲν φύσιν ἔχοντα ἀπαλύνεσθαι, ἀπαλύνει, τὰ δὲ σκληρὰ μένοντα ἐκ τ῀ς ἰδίας φύσεως ἀδυνατεῖ τὸ αὐτὸ

Quidam effuſæ pluviæ emblema adhibuere: & roris:

αὐτὸ τοῖς ἑτέροις σκιαγραφῶν τῶν ὕετῶν καὶ ὅτι ἀνθρώπων, ἡ μὲν παιδεία κοινὴ καθέστηκεν, ἥπερ ὁ μὲν εὐφυὴς ὡς δρόσον ἁρπάζει, ὁ δ' ἄφυὴς ἀδυνατεῖ τοῦτο δέξασθαι.

i. *Doctrinam autem indicantes* (Ægyptii) *cælum pingunt rorem fundens, innuentes quod quemadmodum ros decidens in omnes quidem plantas diffunditur, at eas duntaxat mollit, quæ ejus naturæ sunt, ut molliri possunt, cæteras vero quæ suapte natura duræ sunt non item: Sic & doctrina communiter ad omnes pertingit homines, quam quisquis felici natus ingenio, ut rorem arripit, qui vero ingenii facultate destituitur, idem efficere non valet.* Pluviæ symbolo confine est aliud nivis, quod de verbis Ulyssis usurpat *Homerus* Iliad. γ'. *alii nivis:*

Επεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσι.

i. *Verba nivibus similia hybernis:* ubi *Scholiastes* notat, hac phrasi indicari λόγους πολλοὺς καὶ πυκνούς. Vide quæ laudatus *Duportus* ad hunc quoque locum docte notavit Gnomol. Hom. p. 19. 20. Et adde *Marinum*, qui de Proclo in vita ejus a J. A. *Fabricio* edita: Οὐκ ἄνευ θείας ἐπιπνοίας ἐφαίνετο διαγινόμενος, καὶ τὰ ταῖς νιφάδεσιν ὄντως ἐοικότα ῥήματα προφέρων καὶ σωφρονοῦντος ἀεὶ σώματος

i. *Neque divinæ inspirationis expers fuisse videtur, sapientissima enim ex ore verba protulit simillima candidissimæ ac confertissimæ nivi.* Hinc & in *Actis Synodi Nicænæ* lib. II. cap. 13. τῶν λόγων νιφάδες Philosopho cuidam facundo tribuuntur. In sacris eadem metaphora de sermone copioso & efficaci non insueta est Psalm. CXLVII, 15. 16. *Qui mittit dictum suum in terram; cujus verbum velociter currit. Qui dat nivem instar lanæ, pruinam instar cineris spargit.* Addatur Jes. LV, 10. 11. quod statim apponimus. Nec alienus abhoc loco est alius tropus, quo effuso vino suavia verba conferuntur. *Horatius* Serm. II, Sat. 10. *alii denique vini effusi.*

At sermo lingua concinnus utraque
Suavior: ut Chio nota si commista Falerno est.

Macrobius Saturnal. VII. *Non minus autem, quam dulcedo vini, hilarant verba convivium.* Confer *Lucianum* in Nigrino: &

no: & ſymbolum hoc illuſtravit prolixe, multis licet alienis pro more admixtis *Aloys. Novarinus* Elect. Sacr. lib. I. cap. 5. Idem emblema Spiritus uſurpat Cant. VII, 9. *Palatum tuum, ut vinum odoris optimi, movens ſe amantiſſime, rectiſſimeque, efficiens ut loquantur labia dormientium.* Cum ergo Meſſiæ ſimile inundans labra orationis flumen tribuitur, in genere incomparabilis ejus facundia extollitur, quæ omnium admirationem meretur Pſ. CXIX, 129. CXLV, 5. Sed & in ſpecie ſequentes orationis virtutes exprimuntur, quæ quidem pleræque ſub nomine *Gratia* jam contentæ, ſed hac phraſi in ſummo gradu Meſſiæ adeſſe ſignificantur. Primo COPIA verborum & ſententiarum Pſ. LXXVIII, 2. *Aperiam proverbio os meum,* אביעה *ſcatebræ more effundam ænigmata ab antiquo.* Ubi valde propinquum noſtræ dictioni eſt, quod Meſſiæ os *ſcaturienti fonti* comparatur. Unde *tota terra* aliquando *plena erit ſcientia Jehovæ, velut aquis alveum maris operientibus* Jes. XI, 9. Et præcipue huc pertinet illud Jes. XLII, 21 *multiplicabat inſtitutionem & ingentem faciebat.* Porro NEXUS ſapientiſſimus: Et PERPETUITAS tam veritatum ſermonibus contentarum Jes. XL, 8. quam prædicationis verbi. Ut enim *amnis labitur & labetur, in omne volubilis ævum*, ita *verbum & Spiritus ejus non recedet ab ore Eccleſiæ* Jes. LIX, 21. Nec minus VIS vorticordia, rapidi fluminis inſtar obſtacula perrumpens Pſ. XXIX, 4. 5. DULCEDO quoque ſolaminis, quod præbet animabus feſſis & juſtitiam ſitientibus. Eſt enim *vox dilecti* Cant. II, 8. *mel & favum* ſuperans Pſal. XIX, 11. CXIX, 103. Denique FOECUNDITAS, qua ut pluvia illabens animis, aut ut rivus campos alluens, eos frugiferos & ad bonum opus aptos reddit. *Erit, ut cum deſcendit pluvia ſuper ſectam herbam, cum imbres, irrigatio terræ* Pſ. LXXII, 6. *Ego Jehova, Deus tuus, doceo te utilia, deduco te via, qua ambules. O ſi attendiſſes ad præcepta mea: ita fuiſſet tanquam fluvius pax tua, & juſtitia tua, ut fluctus maris.* Jes. XLVIII. 17. 18. *Quemadmodum deſcendit imber & nix de cælo & eo non redit, niſi irrigave-*

Enarrantur virtutes Meſſiæ quæ per hanc metaphoram in ejus oratione deſignari poſſunt.

rigaverit terram, & illam fecerit parere, & germinare, & edere semen seminanti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum, quod exibit ex ore meo, non redibit ad me vacuum, nisi fecerit, quod volo, & prosperatum fuerit, propter quod id misi. Jes. LV, 11.

VII. Passive autem sicut Messias pulcherrimus redditus, ita in labra gratia *effusa* dicitur: quia Spiritus Sancti mensura copiosissima donatus est, qui ad eloquium divinum eum aptum reddere, ejusque sermonibus in animos hominum viam aperire debebat. Id abunde patet ex Jes. XI, 2. LXI, 1. 2. & præcipue Ps. CXXXIII, 2. 3. *Ut oleum illud optimum super caput descendens in barbam, barbam ut Aaronis; quod descendit in oram togæ talaris ipsius, ut ros Hermon, qui descendit in montes Zionis.* Et id contentum est in benedictione, de qua pergit Psaltes. *Cur passivum adhibeatur?*

VIII. Fons enim divinæ illius eloquentiæ, quo labia Messiæ rorant, est DEUS ipse, & illius *benedictio*. Deum Patrem hic innui ex circumstantiis patet. Nomen אלהים prolixe hic explicare supersedemus. Cui non de eo dictum? Tantum eorum me sequacem profiteor, qui ab Arabico אלה derivant, & σεβαστὸν interpretantur, quique totam Deitatem, quatenus objectum est cultus rationalis, eo exprimi existimant. Et quamvis non opus sit contra præfractum Judæum hoc argumento uti, pie tamen credo, eum qui ex aliis argumentis de Trinitatis venerando mysterio jam convictus est, superpondii loco etiam pluralitatem hujus nominis adhibere posse. Omnibus, quæ contra hanc sententiam a *Buxtorfio*, *Drusio* aliis objecta sunt, difficultatibus tum ab aliis, tum potissimum a Celeb. *Altingio* Hept. VII. diss. 4. & *Gousseto* in Lexico, radice אלהים satisfactum est. Potissima harum difficultatum desumta erat ab iis locis, in quibus de singulis personis usurpatur. Sed tantum abest, ut hoc sententiam nostram infringat, ut potius singularem emphasin habeat. *Gousset*us eam in genere ostendit. Sed speciatim quoque quoad *Fons gratiæ benedictio Patris.* *Nomen אלהים paucis explicatur.* *& indicatur quomodo singulis personis.*

singulas personas singulare mysterium sub tali usurpatione nominis divini latet. Sic Patri, de quo hic & alias sæpissime usurpatur, in Oeconomia gratiæ κυρίως competit, quia totam Deitatem repræsentat, ejusque jus persequitur. Præcipue vero *Deus* Messiæ est ex pacto, quod inter Patrem & Filium ab æterno intercedit: de quo plura dicendi ad v. 8. redit locus.

præcipue Patri detur.

Benedictio Messiæ omnis benedictionis fidelium fundamentum est.

IX. Pactum istud est fundamentum BENEDICTIONIS, qua Filius a Patre mactatus est. Omnis *benedictionis*, quæ in electos omnes derivatur, Messias unica & sufficiens origo est. Gen. XIV,19. XXII,18. Jes.LXV,16. Sed ut sua benedictione alios cumularet, ipsum prius perfectissime *benedictionis* participem fieri par erat. Hinc duæ hæ *benedictiones* ita conjunguntur Pſ. CXVIII, 26. ut posterior præponatur: *Benedictus est, qui venit in nomine Jehovæ: benedicimus vobis e domo Jehovæ.* Et *benedictiones Patriarchales*, præcipue, quas Semus a Noacho, Jacobus ab Isaaco, Josephus & Juda a Jacobo acceperunt, ad utrumque respexerunt. Ipse hic aliquid quasi per cancellos vidit Kabbalista celebris *R. Menachem Rakanatensis* initio Comment. in Pentat. fol. 2. causam inquirens, cur בראשית inchoet cum Beth, & ex libro *Habbahir* hæc in eam, quin & nostram rem notans: מפני מה מתחיל בבית כמו המתחיל ברכ' אין ברכה אלא חכמה ובתפלת רבי נחוניא בן הקנה עליו השלום אתה שלית בהדר הספירה השנייה שהיא חכמה הנקראה ברכה מספקת משפע המקור המתברך: i. *Quare incipiens est cum Beth? quia sic incipit Beracha* (Benedictio) *Non est Benedictio nisi Sapientia. Pariter in precatione Rabbi Nechoniæ ben Hakkana, super quem sit pax: Tu Dominator es in decore Sephiræ secundæ, quæ est Sapientia, nuncupata Benedictio, sufficientem influxum accipiens a Fonte Benedicto.* Clariora adhuc sunt, quæ in libro *Zohar* Parte III. Edit Sulzbac. fol. 109. 4. leguntur. ודאי דהא אבא ואמא אעטרו ליה ובריכו ליה בכמה ברכאן ואמרו ופקידו לכלא נשקו בר נשקו ידא להאי בר כביכול שלטני יהב ליה על כלא דכר יפלחון ליה פן יאנף בגין דאעתרו ליה בדינא דרחמי מאן דזקי לדינא לדינא מאן דזקי לרחמי לרחמי כל כרכאן דלעילא ותתא להאי בר סלקין ומתעטרן ומאן

Agnoverunt id aliquatenus ipsi Judæi.

ומאן דמגע ברכאן מהי בר יפרשון חטאוי קמי מלכא קדישא לאם ממש:

i. *Profecto enim Pater & Mater coronant eum* (Filium seu Sapientiam) *& benedicunt ei plurimis benedictionibus, omnibusque mandant, osculamini Filium. Osculamini manus hujus Filii: nempe Deus ei dedit potestatem super omnia, ut omnes ei serviant; Ne irascatur, quia coronatus est judicio & misericordia. Qui meritus est rigorem judicii, ei venit ad judicium. Qui dignus censetur misericordia, is consequitur misericordiam. Omnes benedictiones supernæ & infernæ ad hunc Filium adscendunt & coronant eum. Quicunque renuerit benedicere huic Filio, ejus peccata proferentur atque exponentur coram Sancto Rege & Matre suprema.* Merito ergo Filius heic a Patre *benedictus* introducitur. Hoc pertinebat ad *Paternitatem* primæ personæ, ut in benedictione Filii paternam prærogativam & benevolentiam ostenderet. Benedictio quando *hominibus* tribuitur, designat tum celebrationem, tum apprecationem bonorum. Nec hac benedictione cariturus erat Messias, tum quia laudes ejus decinendæ Psal. LXXII, 18. 19. CIII, 1. 2. tum quia officium Ecclesiæ, ut pro felici successu moliminum & regni ejus Patrem invocet. Ps. XX, 2-6 Ps. LXXII, 1. Sed hic sola *benedictio Dei* respicitur: in quo denotat realem addictionem bonorum, quia quod suis largiri vult, iis mox largitur. Antequam largiatur, declarat se largiri velle. Atque ista declaratio arctissimo sensu potest *benedictio* nominari. Denotat ergo *benedictio* Messiæ declarationem Patris de bonis cœlestibus, quæ per obedientiam suam acquisiturus erat. Ad hæc bona primo loco pertinet proposita ei gloria. Unde *Apollinarius:* Τέτυκται σοι θεὸς ἄξιον ἀγήρατον αὐτὸς ἀνῆψεν i. *Propterea tibi Deus laudem incorruptibilem ipse aptavit.* Porro huc spectat promissio charismatum omnium, tum quæ ad opus mediatorium requirebantur, tum quæ populo suo distribuere debebat. Quare heic includi etiam potest *benedictio* Ecclesiæ in Christo, quæ est ipsius Christi *benedictio*, quatenus illa ejus corpus & cum ipso unum est. *Basilius* in h. l. Τὸ ἓν εὐλόγησέν σε ὁ θεὸς τετέτ-

Per benedictionem Messiæ a Patre facta intelligitur declaratio de bonis, quæ acquisiturus erat, tum sibi tum electis.

τὰ μέλη τὰ σὰ καὶ τὸ σῶμα τὸ σὸν ἐπλήρωσεν τῶν παρ' ἑαυτῦ ἀγαθῶν. i. *Iſtud igitur, benedixit tibi Deus, id eſt, membra tua & corpus tuum implevit ſuis bonis.* Atque iſthæc favoris paterni declaratio, quam per *benedictionem* intelligimus, per gradus faciunda erat: qui ſinguli ut *benedictio* nova poſſunt conſiderari. Primitus facta eſt in conſilio pacis per teſtamentum, in quo Filius hæres ſcriptus eſt, & cujus ſumma reperitur Jes. LIII, 10, *Porro* in promiſſionibus omnibus, quibus a diebus ſeculi hoc teſtamentum ſtabilitum eſt. Sed illuſtrior adhuc exſpectabatur declaratio: *quando* a Patre ut dilectus ejus manifeſtandus, & ut *Semi Deus benedictus* Gen. IX, 26. *quando* ſimul Spiritum accepturus. *Ecce ſervus meus*, inquit Pater Jes. XLII, 1, *teneo illum: electus meus, acquieſcit anima mea: dedi Spiritum meum ſuper illum: judicium gentibus proferet.* Unde patet *benedictionem* Meſſiæ nihil aliud eſſe, quam ejus *unctionem*, de qua infra ſuo loco.

Benedictionis hujus fructus eſt æternus.

X, Summum benedictioni Meſſiæ accedit momentum, quia IN ÆTERNUM valitura. Fundamenta per eam jacta ſunt æternæ tum gloriæ, quæ in ipſum, tum ſalutis, quæ in populum ſuum redundatura. Et fruſtra nitentur inimici ejus beneplacitum hoc Patris irritum reddere. *Nam occurrere ei facis benedictiones boni, ponis in caput ejus coronam auream. Vitam poſtulavit a te, dediſti ipſi; in longitudinem dierum, ſeculum & æternitatem. Ponis ipſum benedictiones in æternum, exhilaras eum lætitia apud faciem tuam* Pſ. XXI, 4. 5. 7. Quem locum ad Meſſiam refert R. *Bechai* in Pentateuch. fol. 21. col. 1 ועליו אמר דוד עליו השלום חיים שאל ממך וגו i. *Et de eo* (Meſſia) *dixit David, ſuper quem pax ſit* (Pſ. XXI, 5.) *vitam poſtulavit a te &c. Erit nomen ejus in ſeculum: coram ſole propagabitur nomen ejus: & benedicent ſibi in ipſo: omnes gentes beatum prædicabunt illum.* Pſal. LXXII, 17. *In ætatem & ætatem ſunt anni tui. Antea terram fundaſti & opus manuum tuarum eſt cœlum. Illa peribunt & tu permanebis, & omnia illa ut veſtimentum inveteraſcent, inſtar indumenti mutabis illa & mu-*

& mutabuntur. Sed tu idem es & anni tui non finiuntur. Psal. CII, 25-28. Conf. Jes. LI, 6. 7. 8. Psal. CX, 4. Dan. II, 44. Hinc thronum Messiæ, cujus occupatio ex hac benedictione fluit, infra v. 7. itidem ut *æternum* contemplabimur Exerc. VI. §. 7. 8. Cum vero æternitatis notio vel absolute de futura vita, vel comparate de curriculo temporis N. T. usurpetur, utrumque hic debet conjungi. *Benedictus est* Filius Dei *in æternum* cum respectu ad perennem N. T. decursum, quia fons est omnis boni, quod singulis temporibus dispensandum. *Benedictus* est itidem quoad absolutam æternitatem, quia fructus *benedictionis* suæ in æternitatem influent.

XI. Ex natura *benedictionis* hujus liquet, valde obscurari sensum ab iis, qui voculam connexionis כי לע τετο aut *propterea* cum *Græcis* & *Vulgata* vertere instituerunt. Sic enim *benedictio* Messiæ consequens Prophetici muneris Christi esset. Non solet ita digeri opus salutis. Benedictio Messiæ omnium ejus munerum & omnis successus eorum fundamentum est. Rectius ergo observatum est aliis, כי designare interdum *quia, quandoquidem.* Exempla sunt apud *Noldium:* quibus addi posset Job. XXXIV, 27. & loca, ubi addita vocula כי Gen. XVIII, 5. XIX, 8. XXXVIII, 26. Num. X, 31. XIV, 43. Jud. VI, 22. Infra quoque v. 8. eodem sensu particula recurret. Non male ergo vetus versio apud *Chrysostomum:* ἐπὶ τέτῳ, *ea fini*, quod coincidit. Id certum est, omnem præcellentiam, quam Messias, qua talis, possidet, unctionis seu *benedictionis* suæ finem & fructum esse. Nam licet ipsi extra opus mediatorium considerato propter divinæ naturæ gloriam attribuere fas sit, quicquid perfectum & excellens est; jus tamen perfectiones suas tam gratiose in peccatore exserendi & demonstrandi nullum fuisset, nisi Pater complacentiam suam in præstito vadimonio testatus fuisset. Præcipue ex hoc fonte derivatur omnis excellentia prophetici ejus muneris: prorsus ut sapientia Salomonis typice consequens fuit benedictionis, quam a Deo obtinuit 1. Reg. III. Fluebat ex benedictione

Benedictio Filii fundamentum fuit omnis excellentiæ ejus, & præcipue quam in munere Propbetico habet.

Landesbibliothek Oldenburg

Patris doctrinæ ſuæ 1) INFALLIBILITAS, quia nihil continebat, niſi quod in conſilio gratiæ, cujus ipſe pars erat, apud Patrem viderat & audiverat. *Enarrabo ſecundum decretum* Pſ. II,7. *Quod audivi a Jehova Deo exercituum, Deo Iſraelis, indicavi* Jes. XXI,9. Unde *Præco* eſt, *qui non mentietur* Hab. II,3. diciturque *ad veritatem feciſſe exire judicium* Jes. XLII,3. 2) AUTHORITAS, quia verba ſua, verba Patris erant. Deut. XVIII,15.18. *Ponam in ore ipſius VERBA MEA, & requiram ab eo, qui non audiverit.* 3) AMŒNITAS, quia cum a Patre declaratus eſſet Sponſor & Caput fidelium, jus habebat publicandi evangelium gratiæ. Inde Meſſias Patrem celebrat Pſ. XL,4: *Dedit in os meum canticum novum* Jes. L,4: *Dominus Jehova dedit mihi linguam eruditorum, ut ſciam opportune loqui cum feſſo.* 4) VIS, quia benedictio Patris fruſtrari nequibat. *Poſuit os meum tanquam gladium acutum. Atqui ego dixeram, in vanum laboravi, in caſſum & fruſtra vim meam conſumſi: certe judicium meum eſt apud Dominum & operæ pretium meum cum Deo meo.* Jes. XLIX,2.4. 5) Denique PERPETUITAS, quæ ſequebatur ex *æternitate benedictionis.* Perpetuam ea ſuggerebat dicendi materiam: *Os meum narrabit juſtitiam tuam, & toto die ſalvationem tuam. Etiam lingua mea omni die meditabitur juſtitiam tuam* Pſ.LXXI,15. 24. Conf. Pſ. CXI,7.8.9. Jeſ. LIX, 21.

Excellentia, quam Meſſias in munere Prophetico habet, primum argumentum eſt, quo demonſtratur, eam eſſe pulcherrimam.

XII. Atque hoc eſt primum argumentum, quo ſupra omnes filios Adæ Meſſiam *pulchritudine* excellere pateſcit. Ita enim demonſtratur, quanto intervallo Prophetas & Doctores omnes infra ſe relinquat. Fuerint ſuo modulo *benedicti:* omnes tamen per illum, nemo ſicut ille. Superat universos 1) *infallibilitate*, quia *omnis homo mendax* Pſ. CXVI, 11. 2) *authoritate*, quia ſolus *audiendus* Deut. XVIII, 15. 18. *unicus paſtor* Eccl. XII, 13. 3) *Gratia tum* argumenti, quod olim *non bonum* Ezech. XX, 25. Deut. XXVI, 26. *tum* formæ, quæ longe abludebat ab illo terribili publicandæ legis modo Exod. XX, 19. Pſ. LXVIII, 8-10. ab illa nauſea Jerem.

XXXI

XXXI, 32. ab illa obscuritate Psalm. LXXVIII, 2. Jes. LII, 6. *tum* denique effectus, qui olim quam maxime deficiebat, cum mundus adhuc de carnis impotentia convincendus esset Deut. XXIX, 4. 4) *Vi*, quia *lux mundi*, *Testis nationum &c.* Jes. XLIX, 6. LV, 4. 5) Denique *perpetuitate*, quia *exscindet Jehova virum respondantem* Mal. II, 12. *Non docebunt amplius quisque amicum suum & quisque fratrem suum, dicendo: cognoscite Jehovam* Jer. XXXI, 34. *Exaresçit gramen, decidit flos, at verbum Dei nostri manet in perpetuum* Jes. XL. 8.

Implementum Prophetiæ in Jesu Nazareno tum ante tum post exaltationem ejus accurate indicatur.

XIII. Omnes has summi Doctoris partes expressisse Jesum Nazarenum historia Evangelica docet. Describitur nobis ut *magnus Propheta* Luc. VII, 16. ut *Magister* & *Rabbi* Matth. XXIII, 10. Fuit jam Doctor excellens ab initio mundi, in Paradiso Evangelium gratiæ promulgans, in diebus Noæ gratiam prædicans, Mosi verba vitæ in monte Sina tradens. Sed imprimis post descensum in carnem Prophetam egit. Exosculata est Ecclesia *labra* sua, quando in assumta forma humana omnibus civitatibus Israelis Evangelium de regno Dei prædicavit, & post discessum suum ex mundo ejusdem confirmandi & gentibus quoque divulgandi caussa *labra* Apostolorum sanctificavit, quo hic præcipue collimatur. Ecquid autem hæc *labia* nisi *gratiam* spirabant? Quanta erat *gratia* argumenti! Sive sapientiam desideres, *percellebantur omnes ejus intelligentia & responsis*, jam dum puer erat Luc. II, 47. quod idem evenit Apostolis in nomine ejus loquentibus Act. VI. 10. Et quid ei doctrinæ ex hac parte deesset, *in qua sunt omnes thesauri sapientiæ ac notitiæ absconditi*? Col. II, 3. Conf. 1. Cor. I, 18-24. Sive profutura exspectes, medulla omnis solidæ consolationis, & ad salutem æternam infallibilis Cynosura, doctrina Christi fuit. Matth. XI, 5. 29. 30. Omnes *gratiæ* divinæ gazas peccatori reclusit. Hinc *doctrina gratiæ* Actor. XIII, 43. *Verbum gratiæ* XX, 32. *Verbum gratiæ Domini* XIII, 3. *Evangelium gratiæ Dei* XX, 24. Hinc dictum Prophetæ de Evangelio prædicando pauperibus sibi ex professo applicabat Luc

IV, 18

IV, 18-21. Hinc ei χάρις ſenſu excellentiori adſcribitur 2. Cor. XIII, 13. &c. Nec aliud argumentum prædicationis ab Apoſtolis inſtitutæ fuit 2. Cor. V. 20. Quam apte conveniebat argumento gratiſſimus proponendi modus! Admirati ſunt omnes ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος, τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ Luc. IV, 22. qua phraſi ad hunc ipſum Pſalmi noſtri locum collimatum eſſe non incongrua *Riveti* conjectura eſt. Nec minus grati fuere effectus, quia protulit *verba vitæ æternæ* Joh. VI, 68. quæ *gratiam dabant audientibus* Eph. IV, 29. Rom. I, 16. Et quomodo effectus fallere poterant, cum per Spiritum Sanctum tanta in labia ejus menſura eloquentiæ effuſa eſſet? Non enim *datus eſt ei Spiritus* ἐκ μέτρου Joh. III, 34. Confer Luc. IV, 1. 14. Unde fluebat omnium illorum charismatum in ſermone Chriſti cumulus. Spiritum autem illum accepit ex *benedictione* Patris, *qui eum fecit nobis in ſapientiam* 1. Cor. I, 30. qui ei teſtimonium dedit Matth. III, 17. & in cujus nomine locutus eſt Joh. V, 26. 43. XII, 49. Hinc non dubito ex hoc Pſalmo mutuatum eſſe Apoſtolum verba illa Rom. IX, 5. quæ inter Photinianorum furores omnes, quibus fruſtra hactenus impetita ſunt, inconcuſſum pro Deitate Filii argumentum ſubminiſtrant, quando dicitur ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας i. *ſuper omnia* (malim, *ſuper omnes* ſubintellige, Patres & quoscunque illuſtres homines, de quibus Paullus locutus erat) *Deus benedictus in ſecula.* Merito *Proclus* de Fide p. 53. dicit, quod hic locus *coarguat omnes hæreticos*, καὶ παρεισδυσιν συκοφαντίας ἀποπνίγει τοῖς φιλοδόξοις i. *& ingreſſum calumniæ claudat contumelioſis.* Vindicarunt eum abunde alii. Sed novum tamen firmamentum accedere poteſt ex indicata origine Paullinæ ſententiæ, in qua prior pars ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς ad prius comma noſtri verſus alludit, quo formoſiſſimus eſſe Chriſtus ſuper filios hominum prædicatur: poſterior vero pars finem verſus integrum exprimit. Miror ſaltem, qui loca parallela collegerunt, hunc penitus præteriviſſe. Merito

Ad locum Rom. IX, 5. nova obſervatio.

ergo

ergo excellentiam ejus supra omnes Doctores agnoverunt, qui attentius modum & successum doctrinæ ejus considerarunt. Matth. VII, 29. Joh. VII. 46. Et præcipue huc pertinet convincens Evangelistæ ex comparatione demonstratio: *Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Jesum Christum præstita est. Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille exposuit.* Joh.I, 17. 18.

XIV. Merito & nos assurgimus huic Prophetæ, abominantes omne nomen humanum & omnem cathedram in terra, quæ Christo Doctori sacrilego ausu substituitur. Quisquis post hunc Doctorem Doctor universalis Ecclesiæ esse prætendit, *Pseudopropheta* est, Apoc. XIII, 11. sqq. qui *aliud Evangelium prædicat*, & propterea *anathemisatus* ab Apostolo Gal. I, 8. 9. Abnegat enim doctrinæ a Christo vulgatæ perfectionem, cui *nil addi*, nil *demi debet* Apoc. XXII, 18. 19. Negligit exsertum Domini mandatum Matth. XXIII,10. totamque rationem Novi Testamenti evertit Jer. XXXI, 34. & pretiose emtam libertatem filiorum Dei pedibus proculcat. Nos, qui meliora edocti sumus, vera fide labra summi nostri Prophetæ exosculemur. Hic certo sensu si non potissimus tamen primus fidei actus: hæc prima κίνησις est, in qua Christus recipiendus. Primum officium, quod administravit in mundo, administrat etiam primo loco in anima. Opus enim gratiæ in singulis electis inchoatur ab illuminatione intellectus. Et quis non in usus suos verteret tantum beneficium, quod DEUS peccatori viæ salutis ignarissimo Doctorem dedit? quod tam excellentem? quod tam gratiosum? Quis non contremisceret ad illa Paulli Hebr. II, 3. 4? *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum primum enarrari cæpit per ipsum Dominum, ab iis, qui ipsum audierant, fuit nobis confirmata: testimonium illis præbente DEO & signis, & prodigiis, variisque virtutibus & Spiritus*

Officium ergo fidelium est, post habitis pseudoprophetis in Ecclesia & proprio corde, doctrinæ Doctoris summi unice adsuescere.

Sancti diſtributionibus pro ſua voluntate. Qui vero huic Doctori ſe in diſciplinam tradere vult, ille abneget τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, ut pſeudoprophetam in corde ψυχικῦ ἀνθρώπυ ſtabulantem: exſolvat captivum intellectum vinculis tum ignorantiæ, tum præjudiciorum, tum pravarum cupiditatum: precibus Dominum fatiget, ut *ſapientiam in abſcondito* interne per Spiritum ſuum revelare dignetur. Omnes præterea ingenii nervos intendat cum aſſiduitate & ſegregatione a turbis mundi, ad indagandam viam ſalutis, ad ſcrutandam voluntatem DEI, ad conſilium Sapientiæ ſupremæ in ſingulis fluctibus animi impetrandum. Præcipue vero quæ didicit, amare, in puro corde conſervare, actu ipſo demonſtrare ſatagat. Ita amænitatem labiorum Chriſti guſtabit! ita in cœleſtem Academiam viam ſibi aperiet! ita benedictionis Magiſtri ſui particeps evadet!

EXER-

EXERCITATIO QUINTA
DE
AUGUSTISSIMIS REGIS MESSIÆ VICTORIIS.

1. *Messias dictis & factis simul excellit.* 2. *Pericopa hæc describit victoriam ejus de gentibus.* 3. *Analysis.* 4. *Messias* גבור *seu* Heros *dicitur.* 5. 6. *Quid sit* accingi? 7. Gladius *emblema sermonis Christi.* 8. *Ei proprius est.* 9. Accingi ad femur. Corpus Christi *Ecclesia*: femur *Ministri.* 10. Majestatis & magnificentiæ *Messiæ definitio & distinctio.* 11. *Est ejus tum* paludamentum, *tum* cingulum. 12. *Cur vox* הדר *repetatur?* 13. צלח *felices* progressus *Messiæ exprimit.* 14. *Sequentium vocabulorum constructio detegitur.* 15. De curribus militaribus *varia.* 16. Verbum veritatis *quid sit, definitur.* 17. *Eleganter id cum* curru *confertur.* 19–21. Mansuetudo & justitia *virtutes Regiæ in Messia conspicuæ.* 22. Dextra ejus *symbolum potentiæ.* 23. Terribilia *sunt miracula Messiæ.* 24. *Quomodo ea* per dextram docendus? 25. *Vis argumentationis indicatur.* 26–29. Sagitttæ *Messiæ symbolum tum verbi tum judiciorum ejus.* 30. *Cur* acutæ? 31. Populi *designant gentes convertendas.* 32. Procidere *dicuntur in conversione.* 33. Sagittæ in corde. 34. *Messias cum emphasi Rex ille.* 35. 36. Hostes *ejus describuntur.* 37. *Ad internecionem dandi.* 38. *Argumentum novum huic pericopæ inest ad præstantiam Messiæ super filios Adæ demonstrandam.* 39. *Implementum Prophetiæ demonstratur.* 40–43. *Varia ad praxin pertinentia ex hac dissertatione observantur.*

I.

RAra est doctrinæ & togatarum artium cum bellica fortitudine concordia. Rara eorum seges, quibus & dicere facienda & facere dictione celebranda datum fuit. Recte *Maximus* CCCC. capitibus prologo: οἱ λόγοις ἐνοχλοῦντες πολλοί ἐσμεν σήμερον, οἱ δὲ ἔργοις παιδεύοντες καὶ παιδευόμενοι πάνυ εἰσὶν ὀλίγοι i. *Multi hoc tempore inveniuntur sermonibus turbantes: qui vero* *Cum raro dictis & factis quis simul excellat, utrumque laus ista solidum Messiæ vindicatur.*

ro factis doceant & doceantur, oppido pauciſſimi ſunt. Objicit contrarium Hectori Æneas apud *Euripidem* in Rheſo Act. I.

Εἰθ' ἦσθ' ἀνὴρ εὐβουλος, ὡς δορὶ σαῖ χερί.
Ἀλλ' οὐ γὰρ οὗτος πάντ' ἐπίσταθ' ἕρκτων
Πέφυκεν, ἄλλῳ δ' ἄλλο προσκεῖται γέρας,
Σὲ μὲν μάχεσθαι, τὸν δὲ βουλεύειν καλῶς.

i. *Utinam tam conſilio polleres, quam promtus es manu: Sed enim nemo, qui omnia mortalium noverit: & aliud alii donum contigit: tibi quidem, ut fortiter pugnes, aliis ut recte conſulant.* *Plinius* in Panegyr. Trajani: *Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace: alium toga, ſed non arma honeſtarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit.* Epaminondæ tamen hoc eſt apud *Diodorum Siculum* l. XV. c. 39. encomium: Παρὰ μὲν γὰρ ἑκάστῳ τῶν ἄλλων ἓν ἄν τις εὕροι προτέρημα τῆς δόξης, παρὰ δὲ τούτῳ πάσας τὰς ἀρετὰς ἠθροισμένας. καὶ γὰρ ῥώμῃ σώματος, καὶ λόγου δεινότητι, πρὸς δὲ τούτοις ψυχῆς λαμπρότητι, καὶ μισοπονηρίᾳ, καὶ φιλανθρωπίᾳ, καὶ τῷ μίγιστον, ἀνδρείᾳ, καὶ στρατηγικῇ συνέσει πολὺ διήνεγκε πάντων. Paucorum aliorum hæc laus, & ſic quoque umbratica tantum fuit. In ſolidum ſoli Meſſiæ, virtutum omnium exemplari convenit. De illo Luc. XXIV, 19. laudatur, quod fuerit δυνατὸς ἐν ἔργῳ & λόγῳ. Ad quem locum lectu digna in hanc rem notavit *Alex. Morus* p. 46. Ut ergo amplius pateat excellentia illius cœleſtis Sponſi, cujus epithalamium Propheta canit, utriusque laudis faſtigium eum ita occupaſſe indicat, ut ſi doctrinæ ſpectes myſteria, omnibus creaturis facundior evaſerit, ſi victoriarum metiaris amplitudinem, quæcunque Heroum facinora infinitis paraſangis infra ſe reliquerit. Siſtitur ergo v. 4. 5. 6. ut invictiſſimus & feliciſſimus IMPERATOR.

Inquiritur, de quanam victoria Meſſiæ Pſalmiſta agat, & indicatur.

II. Non opus duxit ſacer Encomiaſtes, omnes ex ordine victorias recenſere, quarum curſu hoſtes univerſos propoſiti ſui ſub jugum miſit, & porro mittet. Unum bellum ſuis eventibus præ cæteris notabile, loco omnium in exemplum producit, & accurate deſcribit. Seligit autem tale, quod

quod ipso illo nuptiarum, quas celebrat, tempore confectum præ cæteris amorem & reverentiam Sponsæ excitare poterat. Quale illud sit, quamvis haut difficulter deprehendi possit, accuratius tamen discipiendum, quia multi Interpretes, & inter eos Celeberrimus *Coccejus* ejusque sequaces heic de decretoria cum Satana in cruce pugna cogitarunt. A quibus tamen ob sonticas rationes discedere debui. Nam ut huic hypothesi serviat Vir incomparabilis, ait: *Nihil est, quod hic per gladium commodius intelligamus, quam imperium Christi & Dei efficax, quo Diabolus suo dominio, quod habebat, exuebatur. Sed imperium illud nititur Christi satisfactione. Atque adeo gladium tum maxime videtur intentasse Diabolo, quando semet victimam pro peccatoribus dedit.* Et paullo post: *Christi igitur obedientia, eaque usque ad mortem, mortem autem crucis, quæ est δικαίωμα, meritum justificans ex multis lapsibus, est vere gladius, quo Diabolus devictus est & interemtus.* Sed nullum potest dari exemplum, quod gladius id symbolum in Scriptura gerat. Et comparatio haut parum detorta est. Accedit, quod in illa pugna הוד & הדר, *majestas & gloria* ei tribui nequeant. De ea enim exserte Jes. LIII, 2. לא תאר לו ולא הדר *nulla erat ei species & nulla gloria.* Ansa erroris fuit, quod distincta bella heic & in sequentibus recensëri putatum sit. Contrarium tamen patebit ex analysi nostra, secundum quam una eademque per certos gradus *de gentilibus reportata victoria* designatur. Nil sane frequentius est in verbo Propheticō, quam conversionem gentium sub emblemate prælii & victoriæ illustris depingere. Ps. XVIII. LXVIII. Jes. XLI. Zach. IX. &c. &c. *tum* quia natura hostes DEI erant, *tum* quia in hoc opere infinita DEI potentia revelata est, *tum* quia pomœria regni Christi extensa. Et facem prætulere typi, inter quos præcipuus occupatio Canaanis duce Josua. Ne tamen quis putet, memoratu omnium dignissimum contra serpentem ipsum, omnium hostium Messiæ caput, prælium silen-

suppono quidem illam, quam de Diabolo reportavit, respiritamen ad illam propriè, qua gentes sub jugum Evangelii misit.

tio præteritum eſſe, iſtud in titulo HEROIS non obſcure celebratur & præſupponitur.

Analyſis Pericopæ hujus datur.

III. In hac ergo triumphati a Meſſia gentilismi deſcriptione Pſaltes ita procedit, ut

aa. Novo nomine eum compellet: *O Heros.*

bb. Bellum ipſum delineet.

αα. Præcedit apparatus ſive *accinctus.* Ubi

אא. Actus: *accinge.*

בב. Arma accingenda: *gladium tuum.*

גג. Locus cui accingenda: *ſuper femur.*

דד. Ipſum cingulum duplex: *majeſtate tua & magnificentia tua.* v. 4.

ββ. Subſequitur prælium: ubi

אא. Excitatio ad illud ineundum

† generalis: *&* quoad *magnificentiam tuam proſpere age.*

†† ſpecialis deſcribens modum, ſcilicet vectionem in curru bellico. Nota heic iterum

* actum: *Invehere.*

** currum ipſum: *ſuper verbum veritatis.*

*** ornatum currus: *cum manſuetudine juſtitiæ.*

בב. Argumentum, quo excitatio illa roboratur, deſumtum a felici ſucceſſu, cujus

† cauſſa: *& dextra tua.*

†† effectus: *oſtendet tibi terribilia* v. 5.

γγ. Finit victoria. Heic Vates,

אא. Collaudat inſtrumentum victoriæ: *Sagittæ*, quas duo commendant

† quod ſint ſagittæ Meſſiæ: *tuæ.*

†† quod ſint: *acutæ.*

בב. Partes victoriæ enarrat duas, ob duplicem eventum, quorum

† alter eſt ſalutaris, ubi

* per-

* personæ: *populi.*
** actus: *sub te procident.*
†† alter mortiferus, ubi iterum
* personæ: *hostes Regis.*
** supplicium: *in* eorum *corde* tela sc. fixa sunt. v. 6.

IV. Vox גבור nativo significatu exprimit Virum virtutibus bellicis inclytum. Jos. VIII, 3. X, 2. Jes. XIII, 3. Jer. XLI, 6. &c. Hinc LXX. sæpius vertunt μάχεσθαι, aliquando & πολεμιστὴν. Atque eo sensu גבורים cluunt, quorum bellica facinora in sacris describuntur. Nimrodus Gen. X, 8. 9. Gideon Jud. VI, 12. Jephta Jud. XI, 1. Boas Ruth. II, 1. Kis 1. Sam. IX, 1. David 2. Sam. XVII, 10. ejusque Heroës 2. Sam. XXIII, 1. Ch. XI. Nil ergo moror *Kimchium*, qui generaliter per *Dominum* & *caput* vertit Schoraschim rad. גבר. Multo minus eos, qui inter Patres & Pontificios adverbialiter sumunt, ambiguitate vocis *potentissime*, quæ est in vulgata, & ignoratione fontium decepti, quos ipse *Erasmus* ridendos propinat, & ex eo *Sixt. Amama* Antibarb. p. m. 496. Per metaphoram transfertur ad Deum ipsum, ut divina ejus potentia exprimatur. Deut. X, 17. Nehem. IX, 32. Jer. XX, 11. XXXII, 18. Inter augustissima Messiæ nomina numeratur Jes. IX, 6. agnoscente *Chaldæo*, sed refragantibus Judæorum recentioribus, qui malunt in Hiskiam detorquere, miserisque fabellis interpretandi illam vesaniam colorare, quam veritati victas manus dare. Occurrit idem Messiæ titulus Psal. XIX, 6. XXIV, 8. LXXXIX, 20. CXXVII. 4. Jes. XLII, 13. Zephan. III, 18. Zachar. IX, 13. Præsupponit in eo æquale cum Patre robur. A quo non longe abludit, quod *Heroas* antiquissimos, Deorum filios fuisse finxerit vetustas. Inter quos locum notabilem habuere *Cabiri*, Samothracum Dii, quos ab Hebræo גבר dictos probabiliter opinatur celeberrimus *Relandus* dissert. Miscell. V. §. 8. ad quorum sacra quibusdam alludi videtur, quando Tit. II, 13.

Vox גבור *usurpatur de quocunque Heroe bellico:*

de Deo: de Messia, immuens ejus tum Divinam originem,

Landesbibliothek Oldenburg

tam aequi-ſtam bellis ſpiritualibus gloriam.

II, 13. de ἐπιφανείᾳ τῆς δόξης ϑ μεγάλϑ Θεϑ ſermo eſt. Præcipue tamen virtutes ejus bellicas deſignat, quibus clarum futurum nec Judæos latet, quamvis in eo pro more impegerint, quod nonniſi de corporalibus cogitarint. Notatu tamen digna Paraphraſis Gen. XLIX, 11. quæ in *Targum Jeruſchalmi* invenitur: מה יאי הוא מלכא משיחא דעתיד למיקם מרבית יהודה אסר חרצוהי ונפיק לקרבא לקביל שנאוי ומתקטלין מלכין עם שלטונין מסמק נהריא מרם קטיליהון ומחוור גולמתיה מן חרב גבריהון לבושוי מעגנין באידמא: i. *Quam pulcher eſt Rex ille Meſſias, qui ſurget ex domo Juda. Accinget lumbos ſuos & procedet ad debellandum oſores ſuos & interficientur Reges cum Principibus. Tinget fluvios ſanguine occiſorum inter eos & candidum faciet pallium ſuum adipe Heroum inter eos. Veſtes ejus aſpergentur ſanguine.* Merito ergo egregios illos V. T. bellatores, Spiritu heroico extraordinario inſtinctos, Abrahamum, Joſuam, Gideonem, Jephtam, Samſonem, Davidem &c. ut ejus typos conſideramus. Quin ſui ipſius typus erat, quando ut Dux militaris Iſraelis in columna nubis præcedebat, ut *Dominus Zebaoth, Princeps exercitus Domini.* Unde nata ad arcam inclamatio, *Surge Jehova, ut diſſipentur inimici tui.* Nempe HEROEM quatuor conſtituunt: Magnitudo animi, vires corporis, hoſtium aſperitas, victoriarum ſeries. Singula Meſſiæ cum omni emphaſi inſunt. 1) *Animus excelſus*, omnis timoris expers Pſ. IV, 7. CXVIII, 6. unde merito comparatus *leoni* ſub typo Judæ Gen. XLIX, 9. præcipue cum ſuper eo eſſet רוח עצה וגבורה i. *Spiritus conſilii & roboris.* 2) Invictum *robur*, Pſ. XXIV. 8. 3) *Hoſtes* internecini horrendiſſimi, ſerpens antiquus, jam in Paradiſo bella movens, & גבור ipſe quoque certo reſpectu Jes. XLIX, 25. dictus, ut ex ejus potentia virtus potentioris eo magis illuceſcat. Porro totum ſemen viperinum, hoſtes, quorum ferocia leonibus, tauris, unicornibus Pſal. XXII, 13. 14. 22. XXXV, 17. multitudo capillis, lapibus &c. Pſ. LXIX, 5. CXVIII, 12. comparatur. 4) Denique triumpho-

rum

rum ejus ingens est cumulus. Typicas ejus de Pharaone & innumeris aliis Israelis hostibus victorias enumerare nunc haut opus est, in quibus ut *Jehova bellator* Exod. XV,3. est manifestatus, cum illæ implementum suum acceperint in ea, quam ut novissimam potissimum hoc titulo Psaltes inrendit. Ecquis enim unquam dignius Herois titulo ornatus est, quam ille, qui *Serpentis caput conterere* Gen. III,15. *captivam ducere captivitatem* Ps. LXVIII,19. *forti captivitatem, violento prædam extorquere* natus est? Jes. XLIX,25. Eat ergo miserrima R. *Isaaci* objectio in Chissuk Emuna lib. I. c. 21, ואיך יקרא אל גבור והוא נהרג i. *Ecquomodo appellabitur ille El, Heros, qui occisus est?* eademque chorda oberrantis *R. Lipmanni* in Nizzachon c. 226 והוא גבור לא היה כיון שנהרג i. *neque etiam Heros fuit ille, utpote qui occisus fuit.* "Imo potius, ut recte *Saubertus* in Palæstra p. 174. invertendum erat hoc argumentum, *fortis* " *fuit, quia occisus fuit.* Si enim fortitudo est μεσότης περὶ θαῤῥαλέα καὶ φοβερά, uti definit *Aristoteles* lib. 3. Nicomach. c. 11. " etiam Messias, postquam expugnasset diabolum, infernum, " & peccata mundi, & certamen cum pervicacibus Judæis " consummasset, quamvis glorioſam oppetierit mortem, imo " quoniam eam ipsam oppetiit, fortis utique recte appellabi- " tur. Sic David de Heroibus in prælio occisis lamentatur: " איה נפלו גבורים i. *quomodo ceciderunt fortes?* 2. Sam. I. 19. Et quidni ille moriendo *Heros* esset, qui non tantum, ut Simsonis antitypus, omnes suos hostes secum sepelivit & ante mortem morientes vidit, sed & *morti* ipsi *pestis* evasit Hos. XIII,14. ejusque imperium profanavit, dum salvos caput extulit? Majoris infinite æstimandus illis, de quibus poëta Æn. VI. 127.

Præcipue Heros dicitur cum respectu ad victoriam, quam de Satana per mortem retulit.

Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est, pauci, quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dis geniti, potuere - -

Landesbibliothek Oldenburg

Non moror jam ea, quæ casu sœpe Heroibus evenire solent, qui suis victoriis alios liberant, servant, aut suis auspiciis alios in prælia ducunt, licet omnia aptissime in nostrum *Heroem* quadrent. Nunc nova ab eo victoria exspectabatur, ex priori sequens, ad quam pleraque illa loca respiciunt, in quibus Messiam *Heroem* appellari indigitavimus.

Accinctus Messiæ in genere præparationem ejus ad bellum mysticum indicat.

V. Armatura ejus propius adspicienda. Postulat enim Propheta, ut ACCINGATUR. *Accingere* se dicuntur, qui se præparant ad opus. *Servius* ad Æn. l. 210. *Accingunt, studiose parant, ut alibi.* In specie *accingi* est ad bellum parari ac instrui. *Nec jactet se, qui se accingit, ut qui se discingit* 1. Reg. XX, 11. Jes. VIII, 9. *Tacitus* Hist. IV, 68. *Simul Domitianus Mutianusque accingebantur, dispari animo.* Et præcipue *Gladio accinguntur*, qui bellum inferre meditantur. 1. Sam. XVII, 39. XXV, 13. *Virgilius* Æn. II. 671.

Hic ferro accingor rursus - -

Æn. VII. 640.

Loricam induitur, fidoque accingitur ense.

Æn. IX, 489.

- Laterique accinxerat ensem.

Denotare ergo Messiæ *accinctus* potest molitionem operis magni & egregii, & quicquid ut præparatio ad id educendum requirebatur. Devictionem gentium opus esse grande innuunt Prophetæ Jes. XL, 26. LXVI, 8. Ut vero virtutes divinæ in eo demonstratæ eo magis ad oculum patescerent, non uno ictu id educere placuit, sed gradatim, ita ut antecederet præparatio, cujus indolem symbolorum adhibitorum propior contemplatio docebit.

Cur in imperativo dicatur ad Messiam: Accingere?

VI. Non prætermittendum, cum firmo DEI decreto hæc ita stabilita essent, uti tamen Vatem modo imperativo: ACCINGERE, quasi moras nectenti calcar adderet. Hoc sæpe scriptoribus sacris in usu est: postulant a DEO, quod certo futurum vident. Exempla sunt Davidis 2. Sam. VII, 25. 27.

25.27. Danielis c. IX, 2.3. Ita declarant, quam arcte sua vota cum consilio DEI coincidant. Ita simul typum dant, præcessuras semper opus DEI fidelium preces, atque hanc fore primam ad exsolvenda promissa præparationem. Jer. XXIX. 11.12. Ezech. XXXVI, 36.37.

VII. Heros cœlestis non nisi spirituali GLADIO accingitur. Non facio hic cum *Geiero* & aliis, qui per *gladium* synecdochice totam armaturam intelligunt. Nimis vagus ita foret sensus: addo & confusus, quia de cæteris armis sigillatim agitur. Non longe a vero abludunt antiqui illi Judæi, qui teste *R. Salomone* per *gladium* verba legis intelligunt. חגור חרבך על ירך להלחם מלחמת של תורה: i. *Et accinge gladium femori tuo, ad gerendum bellum legis*, & quæ sequuntur. Arma in genere efficacis sermonis symbolum sunt. *Petronius* Satyrico: *Per gladium Messiæ intelligitur sermo ejus.*

- - *quatiatque Demostenis arma.*

Præcipue *gladius*, uti docet *Pierius Valerianus* hieroglyph. lib. XLII. c. 59. Hinc proverbium: *plumbeo jugulare gladio*, pro futili levique argumento convincere, & apophtegma Diogenis: ἐν ἐλεφαντίνῳ κυλεῷ τὸ μολύβδινον ξίφος i. *in eburna vagina plumbeus gladius*, quæ utraque explicat *Erasmus* Adag. p. m. 134. & 176. Hinc hominem ἀλεγχτικὸν veteres ξίφος appellabant. Sic de Cleodemo Philosopho *Lucianus* in Sympos. ξίφος αὐτὸν οἱ μαθηταὶ καὶ κοπίδα καλοῦσιν i. *discipuli eum gladium & bipennem vocant.* Jure ergo merito sermo Messiæ *gladio* comparatur. Hinc os ejus *acutus gladius* Jes. XLIX, 2. Et conferri possunt loca Ps. CXLIX, 6. Cant. III, 8. Jes. XLI, 2. Zach. IX, 13. ubi ejusdem Messiæ sermo in ministrorum ejus ore intelligitur. Hunc adumbravit *gladius Gideonis* Jud. VII. 10. Et elegans est similitudo, sive proprietates, sive usum *gladii* respicias. Ad *proprietates* pertinet: 1) *gladii* materia, quæ solet esse firmissima æris ferrive lamina. Sic de gladio Hispanienſi *Polybius* lib. 6. τὸν ἐβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι i. *laminam* *Analogia hujus symboli indicatur in proprietatibus,*

ejus firmam & ſtabilem eſſe. Hinc *Lucanus* lib. 8. *Enſis habet vires*- -Sermo Meſſiæ verax & conſtans eſt, & manet in æternum Pſ. CXIX, 89. Jes. XL. 8. 2.) *Gladium* commendat fulgor ejus. *Livius* lib. I. c. 25. *micantesque fulſere gladii. Virgilius* Æn. VII. 734.

- - *micat æreus enſis.*

Verbum Meſſiæ fulget ſplendore veritatum, ex quibus conſtat, quæ gloriam Jehovæ annuntiant, & terrore impiorum aciem perſtringunt. 3) *Gladii* veterum ancipites erant. Jud. III, 17. *Polybius* l. cit. iis adſcribit καταφορὴν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μερῶν ἴδιον i. *ictum utrimque validum.* Et ſcriptor incertus apud *Suidam:* καταφορὴν ἔχειν δυναμένην ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μερῶν. Verbum gratiæ itidem δίϛομον Hebr. IV, 12. Apoc. I, 16. ſive quia *ex duobus teſtamentis conſtat, legis antiquæ & novæ* ſecundum *Tertullianum* contr. Marc. lib. III. c. 14. ſive quia duo latera habet & duos effectus, vivificat & necat, convertit & convincit. 4) *Gladius* inſigne nobilitatis, regiæque majeſtatis apud veteres ſignum erat. Hinc traditio ferri deſignabat traditionem imperii. Et inſignia nobilitatis ipſis gladiis inſcribebantur. Videri poſſunt *Roa* Singul. Tom. 2. lib. III. c. 12. *Vitringa* in Apocal. VI, 4. *Faber* Semeſtrium lib. I, c. 3. *Perizonius* ad Ælian. XIII, 34. *Lorinus* ad h. l. Per verbum Meſſiæ majeſtas ejus prædicatur. 5) *Gladius* nullam vim habet, niſi manu Heroïs vibretur. Hinc gladii Heroum laudantur. Omnis vis verbi dependet a dextra Meſſiæ, de qua ad v. ſeq. Hinc ipſe *gladius* populi ſui Deut. XXXIII, 29. Tolle hanc de verbo, nil niſi mortua reſtabit litera. *Uſus gladiorum* in bello ingens & multiplex eſt. V. *Lipſium* de milit. Rom. lib. III. Dial. 3. Admirabilia ſunt verbi effecta in pugna ſpirituali. Perrumpit armamenta carnis. Vulnerat conſcientias. Detegit arcanos mentis receſſus. Excitat acutiſſimos ſeriæ pœnitentiæ dolores. Debilitat & occidit veterem hominem. Proſternit animam ad pedes Meſſiæ, omnemque vim reſiſtendi operationibus

tum in variis uſibus gladii.

nibus Spiritus aufert. Refractarios denique judiciis, quæ prædicit, enecat. Exemplum harum operationum dandum in subjectione gentium sub jugum Messiæ Ps. II, 9. Ps. CX, 2. Jes. XI, 4, Zach. IX, 13. 14.

VIII. Talem gladium Messiæ Psalmodus appropriat: *gladium* TUUM. Nempe 1) verbum hoc Messiæ a Patre datum est, ut prædicaret Deut. XVIII, 18. 2) Ipse quoque primitus prædicare debuit. 3) Ejus virtutes & facta in verbo hoc describuntur. 4) Quamvis per alios quoque verbum hoc prædicetur, non aliter tamen quam in nomine ejus prædicare debent. 5) Denique quicquid per verbum hoc efficitur, regno Messiæ accedit. *Gladius hic Messiæ proprius est.*

IX. Ut autem gladius hic in prælio ad manus esset, AD FEMUR *accingendus.* Gladios plerumque baltheo ab humeris dependente suspensos esse constat. Consulendi *Barthius* ad Claudian. p. m. 29. 30. *Lydius* de re milit. lib. III. c. 8 *Lipsius* cit. *Lorinus* ad h. l. Putem tamen apud Orientales, quibus cingula circa femur ob laxiores & longiores vestes magis necessaria erant, illa quoque eo usui inserviisse, ut appenderentur gladii. Apud Turcas ita hodie adhuc dum consuetum. Apud Persas idem olim obtinuisse testis *Herodotus*, nisi quod breviores gladios, & ad dextrum femur, gestabant. Tribuit enim Xerxis exercitui libr. VII. ἐγχειρίδια ἀπὸ τὸν δεξιὸν μηρὸν ἀπηωρεύμενα ἐκ τῆς ζώνης i. *pugiones ad dextrum femur e baltheo suspensos.* Talis applicatio gladii ad *femur dextrum* ad oculum cernitur in statua Cliviaca falso pro Eumenio Rhetore habita, quæ Principem quendam tunica picta, cingulo bullato, gladioque ad dextrum femur pendente conspicuum repræsentat. Veram effigiem restitutam vide apud *Braunium* de Vest. Sacerd. Hebr. lib. II. c. 3. Idem conspicitur in marmoribus quam plurimis Romanorum, quorum ectypos ære expressos dedit *Gulielmus du Choul* de Castramet. Roman. p. m. 10. 13. 17. 22. Ita quoque consuevit apud Hebræos. Exod. XXXII, 26. Cant. III. 8. Et sigillatim *femoris dextri* mentio fit *Gladium ad femur accingere veteres præcipue in Oriente solebant.*

Landesbibliothek Oldenburg

Corpus mysticum Messiæ est Ecclesia.

Jud. III. 16. Non puto eorum ἀκρίβειαν culpari posse, qui inquirunt, quid in allegoria Psalmistæ per *femur* Messiæ intelligi possit. Certum est, tribui illi corpus mysticum, quod est Ecclesia ejus, cujus ipse caput est, quodque ex variis membris componitur, quæ diversos personarum ordines uno Spiritu inter se colligatos designant. Ephes. IV. 12-16. 1. Cor. XII. 14-30. Apud profanos authores similiter integri populi, ut corpora considerantur. *Livius* lib. I. c. 8. *Multitudine, quæ coalescere in populi unius corpus nulla re, præterquam lege poterat.* Hinc natus apologus Menenii Agrippæ Ibid. lib. II. c. 32. quo discordia membrorum corporis populo Romano in exemplum proposita est. Idem respicit *M. Antoninus* de rebus suis II. §. 1. γεγόναμεν δὲ πρὸς συνεργίαν, ὡς πόδες, ὡς χεῖρες, ὡς βλέφαρα, ὡς οἱ σοῖχοι τῶν ἄνω καὶ τῶν κάτω ὀδόντων i. *Ad mutuas operas nati sumus, quomodo pedes, manus, palpebræ, dentium superiorum inferiorumque ordines.* *Hieroclis* & *Basilii Cæsaris* idem emblema adhibentium verba in notis *Gatakeri* ad hunc locum legi possunt. Vide quoque *Antoninum* lib. VII. 13. Eodem modo Messiæ populus spirituale corpus constituunt. Speciatim ei *femur* adscribitur Dan. X, 5. Et quid impedit, per femur hoc ministros intelligere, quorum opera bellum spirituale contra gentes movendum erat? Ex *eorum* enim *ore fundatur robur* Pſ. VIII. 3. cujus sedes est femur. Unde Apoc. XIX. 16. *in femore* Messiæ scriptum: *Rex Regum & Dominus Dominorum.* Eorum opera spirituale semen progenitum Pſ. CX. 3. prout *femur* fæcunditatis humanæ fons est, de quo videri possunt *Phaletranus* de ablat. sceptri apud *Grævium* Syntagm. dissert. p. 389. *Lydius* inde derivans morem *jurandi per femur* dissert. de juram cap. 4. §. 3. *Heinsius* Aristarch. Sacr. p. 13. 14. Fors simile hieroglyphicum subfuit fabulæ de *femore aureo*, an *eburneo*? Pythagoræ inter veteres sparsæ. Id certum est, hinc rationem commodissime dari posse, cur præparatio Messiæ ad subjugandum gentes *accinctui gladii ad femur* comparetur? Antequam enim tantum opus executioni daretur, necessum erat gladio verbi instrui

Femur designat ministros Evangelii.

Accinctus huic femori gladius per effusionem Spiritus.

instrui eos, quos in commilitones Messias Heros assumere volebat. Hæc instructio futura erat per effusionem Spiritus. Adaptatio ergo *gladii ad femur* esset ipsissima hæc donorum Spiritus collatio, per quam *filii Zionis*, *ut gladius Herois ponendi* Zach. IX. 13.

X. Sed non sufficere hanc præparationem agnoscit Psaltes. Unde postulat addi הודך והדרך MAJESTATEM TUAM ET MAGNIFICENTIAM TUAM. Voces, quæ singulæ aliquid augustum & Regium spirant. Sic הוד usurpatur 1. Chron. XXIX. 25. Dan. XI, 21. & הדר Dan. XI, 20. Intenditur emphasis, quando conjunguntur, illamque *majestatem* tum exprimunt, quæ DEO soli convenit Job. XL, 5. Ps. CIV, 1. Præcipue vero adhibentur hæ voces in illis locis, in quibus Regnum Messiæ post exaltationem in cœlos erigendum depingitur 1. Chron. XVI. 27. Ps. XXI. 6. Psal. XCVI, 6. Ps. CXI, 3. Quodnam intercedat discriminis, Interpretibus fere negligitur. Ridiculi sunt Judæorum magistri, qui in *Midrasch Tillim*, quamvis hæc attributa esse Messiæ agnoscant, per הוד authoritatem magistri, per הדר decorem discipuli intelligunt. Istud patere puto, הדר esse consequens הוד. *tum* quia in constructione semper sequitur, *tum* quia Psal. CXLV, 5. laudatur הדר כבוד הודך i. *magnificentia gloriosæ majestatis tuæ*, ubi magnificentia ut attributum majestatis consideratur. Generale sub quo utraque comprehenduntur, & quod utrisque æquipollet, sine dubio est כבוד. Locum הוד occupat in descriptione exaltationis Messiæ Psal. VIII, 6. וכבוד והדר תעטרהו *Gloria & magnificentia coronabis eum.* Nec minus cum הדר connectitur Ps. CXLV, 12. Cum vero vox כבוד & superpondium excellentiæ Regis Messiæ in genere, & revelationem ejus in specialibus operibus designet, quorum pulchritudo oculos attendentium perstringit, eosque ad glorificandum Regem excitat: placuit procul dubio Spiritui Sancto, hæc interdum accuratius distinguere adhibitis duabus vocibus. Prior vox הוד recte *majestas* vertitur, quod pluri-

Majestas & magnificentia Messiæ describitur.

observato hoc discrimine,

ut per הוד ſeu majeſtatem, virtutes & poteſtas regia,

pluribus evicit *Bootius* Animadv. Sacr. lib. IV. c. 1. Exprimit ergo *majeſtatem* Regis cœleſtis, generatim ſub ſe comprehendentem *tum* regias virtutes atque dotes, quæ illum tanto faſtigio digniſſimum reddebant, *tum* traditionem regni in manus ejus a Patre factam. Unde Num. XXVII, 20. cum Moſes Joſuam ſibi ſucceſſorem deſignare juberetur, dicitur ei: *Pone* מהודך de *majeſtate tua ſuper eum*, quo nil aliud intelligitur, quam Spiritus altus, tantoque negotio idoneus, & facultas gubernacula populi capeſſendi. Poſteriorem vocem הדר aptiſſime referimus ad demonſtrationem majeſtatis in externis operibus, quæ gloriam Meſſiæ in Eccleſia evehebant. Uſurpatur enim de omni re, quæ externe pulchra & ſplendida apparet Lev. XXIII. 40. Deut. XXXIII, 17. & præcipue de ſplendido veſtitu externe adjacente, quo amicti ſolent eſſe Reges, quando prodeunt in publicum. Prov XXXI, 22. Ezech. XVI, 14. Pſ. CIV, 1. Thren. I, 6. Cumque opera Meſſiæ regia iſtud privum habeant, ut in iis potiſſimum ſanctitas ejus demonſtretur, hinc הדרת קדש *magnificentia ſanctitatis* ei tribuitur 2. Chron. XX, 21. Et quia idem ſplendor in fidelibus reſplendet, qui in luce faciei ejus ambulant, hinc & illis הדרי קדש tribuuntur Pſal. CX, 3. Quin reciproce hæc phraſis ſumitur 1. Chron XVI, 29. Pſ. XXIX, 2. XCVI, 9. in quibus locis & ſplendor Meſſiæ & effulgeſcentia ejus in populo ſuo ſimul poteſt intelligi. Si vero porro cogitamus, in quonam præciſe opere poſt effuſionem Spiritus ante converſionem gentium gloriam ſuam Meſſias demonſtrare debuerit, non aliud deprehendemus, quam manifeſtationem nominis ſui inter Judæos. In quo opere cum præparatio fuerit ad majus opus inter gentes educendum, iſtud præciſe per הדר deſignari nulli dubitamus. Inde clariſſime patebit, cur hæc vox ſola in principio ſequentis verſus repetatur, quia duplex הדר Meſſiæ debebatur. Priori inter Judæos modo imbutum, poſteriori jamjam inter gentes induendum Pſaltes ſibi proponit. *Arnobius* in h. l. ſingularem explicationem habet: *Oſtendens ſpe-*

per הדר ſeu magnificentiam, regiarum virtutum in operibus demonſtratio intelligatur.

Præciſe hic ea virtutum demonſtratio innuitur, quæ inter Judæos facta eſt.

ſpeciem ſuam ait, (ita vertit הוד) *id eſt, manifeſtans Patrem: & pulchritudinem ſuam* (הדר) *id eſt Spiritum Sanctum. Species enim Filii Pater eſt, & pulchritudo ejus Spiritus Sanctus.* Hæc explicatio per ſe conſiderata valde coacta eſt: habet tamen aliquid, quod cum noſtra ſententia aliquatenus conferri poſſet, quia per הוד iſtud intelligimus, quod a Patre in cœlis accepit, per הדר iſtud quod per Spiritum in terris manifeſtat. Sicut vero gladium Meſſiæ appropriaverat, ita hæc quoque attributa ei propria facit: *majeſtatem TUAM, & magnificentiam TUAM*, innuens gloriam illam univerſam ei a Patre ex pacto æterno debitam, & jus ad illam per devictionem Satanæ acquiſitum, quin actu in manus ejus jam traditam, quæ nunc non moramur.

Meſſiæ hæ qualitates propriæ ſunt.

XI. Iſtud adhuc conſiderationem noſtram meretur, quo pacto hæ voces cum præcedentibus cohæreant. *Pagninus* & alii conſtruunt cum גבור vertentes: *potens gloria & decore*, ſed iſtud invita Minerva. Plures ſequaces habent *LXX.* qui cum gladio nectunt. Ita & *Vulgata: Specie tua & pulchritudine tua.* Hoc placet *Bugenhagio*, *Riveto*, aliis, ipſique Celeberrimo *Vitringæ* Obſervat. Sacr. lib. I. c. 3. §. 11. qui & erudite hypotheſin hanc illuſtravit. Cabbaliſtas enim Judæorum ſuas enarrationes, quas *Sephiroth* vocant, & per quas certas virtutes in Meſſia conſpicuas futuras primi earum confarcinatores deſignaſſe videntur, tum ex aliis Scripturæ locis, tum ex hoc potiſſimum Pſalmo hauſiſſe putat. In qua theſi conſentientem habet Celeb. *Joh. Meierum*, qui doctiſſima diſſertatione de *Myſterio Trinitatis* diligentius ac quisquam alius has *enumerationes* ex Kabbaliſticis ſcriptoribus explicare annixus eſt. Sane inter eas occurrit etiam הוד לד quod femori dextro, qui ſolet gladii locus eſſe, inſcribunt Magiſtri. Quamvis vero lubens fatear, Pſalmum noſtrum iis compoſitionis ſuæ anſam dediſſe, nolim tamen eos mihi heic eligere duces, *tum* quia de antiquitate & origine compoſitionis hujus dubia lis eſt, uti erudite docuit *Basnagius* hiſt. Judaicæ lib. III. c. 14.

Nexus harum vocum cum præcedentibus eſt intricatus.

An Sephiroth Judæorum hic in conſilium vocare opus ſit?

Landesbibliothek Oldenburg

tum quia tanta explicationum & tam intricata eſt varietas, ut ſi quid veri lateat, quod ego penitus non nego, in Democriti tamen puteo ita ſubmerſum ſit, ut certi aliquid dignoſci nequeat: *tum* quia gladium Herois noſtri in *femore dextro* diverſum a majeſtate exiſtimo. De cœtero majeſtatis quidem Regiæ ſymbolum eſſe poſſe gladium §. VII. agnovi. Liceat tamen hoc loco a Viris magnis diſſentire, *tum* quia nusquam in ſacris gladius per ſe majeſtatem Chriſti adumbrat, niſi quatenus per verbum manifeſtatur, *tum* quia ſenſus auguſtior redditur, ſi novum aliquem ornatum per has voces ſubintelligas. Ego ergo malim cum חגר *Accinge* conſtrui. Nec ſic tamen res confecta. Quidam enim repetendum hic verbum putant: *Accinge gladium . . . accinge etiam majeſtatem . . .* Nec dubium eſt elegantiſſimum verba ita concepta ſenſum fundere. חגר de omnis veſtis indutione ſumitur 2. Sam. VI, 14. Jes. XV, 2. Thren. II, 10. deque armis quibuscunque Jud. XVIII, 11. 17. Quocum convenit iſtud *Pauſaniæ* in Bœoticis: Τὸ δὲ ἐνδύναι τὰ ὅπλα ἐπάλξεσιν ἄρχει οἱ παλαιοὶ ζώσασθαι i. *Ipſum vero induere arma veteres* Cingere *dixere.* Imperatorem autem bellicum fas eſt, non tantum gladio, ſed reliquis quoque armis munitum eſſe. Præcipue reſpici poteſt *paludamentum*, quo Duces in bello olim conſpicui erant, & de quo poſt *Bayſium* de re veſt. *Lipſium* de milit. Rom. II, 12. *Heraldum* Adverſar. lib. I. cap. 8. *Alexandrum ab Alexandro* dier. Gen. V. 18. præcipue prolixe *Ferrarius* egit toto fere libro III. partis II. de re veſtiaria. Et ita egregie veſtitus ad bellum introducitur Meſſias Jeſ. LIX, 17. *Induit juſtitiam tanquam loricam, habens galeam ſalutis in capite ſuo, & induit veſtes ultionis amictum, & operuit ſe zelo tanquam pallio.* Confer Pſ. XCIII, 1 Nec abſonum veſtem Imperatoris ut ejus gloriam & decus conſiderare, cum Matth. VI, 29. ipſe Salomonis veſtitus ejus δόξα dicatur, ad quem locum notatu digna huc facientia habet *Pineda* de reb. Sal. VI, 5. Cl. *Keuchenius* in N. T. p. 41. ſeq. Et fors ad tale paludamentum reſpicitur Jeſ. IX, 5. quando *principatus* Meſſiæ *ſuper humeros*

Majeſtas & magnificentia Meſſiæ poſſunt conſiderari ut ejus paludamentum.

meros ejus esse dicitur, scilicet instar vestis Imperatoriæ humeris impositæ. Confer *Vitringam* in hunc locum. Egregie huc facit locus ex *Midrasch Tillin* super illa verba Ps. XXI. *in virtute tua lætabitur Rex*, quem ex *Raymundi* Pug. Fid. p. III. dist. 3. c. 2. §. 12. hic adscribo: אר"ר הגינא בשם אחא מהו והיתה מנוחתו כבוד שהוא הבה"ג נותן למלך המשיח מן הכבוד של מעלה הוי יהוה בעזך ישמח מלך רא"י יהוה בעזך ישמח מלך אר"נ נחמן מי הוא זה מלך הכבוד יהוה צבאות הוא מלך הכבוד סלה וגו' שנו רבותינו מלך בוד"ו אין לובשין עטרה של לו והבה"ג נותנה למלך המשיח שנא' תשית לראשו עטרת פז מלך בוד"ו אין לובשין פורפוריא שלו ומהי הוד והדר שנ' הוד והדר לבשת ובמלכך המשיח כתיב גדול כבודו בישועתך הוד והדר תשוה עליו: i. *R. Chanina in nomine R. Acha dixit, quid est, quod ibi statim sequitur*: & erit requies ejus gloria? *Quia ipse Deus sanctus benedictus tribuit Messiæ de gloria suprema: & hoc est:* Domine in virtute tua lætabitur Rex. *Alia expositio:* Domine in virtute tua lætabitur Rex. *Dixit R. Nachman*: Quis est iste Rex gloriæ? Dominus Exercituum ipse est Rex gloriæ. *Et dixerunt Magistri nostri; Rex carnis & sanguinis nullus induitur corona ipsius. Deus vero sanctus erit donans eam Regi Messiæ, sicut dictum est* (Ps. XXI, 4.) Pones capiti ejus coronam auream cum lapidibus pretiosis. *Rex carnis & sanguinis nullus induitur purpura ejus. Et quæ est?* MAJESTAS ET MAGNIFICENTIA, *sicut dictum est* (Ps. CIV, 1.) majestatem & magnificentiam induisti. *Et de Rege Messia inscribitur* (Ps. XXI, 6.) magna gloria ejus in salvatione tua, *majestatem* & *magnificentiam* pones super eum. Colludunt illa *R. Davidis Kimchii* ad Psal. CIV. Amictus majestate & magnificentia: *Quando feciſti cælos sicut vestitus regius, quo tanquam Rex regiis insignibus, es adornatus. Vel dicit:* majestate & magnificentia, *quia homo si sit fortis, plerumque non est formosus, vel e contra: Sed ambo sunt in Deo & in Rege Christo* (Psal. XXI, 5.) Posuisti super eum majestatem & magnificentiam. Patet inde Judæorum Magistros non tantum hæc pro attri-

butis Meſſiæ habere, ſed etiam tanquam veſtitum ejus Regium conſiderare. Sic exhortaretur Eccleſia Meſſiam, ut totam ſuam majeſtatem revelaret: quæ ſane requirebatur ad tantum opus. Huic exegeſi, ſi quis acquieſcere volet, nullam ei litem faceſſo. Interea perpendendum relinquo, annon aptiſſime ſine ullo hiatu verſio fluat, ſi per majeſtatem & magnificentiam Meſſiæ cingulum ipſum intelligamus. Ita ut Eccleſia peteret, *accingeret Meſſias femori gladium ſuum*, mediante *majeſtate & magnificentia ſua*, tanquam cingulo. Hoc videtur *Bezæ* in metaphraſi ſua obſervatum eſſe, quando vertit:

Aptiſſime tamen videntur pro cingulo Meſſiæ ſumi poſſe.

- - - quem gloria totum
Cingit, & æterno exornat ſplendore coruſcum.

Id certum, & ſymbolum eſſe commodiſſimum, & nexum valde emphaticum. Cingula ad ornatum Regium & Imperatorium pertinebant. Adrianus Cæſar, teſte *Spartiano*, *ſine auro balteum ſumebat, & ſine gemmis fibula ſtringebatur.* Unde quid moris fuerit, colligere in promptu eſt. *Herodianus* lib. V. de Macrino: Προήει τε πορφυρᾶς καὶ ζωσῆς χρυσῷ πολλῷ καὶ λίθοις τιμίοις πεποικιλμένοις κεκοσμημένος· i. *Proceſſit fibulis & balteo multo auro & pretioſis lapidibus ornato atque picto.* Simile de Carino obſervat *Vopiſcus*. Nec dubium, hoc ex Oriente eſſe hauſtum. Hinc *Parthica cingula* habet *Claudianus* de raptu Proſerp. lib. II. *Baltheos Babylonicos Ambroſius* lib. de Helia & Jejunio c. 13. περσικὴν ζώνην *Diodorus Siculus* lib. XVII. & *Plutarchus* in Alex. huic Macedonum Regi tribuunt, de qua *Briſſonius* Regn. Pers. L. I. Et de Hippia *Plato* lib. XIX. ἐπειδὴ τὴν ζώνην ἔφηθα ἃ χιτωνίσκα ἣν εἶχες, εἶναι μὲν ὅιαι αἱ περσικαὶ τῶν πολυτελῶν, ταύτην δ' αὐτὸς πλέξη. i. *Sic & tunicæ cingulum, quod habes, dixiſti confeciſſe, pretioſum & Perſicis ſimile.* Hinc frequens apud authores metaphora, ut cingula pro ſummis magiſtratibus ponant. Apud *Suidam* ζώνη, ἀξίωμα. Et farraginem teſtium invenies apud *Barthium* ad Claudian. p. m. 958. In ſacris cingulum

Cingula ſunt ornatus Regius:

gulum majestatis regiæ usitatum emblema est. De Jehova Jobus c. XII, 18. *Vinculum Regum dissolvit, & cingulum alligat lumbis eorum.* i. majestate eos exuit & induit. Adde Jes. XXII, 21. Jerem. XIII, 11. Propius ad rem facit, quod ipsi Messiæ cingulum tale hieroglyphicum tribuatur. *Lumbi ejus accincti erant insigni auro Uphasi* Dan. X, 5. Et visum parallelum est Apoc. I, 13. nisi quod heic non circa lumbos, sed περὶ τοῖς μαστοῖς cinctus proponatur. Quin exserte de virtutibus regiis Messiæ accinctum suum interpretatur Jes. XI, 5. *Justitia erit cingulum lumborum ejus, & fides ipsa cingulum femorum ejus.* Et si quis aliquam desideret analogiam. 1) *Cingulum* erat ornatui Heroibus: Sic majestas, quam Messias exaltatus exspectabat, eum ornare & pulchrum reddere oculis fidei poterat. 2) *Cingulum* undique, ante ac retro accinctum ornat: Sic regia majestas & gloria Christi in omnibus ejus viis conspicitur. Ps. LXXXIX, 9. *pollens decentia, & fides tua est circumcircate.* 3) *Cingulum* arctissime adhæret corpori, quo respicitur Jerem. XIII, 11. Sic majestas Christi ab ejus persona inseparabilis, constansque est. 4) *Cingulum* fluentes vestes cohibens expeditum faciebat militem. Gloria in Messiam collata eum alacrem facit ad applicandam salutem electis, quæ in ejus manus tradita est. 5) *Cingulum* adstringens corpus vires intendebat, firmabat gressus. Hinc commune roboris symbolum est. Et recte *Jarchius* ad Jes. XXIII. כל אזור לשון חזק i. *omne cingulum metaphorice designat robur.* Patet id amplius ex locis 1. Sam. II, 4. Ps. XVIII, 33. 40. Psal LXV, 7. Nil vero magis viam stravit Messiæ ad demonstrandum robur suum, quam majestas, qua indutus est. 6) Nil sanctius viris bello strenuis, quam asservatio *balthei*, quo nisi cum vita privari nolebant. Majestas Messiæ similiter perennis est, & regnum æternum. 7) *Cingulo* & cæteræ vestes clauduntur, aptanturque corpori, & præcipue, quod hoc loco Vates intendit, gladius applicatur femori. Et pariter id plane effectum fuit majestatis in Christum collatæ, ut non tantum cœtera mem-

& majestatis Regiæ symbolum:

in specie majestatis Messiæ:

cujus rei analogia demonstratur.

bra ejus veſtibus juſtitiæ variisque charismatibus Spiritus ornarentur, ſed etiam Præcones verbi ſui, per quos gentiles devicturus, ſpirituali gladio inſtruerentur. Hinc *miſſio ſceptri ex Zione* ut conſequens ſeſſionis ad dextram conſideratur Pſ. CX, 2. & cum adſcenſione in altum *donorum* diſtributio conjungitur Pſ. LXVIII, 19.

Vera punctatio in והדרך *defenditur, & novam magnificentiæ Meſiæ demonſtrationem hic reſpici indicatur, quæ inter gentes fieri debebat.*

XII. Ita munitus prodit Meſſias in pugnam. Prodeunti felici augurio acclamat Vates: והדרך צלח i. ET QVOAD MAGNIFICENTIAM TUAM PROSPERE AGE. Priorem vocem aliter punctatam legerunt LXX. vertentes: καὶ ὄπιθον. Sequaces fuere *Arabs*, *Æthiops* & *Vulgata*: quod reſpondet voci וְהַדְרֶךְ a דרך *calcavit*, *intendit* ſc. arcum. Placuit ea verſio nuper quoque Celeberrimo *Vitringæ* in Apocalyps. p. m. 324. Sed videtur ita absque neceſſitate in ſymbolo elegantiſſimo ὕστερον πρότερον ſtatui. Non enim tenditur arcus, antequam currus eſt conſcenſus. Et jam ante contra *Cappellum* obſervavit *Buxtorfius* Vindiciarum Verit. Hebr. P. II. c. 8. p. 555. 556. verbo דרך quando ſignificationem *tendendi*, *intendendi* habet, ſemper adjunctum eſſe nomen קשת *Arcus*: ſine eo nuſpiam occurrere, ut ſic locutio hæc τῶν ο' primo ſit irregularis & elliptica, tum etiam inuſitata & inſolens in Scriptura. *Ludovicus de Dieu* aliam comminiſcitur lectionem וְהַדְרֵךְ *& viam proſpera*. Ego non temere *Maſoretharum* lectionem ſollicitandam putem: præſertim cum ſontica heic ſuppetat ratio, cur ita loqui Spiritus voluerit. Frequens & elegans eſt anadiploſeos in ſacris uſus, ſicut ad hunc locum *Geierus* & *Glaſſius* Rhetor. Sacr. Tract. II. cap. I. indicarunt. Et ſublimius ſubeſt myſterium, quia *magnificentia* hactenus inter Judæos demonſtrata, nunc alterum ſui ſpecimen inter gentes datura, quod jam §. X. monitum eſt. Conferri poſſunt Pſal. XCVI, 3. 7. XCVII, 6. CXIII, 3. 4. Jes. VI, 3. LII, 10. Malach. I, 11. Nihilque durum eſt in ellipſi, ſive ſuppleas eam *in*, ſive *cum majeſtate tua*, ſive *quoad majeſtatem tuam*. Frequens eſt præfixorum ב & ל omiſſio.

XIII. Ap-

XIII. Aptissime vero *magnificentiæ* Messiæ ulterior inter gentes demonstratio verbo צלח designatur: cujus primariam notionem esse *pertransire* bene *Gousſetus* enodavit, collatione 1. Chron. XII, 15. ubi עבר stat loco צלח 2. Sam. XIX, 17. de *transitu* Jordanis usurpati. Sic Deut, XXVIII, 29. de *transitu* viæ ad metam usque, Amos V. 6. de *transitu* incendii invenitur. Et quoniam talis *transitus* cum impetu transeuntis solet fieri, hinc de impetu irruentis Spiritus adhibetur sive prophetici 1. Sam. X, 6. 10. sive heroici 1. Sam. XI, 6. XVI, 13. sive enthusiastici 1. Sam. XVIII, 10. Quare in genere cujuscunque rei fortiter susceptæ & remotis impedimentis *feliciter succedentis* eventumque suum habentis emblema est. Jud. XVIII, 5. Jerem. XII, 1. Ezech. XVI, 13. XVII, 15. Et de re *successu* carente לא צלח dicitur Dan. XI, 27. Jes. LIV, 17. Proverb. XXVIII, 13. Præcipue felix *successus* belli hoc verbo exprimitur 1. Reg. XXII. 12. 2. Chron. XX, 20. Et in eodem sensu Messiæ adscribitur Ps. CXVIII, 25. Et præcipue Jes. LIII, 10. חפץ יהוה בידו יצלח i. *beneplacitum Jehovæ per manum ejus prosperè succedet.* Ubi sine dubio eadem in gentes expeditio innuitur. Antecedit enim: *videbit semen.* Et *beneplacitum Jehovæ* est decretum de dandis ei gentibus Ps. II, 7. 8. Atque inde צלח מ in bellis Jehovæ ut proprium Messiæ venturi ἀριστεύσων ponitur a *Maimonide* de Rege Mess. cap. 1. §. 4 ואם יעמוד מלך מבית דויד וגו' וילחם מלחמות ה' הרי זה בחזקת שהוא משיח: אם עשה והצליח ובנה מקדש במקומו וקבץ נדחי ישראל הרי זה משיח בודאי: i. *Si surgat Rex ex domo Davidis &c. & gerat bella Jehovæ, ecce ille est præsumtione Messias. Si porro id faciat*, & prosperetur, *atque ædificet templum suo loco, colligatque dispersos Israelis, ecce sufficiente* (vel certo) *argumento ille est Messias.* In *Targumim* צלח respondet sæpe השכיל *prudenter agere.* Jer. XXIII, 5, & Jes. LII, 13. ubi legitur משיחא הא יצלח. Adeo ut talem prosperitatem *successus* designet, quæ non tantum a fortitudine, sed etiam a prudentia & consilio dependet. Opportunior autem hic est sensus metaphoricus præ proprio, qui

Verbum צלח *explicatur, quod potissimum de felici successu belli co & transitu Heroum ab una victoria ad aliam usurpatur.*

Regi Meſſiæ talis progreſſus in victoriis proprius eſt.

qui Celeberrimo *Coccejo* ejusque aſſeclis placuit, ſiquidem ille per applicationem ad prælium Meſſiæ contra gentes feliciſſime exhauritur. Hanc enim expeditionem 1) Heros noſter cœleſtis magno animi robore & Spiritu heroico indutus ſuſcepit. 2) Nec defuere obices perrumpendi, Jordanis inſtar, qui olim Joſuæ Canaanem occupanti pervadandus erat. Illos obices *tum* Judæi, *tum* falſi confeſſores, *tum* gentiles poſituri. Judæi præjudiciis de regno carnali deque perpetuitate cultus Moſaici occupati, & invidia contra gentes correpti, contra quas *zelus* eorum depingitur Deut. XXXII, 1. Falſi confeſſores *vulpes* ſunt, de quibus querela inſtituitur Cant. II, 15. Et quænam impedimenta inter gentes offenſurus eſſet, infra memorabitur. 3) Sed ea omnia ſuperaturus erat Meſſias. Huc facit locus inſignis Mich. II, 13. *Adſcendit perfractor ante ipſos: perrumpunt & tranſeunt portam & exeunt per eam: & tranſit Rex ipſorum ante ipſos & Jehova in principiis illorum.* Ubi veteres Judæi in *Midraſch Tillim* per פורץ *perfractorem* intellexerunt Eliam, per *Regem* Meſſiam filium Davidis. Melius tamen uterque titulus de Meſſia explicari poteſt. Eandem remotionem obſtaculorum innuunt loca Gen. XLIX, 9. Deut. XXXIII, 11. Pſ. XXIV, 7--10. Pſ. LXVIII, 2--5. CVII, 16. Jes. XL, 22--24. XLI, 15. XLII, 15. XLIV, 25--27. XLV, 1. 2. 9. 10 &c. 4) Cauſſæ ſucceſſus ſunt tum prudentia tum potentia Chriſti Pſ. XXXIII, 11. Jes. XL, 14. 26. 5) Hæc perruptio cum magna violentia & celeritate conjuncta erit, & ſimilis non tantum *hinnulo cervarum ſaltanti in montibus* Cant. II, 8. 9. ſed etiam late omnia perrumpenti incendio. Pſ. XVIII, 9. XCVII, 3. Malach IV, 1. Præcipue hic quadrat grandiſona expeditionis in gentes deſcriptio Habac. III, 5. 6. *Ante faciem ejus exeat peſtis & ad pedes ejus egrediatur carbo. Qui ſtetit & menſus eſt terram, vidit & diſſilire fecit gentes, ut diſjecti ſint montes æterni, depreſſi ſint colles ſeculi, hujus ſunt itinera ſeculi.* 6) Atque ita optata meta erectio regni inter gentes attingetur, de qua re in ſequentibus.

XIV.

XIV. Jam vero sive modus sive medium expeditionis felicissimæ propius delineatur: רכב על--דבר--אמת וענוה--צדק cujus incisi varia versio & vexata est interpretatio. *Junius & Tremellius* in priori editione reddiderunt: *equita propter negotium veritatis & mansuetæ justitiæ*, sed in posterioribus mentem mutarunt: *equita cum verbo veritatis & proloquere justitiam.* Parum differt *Piscator: equita super verbo veritatis & proloquere justitiam. De Dieu: Vehere super verbo veritatis & mansuetudinis cum justitia. Mollerus: Equita propter veritatem & afflictionem justitiæ. Geierus: Equita in gratiam veritatis & exaudi justitiam. Lutherus: Incede in gratiam veritatis & ad jus conservandum egenis. Steph. le Moyne* differt. ad locum Jerem. cap. 5. §. 5. *inequita super verbum veritatis, mansuetudinis & justitiæ.* Alii aliter. Sed singulas voces excutiamus. *Incisi proximi varia versio affertur, & vera enucleatur.*

רכב) Et *vectionem in curru & sessionem in equo* exprimit. Præferimus tamen prius, cum *Pellicano, Pineda, Beza, Buchanano;* tum quia temporibus Davidis *curruum* usus in bello generalis: toto exercitu in duas bellatorum classes diviso, quorum aliqui ex curribus, alii pedites pugnarent, uti mox docemus, tum quia sensus augustior & emblema concinnius. Chaldæus ܠܡܪܟܒ ܥܠ ܣܘܣܝ ܡܠܟܘܬܐ: i. *ad vehendum super equos regni*, ubi pluralitas equorum currum innuit, quem trahunt. *Vox רכב vectionem in curru exprimit.*

על--דבר--אמת) Hic duo potissimum sententiarum divortia. Quidam דבר cum על construentes adverbialiter interpretantur, *propter*, *in gratiam*, ut sæpe sumitur. Alii cum אמת conjungunt & plenam vim voci relinquunt: quorum potior mihi est authoritas, præsertim cum דבר--אמת non tantum in regimine cohæreat, sed etiam peculiaris hic mysterii pietatis titulus sit, Ps. CXIX, 43. Eccles. XII, 10. quo opponitur דבר--שקר *verbo mendacii* Prov. XXIX, 12. Accedit quod על cum רכב constructum semper requirat, ut nomen a præpositione על rectum designet sive *equum*, sive *currum*, quo quis vehitur. Gratis autem dicitur, דבר a על rectum *Constructio vocis דבר cum אמת defenditur, & verbum veritatis hic ut currum Messiæ considerari docetur.*

ctum ſemper adverbialiter ſumi, nec debuiſſet id concedi a Clariſſimo *Gouſſeto*, cum in noſtram ſententiam ſe inclinare fateatur. Ut enim omittam examen aliorum locorum, in quibus hæc particula invenitur, a *Noldio* in Concordant. p. m. 720. 721. & *Geiero* ad h. l. adductorum, quæ ſane ſignificationem nominalem דבר causæ non excludunt, extra omnem contradictionem pro nobis militat locus Jes. LXVI, 2. ubi חרד על-דברי i. *trepidans propter verbum meum* dicitur de eo, qui debita reverentia myſterium ſalutis a Deo revelatum amplectitur. Pollicem ergo jure merito premimus *Kimchio* & aliis, qui verbum veritatis ut currum conſiderant, quo Rex Meſſias vehitur.

ענוה צדק manſuetudinem juſtitiæ ſive cum juſtitia conjunctam deſignat.

ועניה-צדק) Recedimus ab illis, qui cum *Junio* & *Piſcatore* ex ענוה faciunt imperativum, ut ſit pro ענה *proloquere*, mutato ה radicali in י & addito ה paragogico, ac ſi pro גלה dicitur גַּלֵּיהּ. *Horchius* in Text. Sacr. Faſciculo I. pag. 49. eosdem ſequitur. *Geierus* eandem anomaliam præſupponit, niſi quod a radice ענה *exaudivit* derivet. Non opus eſt hac anomalia licet in infinitivis, qualis eſt Ezech. XXVIII, 17. adhibita, in imperativis tamen minus uſitata. *Vulgata* multique alii copulam voci צדק præfigunt: *propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam*, quos usque adeo ſequitur laudatus *Stephanus le Moyne*, ut veritatem, manſuetudinem, juſtitiam tanquam equos eſſe cenſeat, quibus Meſſias inſidet. Quocum convenit poeta Luſitanus *Crutius* apud *Pinedam* de reb. Salom. lib. V. c. 4. Ego nullam cauſſam video, cur a naturali vocum ſitu quicquam dimoveatur. ענוה nomen eſt in lingua ſacra frequens, quod in ſtatu conſtructo heic collocatum eſſe docet linea Makkaph. Quod vero ה finale non abierit in ת etiam alias haut infrequens eſt. Sic Ruth. II, 17. איפה שערים *epha hordei* pro איפת. 2. Reg. VII, 1. סאה סולת *ſatum ſimilæ* pro סאת. Plura exempla congeſſit Celeberrimus *Bochartus* Hieroz. Parte II. lib. 2. cap. 16. p. 247. Et conſtructio ſuam emphaſin habet. Vehenti Meſſiæ aptiſſime adſcribitur

man-

manſuetudo juſtitiæ id eſt juſtisſima, uti mox indicabitur. Cum autem ענוה & *humilitatis* & *manſuetudinis* notionem habeat, poſtremam heic tantum reſpici allegoria Ducis militaris jubet. *Muſculus* vertit: *propter afflictionem juſtitiæ*, innuens, quod Chriſtus juſtitiam depreſſam regnante peccato & injuſtitia per inobedientiam verbi ſui potentia reſtituerit in electis. Quæ hypotheſis per ſe vera eſt, nec conſtructioni verborum repugnat. Debuiſſet tamen vir doctisſimus exemplo aliquo probatum dare, ſubſtantivum ענוה in ſacris ita uſurpari.

De curruum belli-corum apud veteres variis generibus, & uſu quædam afferuntur.

XV. Superatis jam literæ tricis, emblema ipſum curatius excutiendum eſt. Nihil concinnius, quam Meſſiam bellatorem CURRUI inſidentem pingere. *Curruum* enim in bellis apud vetuſtisſimas gentes vulgaris fuit uſus. Ex ſacris loca excerpit *Ravanellus*. Inter profanos *Homerus* aliique antiquiſſimi authores nullius rei ſæpius quam *curruum*, in præliis mentionem faciunt. Erant ii aut falcati, aut communes. Priores heic non moramur: cum nec ab Imperatoribus adhibiti, nec uſus adeo vetuſti eſſe videantur. Communes adeo vulgati uſus fuere, ut altera pars exercitus, quæ nunc equeſtris eſt, tum curulis eſſet. Sic integrum exercitum dividit *Homerus* Iliad. IV. 297.

Ιππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφι,
Πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν στῆσεν πολέας τε καὶ ἐσθλούς.

i. *Equites quidem primum cum equis & curribus: pedites autem a tergo conſtituit multosque & ſtrenuos.* Ἅρμασι γὰρ ἐχρῶντο, καὶ οὔπω πώλοις ἄζυξι i. *curribus enim non equis ſingularibus utebantur*, uti *Julianus* de rebus geſtis Conſtantini orat. 2. ait. Et *Pollux* Onomaſt. lib. I. c. 10. num. 141. λίβυες δὲ, καὶ ἀπὸ δίφρων, καὶ ἵππων ὑπεζευγνυμένων, ὥσπερ οἱ Ὁμήρου Ἥρωες, μάχονται. ἅτε γὰρ οὐκ οἶδε μονίππους ἱππέας i. *Libyi vero de curribus & equis junctis, ſicut & Homerici Heroes, pugnant. Hic etenim unico equo utentes equites non noverat.* Quod de uſu in præliis intelligendum eſſe *Kühnius* in notis monet. Sunt qui hos *currus* duorum generum

rum fuiſſe exiſtimant, & quosdam ita largos, ut plures milites caperent. Neſcio tamen an ex antiquo aliquo authore id probari poſſit. Id certum eſt, uſitatiſſimam formam eam fuiſſe, ut birotæ & bigæ eſſent, duosque ſeſſores caperent, alterum aurigam, alterum militem, qui plerumque ordine æquales erant. Ita ex *Homeri*, *Xenophontis*, *Virgilii* aliorum deſcriptione docuere *Menochius* de Rep. Hebræor. lib. VI, c. 11. § 8. *Lydius* de milit. Sacr. lib. III. c. 10. *Feithius* Antiquit. Homeric. lib. IV. c. 11. *Briſſonius* de regn. Pers. L. III. *Pfeiferus* Græc. Antiq. lib. III. c. 3. *Schefferus* de re vehiculari lib. II. c. 15. qui tamen ita materiam hanc, præcipue quoad uſum *curruum* militarium non exhauſit, ut non ſedulo antiquitatis ruſpatori ſpicilegium amplum relictum ſit. Præcipue ab eruditiſſima *Daceriæ* in præfat. ad Homeri a ſe adornatam verſionem p. 66. deſideratur, ut præciſe determinaretur, quamdiu *currus* ſine equitatu, quamdiu junctim cum equitatu obtinuerint, & quando penitus abrogati ſint? Nos hoc nunc non agimus, licet eo magis id optandum eſſet, quia inde maxime decidenda lis de locis Scripturæ, quorum numeri in recenſendis *curribus* & *equis* haut paucis in mendo videntur cubare, quales ſunt 1. Sam. XIII, 5. 2. Sam, VIII, 4. collato 1. Chr. XVIII, 4. 2. Sam. X, 18. coll. 1. Chron. XIX, 18. &c. Lubet interea appingere nummum Selinuntiorum a *Goltzio*, *Begero*, *Scheffero* notatum, qui cum data a nobis deſcriptione, & in eo quoque cum emblemate Vatis noſtri convenit, quod ſeſſor arcum tenſum teneat. Nec minus memorandus alter Romanus gentis Opeimiæ apud *Fulvium Urſinum* Famil. Rom. p. 194. En utrumque No. 1. & 2. In hoc tamen differunt, quod alter ſocium habeat aurigam, alter ſimul frenum moderetur & arcum tendat. Huc quoque referri meretur nummulus, quem Daricum exiſtimat Cl. *Dairval* util. des Voyag. T. II. p. 638. ubi Imperator quidam & Monarcha Perſicus in curru militari cum auriga accinctus ſtat No. 3.

Id







Id certum est, in populo Israelis serius, nec ante discerptas tribus vestigium curruum & equorum deprehendi. Fortissima facinora pedites ediderunt, *fidentes non in curribus & equis, sed in nomine Domini sui.*

Erant autem *currus militares* alii gregariorum militum, alii Ducum. Hi & altitudine & equorum sæpe numero, & egregiis ornamentis a cæteris differebant. Talis erat Pharaonis Exod. XIV, 6. Siseræ Jud. V, 28. Jorami & Ahasjæ 2. Reg. IX, 21. Josaphati & Achabi 2. Chron. XVIII, 31. 34. Tales *currus* Achillis, Hectoris, Diomedis apud *Homerum*, Turni apud *Virgilium*, Xerxis apud *Herodotum* lib. VII. Darii apud *Diodorum Siculum*, *Curtium &c.* Atque adeo per currum Messiæ adscriptum in genere designatur, eum in spirituali bello & Heroem fortissimum & Ducem præstantissimum esse. *Præcipuus Imperatores bellici curribus vehebantur.*

XVI. Sed pressius emblema explicatur, quando VERBUM VERITATIS ut *currus* inducitur. Hoc est *sermo* ille *bonus* de quo Exercit. II. §. 4. Universum enim Evangelium salutis hac phrasi in V. T. designari jam §. 14. evictum est, quam Apostolus imitatus est 2. Cor. VI, 7. 2. Tim. II, 15. & Ja- *Verbum veritatis est Evangelium salutis, quod omnimodam veritatem ostendit.*

& Jacobus c. 1, 18. Idque eo magis, cum gratioſa hæc revelatio Dei interdum abſolute dicatur *veritas* Pſ. XIX, 10. CXIX, 142. 151. 180. Joh. XVII, 17. *Veritas* proprie convenientiam deſignat rei cum prædicato ſuo: in latiori autem ſenſu, decentiam quamcunque cum natura rei convenientem, in ſtrictiori implementum rei promiſſæ ſolet exprimere. Quocunque ſenſu ſumas, doctrina Evangelii *verbum veritatis* dici meretur. 1) Teſtimonium ejus eſt verax. Authorem enim habet eum, qui ipſa eſt VERITAS Joh. XIV, 6. Deum *Amen* Jes. LXV, 16. opponendum omnibus hominibus, qui *mendaces* ſunt Pſ. CXVI, 11. Argumentum continet æternas *veritates* inter ſe cohærentes & cum dictamine ſanæ rationis blande conſpirantes. Modus, quo revelatæ ſunt, is eſt, ut omnem dubitandi anſam præſcindat. Eſt λόγος πιστὸς, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. 1. Tim. 1, 15. 2) Scopus ejus eſt, ut totam decentiam Dei & πολυποικίλην ejus σοφίαν illuſtret. 3) Præcipue in verbo Evangelii demonſtratur *veritas* umbrarum, ænigmatum, promiſſionum, apparitionum omnium: Dux ſalutis per paſſiones conſummatus, Teſtamentum gratiæ apertum, & bona illius diſtributa: quo eventu *viſiones & Prophetiæ obſignari debebant* Dan. IX, 24.

quia eſt 1) verax,

2) Deo decens, 3) veritatem Prophetiarum & typorum demonſtrans.

XVII. Non infrequens eſt *verbum veritatis* ſub emblemate *currus* induci. *Currus* hieroglyphicus Ezechielis c. 1. & X. hanc interpretationem admittit, præcipue cum ejus Cherubini, qui a רכב per metatheſin literarum nomen trahunt, & rotæ adumbrent Miniſtros Evangelii tam ordinarios quam extraordinarios, quam hypotheſin docte illuſtravit Celeberrimus *Vitringa* Obſerv. Sacr. lib. IV. cap. 12. Et quando *nubes* Domino in *vehiculum* adſignantur Deut. XXXIII, 26. Pſ. XVIII, 11. 12. CIV, 3. Jes. XIX, 1. Apoc XIV, 14. 15. cave aliud intelligas, quam *nubem teſtium* Hebr. XII, 1. vento Spiritus actam, unde *pluviæ* cæleſtium *veritatum* per prædicationem Evangelii deſtillant. Eodem ſecure refer *vectes* illos binos cedrinos auro obductos, quibus mediantibus arca fœderis, altare ſuffitus,

Verbum veritatis ſæpe in ſcriptura cum curru aliove vehiculo confertur.

Vectes tabernaculi portandæ

situs, & mensa panum faciei a Levitarum humeris portabatur, quique inde speciem *vehiculi* habebant. Hi enim nil aptius depingebant, quam scripta V. & N. T. per quæ Salvator mundi mundo revelandus. Nec longe abludit *currus* igneus Eliæ 2. Reg. II, 11. in exaltatione sua exaltationis Messiæ typi. Ipsi profani authores sua dicta vehementiora & ἐμφατικώτερα *curribus* & equis compararunt. *Lycophron* in Cassandra v. 14. 15.

ejus suppellectili destinati.

Apud profanos authores quoque currus dictionis sublimis emblema sunt.

Ανειμι λοξῶν ἐς διεξόδους ἐπῶν,
Πρώτην ἄρξας νύσσαν, ὡς πτηνὸς δρομεύς.

Aggredior obliquorum cursum verborum, prima pulsans tanquam cursor velox repagula. Ubi respici ἱππικὰς ἀγῶνες recte *Tzetzes* notat.

Pindarus Isthmionic. Od. 2.

Οι μὲν πάλαι, ὦ Θρασύβουλε
Φῶτες, ὅσοι χρυσαμπύκων
Ες δίφρον Μοισᾶν ἐβαινον i.

Prisci viri, o Thrasybule, quicunque in currum Musarum redimicula aurea habentium adscendebant &c. Apud *Lucianum* eloquens introducitur in rhetor. præcept. p. m. 315. ut τὰ πέδιλα τὰ ἐλαύνων ὁ λόγος i. *Orationis moderans quadrigas.*

Ovidius lib. 2. de remed. amoris:

\- - *Attrahe lora*
Fortius, & gyro curre, poeta, tuo.

Quanto dignius hoc emblema quadrat in sermonem excelsioris originis, sermonem veritatis? Potest ergo noster locus interpretationis vim habere in illis, ubi Messias *curru* vehens inducitur. Sic *vehitur in campestribus* Ps. LXVIII, 5. inter cæteros *currus Dei* v. 18. Et Habac. III, 8. ei optatur: *quando equitabis in equis, sint currus tui salus.* Quæ loca hic eo magis conferenda, quia ad eandem in gentes expeditionem collimant.

XVIII.

Analogia inter currus & verbum veritatis monſtratur, 1) quia ſignum dignitatis: 2) quia curru in loca remota pergitur: 3) ob celeritatem:

XVIII. Nil ergo reſtat, niſi ut ſuaviſſimam emblematis cum re ſignata harmoniam indicemus. 1) *Curru* & equis vehi ſignum olim erat ampliſſimæ dignitatis. Hinc Jerem. XVII, 25. promittitur, *ut ingrediantur per portas civitatis hujus Reges & Principes, ſedentes ſuper ſolium Davidis, vecti curribus & equis.* Verbum veritatis ſummum honorem Regis cœleſtis revelat. 2) *Curru* mediante in loca longe diſſita penetratur. Rex Meſſias per prædicationem verbi ab oriente ad occidentem utrosque ſolis terminos victoriis ſuis permenſurus Pſal. XIX, 5. Mal. I, 11. Jes. XLIII, 5. 6. &c. 3) In *curru* militari celeritas requirebatur. Hinc *volucer currus. Virgilius* Æn. X, 440. &c. Ob hanc & præcedentem cauſſam ſine dubio Soli quadrigas appinxit vetuſtas, quarum & in ſacris mentio 2. Reg. XXIII, 11. Expeditio Meſſiæ celerrimum ſucceſſum nactura erat. Hinc ut *fugiens in montibus aromatum* inducitur Cant. II, 17.

4) quia in curru Imperator eminebat:

4) *Curru* Imperator inter ſuos eminebat, ut aptius imperia ſuis dare, eosque in pugnam acuere poſſet. Sic de Dario *Curtius* lib. III. c. 11. *Curru ſublimis eminebat, & ſuis ad ſe tuendum, & hoſtibus ad inceſſendum ingens incitamentum.* Verbum veritatis Chriſtum ut honorabilem ſuis proponit, eosque ad illius ſequelam & pugnam ſub ejus vexillo incendit.

5) quia curruum ingens ſtrepitus erat: 6) quia ope curruum ingentes hoſtium fragas edebantur.

5) *Curruum* bellicorum ingens erat ſtrepitus, quem in emblema adhibet Spiritus Sanctus Joel. II, 5. Apoc. IX, 9. Sonus verbi ampliſſimus exaggeratur Pſ. XXIX, 6) *Currus* incitati ad perfringendos hoſtium ordines & inſigniorem ſtragem inter eos faciendam adhibebantur. Hinc *rotæ currus turbini* comparantur Jes. V, 28. Eleganter id depingit *Virgilius* Æn. XII. 326. ſq. de Turno:

Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltuque ſuperbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas:
Multa virum volitans dat fortia corpora letho,
Semineces volvit multos, aut agmina curru

Pro-

Proterit, aut raptas fugientibus ingerit haſtas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo increpat, atque furentes,
Bella movens, immittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos, Zephyrumque volant: gemit ultima pulſu
Thraca pedum: circumque atræ formidinis ora,
Iræque, inſidiæque, Dei comitatus, aguntur:
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes ſudore quatit (miſerabile) cœſis
Hoſtibus inſultans: ſpargit rapida ungula rores
Sanguineos, miſtaque cruor calcatur arena.

Ecquid aptius ad exprimendam irreſiſtibilem vim verbi veritis, de qua jam §. VII. hujus capitis actum? Emblemate ſimili utitur Jeſ. XLI. 15. *Ecce poſui te in tribulam, raſtrum novum, habens acumina: triturabis montes & comminues, & colles tanquam glumam pones.* Et talis proterens vis curruum innuitur Habac. III. 12. *In rigore ingrederis terram, in ira trituras gentes.* Qui ulterius allegoriæ indulgere vellet, ſingulas *currus* partes excutere poſſet: & in *rotis* miniſtrorum Evangelii: in *equis jugalibus* totius Eccleſiæ: in *auriga* Ducis comite & ejusdem cum eo dignitatis Spiritus Sancti elegantem picturam deprehenderet.

XIX. Nos ut lora contrahamus, præcipue in ornatu *currus* oculos figimus, qui ex vinculo duarum virtutum, *manſuetudine & juſtitia*, ſeu *manſuetudine juſtitiæ* conficitur. Nil magis requiritur ad conſummandam Herois gloriam, quam harum virtutum exercitium. *Manſuetudo* exigit, ne bellum moveat, antequam ſpes pacis decollarit, nevè ultra victoriam in victos deſæviat. Hanc laudem tribuit Theodoſio *Claudianus* IV. Conſul. Honorii: *Manſuetudo & juſtitia virtutes ſunt, quæ maxime Heroes bellicos decent.*

- - Mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat: paci non intulit iram,
Poſt acies odiis idem qui terminus armis.

Idem ſentit *Ovidius* lib. III. Triſtium Eleg. 5.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Et notum illud auro contra *Virgilii* Æn. VI. 851. ſq.

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacisque imponere morem;
Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Rutilius ad Romam lib. I.

Mitigat armatas vitrix clementia vires,
Convenit in mores Numen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona parcendique voluptas,
Quos timuit ſuperat, quos ſuperavit amat.

Juſtitia vult, tum ut idoneæ belli cauſſæ ſint, tum ut in refractarios ſevere animadvertatur. Hæc populo Romano veteri in bellis ſuis data laus fuit, quem Africanus teſtatus eſt *& ſuſcipere juſte bella & finire.* Hinc conſueta apud ipſos formula: EAS RES PURO PIOQUE DUELLO QUAERENDAS CENSEO. Caſſius apud *Appianum*: Μεγίση δ' ἐλπὶς ἐν τοῖς πολέμοις ἐσὶ τὸ δίκαιον i. *in bellis ſpes optima eſt cauſſæ jus.* *Agathias* libro II. Ἀδικία γὰρ καὶ θεῦ ἀθεραπευσία φευκτὰ μὲν ἀεὶ καὶ ἀσύμφορα, μάλισα δὲ ἐν τῷ πρασπολεμεῖν καὶ παρατάτεδζ. i. *Injuſtitia & Dei neglectus vitanda ſemper & noxia, tum vero maxime, ubi res belli in acie cernitur.* *Propertius* IV. Eleg. 6.

Frangit & attollit vires in milite cauſſa,
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Nexus in hac virtutum biga oſtenditur.

Quod vero hæc biga virtutum in ſtatu conſtructo jungatur, eopſe deſignatur arctum earum vinculum & temperamentum, quod eſt reciprocum. Aut enim *manſuetudo juſtitiæ* poteſt notare *manſuetum juſtitiæ exercitium*, ita ut ille, qui juſtas

nocen-

nocendi cauſſas habet, manſuete tamen eas perſequatur: aut *manſuetudinem juſtam*, id eſt manſuetudinem, quæ ita in ſubjectos exercetur, ut ſimul rigor juſtitiæ in refractarios emineat.

XX. His *virtutibus imperatoriis* Meſſias inclytus eſſe debebat in præliis a ſe gerundis. Nullas frequentius ſacræ paginæ concelebrant. *Manſuetudo* ei adſcribitur Pſalm. CIX. 22. Matth. XI. 29. 2. Cor. X. 1. Et jungi poſſunt omnia illa loca, in quibus ſingularis ejus *miſericordia* & *benignitas* laudatur. Hanc virtutem in bello ſpirituali exercet, quia ſcopus ejus primarius eſt ſalus animarum, quas ex faucibus orci eripere & ereptas ſuo amore complecti ſtudet. Et convenienter huic ſcopo procedit 1.) dum gratiam & pacem per Miniſtros ſuos offert, antequam judicia immittit. Jeſ. LII. 7. LVII. 19. Zeph. III. 9. 2.) dum clementiſſime illos excipit, qui ad pedes ejus provoluti ſceptro ejus ſe ſubmittunt, in tantum ut fractos corde ſanet, & imbecilles in ulnis ſuis portet. Jeſ. XL. 11. Pſ. CXLVII. 3. Hanc *manſuetudinem* experturas gentes elegantiſſime a Principe pacis depingitur in parabola: *quum adhuc longe abeſſet, vidit eum pater ipſius & intima miſericordia motus eſt: & accurrens, incidit in collum ejus & deoſculatus eſt eum.* Confer Jeſ. XLV. 22. Hoſ. II. 23. *Utraque virtus tum manſuetudo,*

Nec minus prædicatur Meſſiæ *juſtitia* Deut. XXXII 4. Jeſ. LIII. 11. Jerem. XXIII. 5. XXXIII. 15. Hinc צדיק ſingulare eſſe epitheton Meſſiæ agnoſcunt Judæorum Magiſtri, inter quos *Menaſſe* in Concil. in Zach. p. 189. V. *Daſſovii* diſſertat. de Rabbiniſmo Philolog. Sacræ ancillante p. 1. §. 10 Recurret de *juſtitia* Meſſiæ ad ad vſ. 7.8. dicendi locus. Hic ſolum notandum, eam excellentiſſime in bellis ejus ſacris præcipue contra gentes exſerendam. Nam 1.) *juſtiſſimum* habebat eos aggrediendi titulum, ob teſtamentum Patris, quo hæreditas gentium ei aſſignata erat Pſ. II. 8. 2.) *Juſtiſſimis* quoque judi- *tum juſtitiæ in Meſſiæ bellis elucet,*

ciis ii erant exſcindendi, qui poteſtatem ejus agnoſcere detrectabant, uti ſequentia docebunt.

& ſemper arctiſſime cohæret.

Quin hæ virtutes ita Meſſiæ inſunt, ut arctiſſimo vinculo cohæreant, ad inſtar *nubis* & *ignis*, e cujus medio olim pro Iſraëlitis militavit. Hinc de eo Patriarcha Gen. XLIX. 12. *Rubicundus eſt oculis præ vino* (ob juſtitiæ ardorem) *& albus dentibus præ lacte* (ob manſuetudinem & clementiam.) Eo quoque pertinet encomium Sponſæ Cant. V. 9. *Dilectus meus candore* (manſuetudinis) *& rubore* (juſtitiæ) *vexillarius eſt myriadis.* Addi poſſunt Pſ. CXVI. 5. CXLV. 17. Jeſ. XLV. 21. Zach. IX. 9. Nam exercitium harum virtutum perpetuo alternat, & utriusque exemplaria miris modis miſcentur in theatro Eccleſiæ. Nec minus in corde ſingulorum fidelium, in quibus *juſtitiæ* ſuæ oſtenſione reverentiam & ſimul *manſuetudinis* radiis amorem ſuſcitat.

Virtutes hæ ut ornamentum currus Meſſiæ conſiderari poſſunt.

XXI. Poſſunt autem aptiſſime in allegoria Vatis noſtri hæ virtutes non tantum ut pars decoris in perſona Meſſiæ eminentis, ſed etiam ut inſigne ipſius *currus ornamentum* conſiderari. *Currus* enim Heroum ad oſtendendam eorum magnificentiam auro, gemmis, pictura, ſtatuis exornati erant. *Homerus* Iliad. X. de curru Rheſi:

Ἅρμα δὲ οἱ χρυσῷ τε καὶ δὲ ἀργύρῳ εὖ ἤσκηται ἴ.

Currus vero ejus auro & argento bene comtus erat.

Similiter apud *Curtium* lib. X. Orſinis Perſæ *currus auro & argento* adornati. Nil ſane magis in verbo veritatis radiat, quam encomium harum virtutum. Has commendare, harum exempla cumulare, his fidem conciliare totius Evangelii ſcopus eſt.

Dextra Meſſiæ ſymbolum potentiæ ejus.

XXII. Hunc currum ut conſcendat Meſſias argumento a felici ſucceſſu deſumto excitatur: ET (id eſt *Nam.* Frequens & notiſſimus eſt ille τε, uſus) DEXTRA TUA TE DOCEBIT (tibi oſtendet) TERRIBILIA. DEXTRA in ſacris variarum rerum ſymbolum eſt, de quibus infra exercitatione

tione VIII. §. 15. accuratius. Heic solum pro *robore* & *potentia* sumenda est. Hoc sensu *dextra* Messiæ haut semel laudatur. Exod. XV. 6. 12. Ps. XVI. 8. XXI. 9. XLIV. 4. CXVIII. 15. 16. Jes. XLVIII. 13. Et ejus *potentia* præcipue demonstranda erat in bello contra gentes Ps. XLVIII. 11. LXXXIX. 14. XCVIII. 1. Nil ergo aptius heic quoque designat *dextra* Messiæ, quam ejus potentiam divinam, de qua jam supra actum est. Et emblema eo elegantius quadrat, quia robur Herois maxime per *dextram*, qua arma gerit, demonstratur. Hinc apud *Virgilium* Æn. VII. 234.

Fata per Æneæ juro, dextramque potentem
Sive fide, seu quis bello est expertus & armis.

Hinc impie Mezentius Ibid. X. 773.

Dextra mihi Deus & telum quod missile libro
Nunc adsint = = = = = =

Adde *Statium* Thebaid. IX. 547.

= = *Ades o mihi dextera tantum,*
Tu præsens bellis & inevitabile numen,
Te voco, te solam Superûm contemtor adoro.

Et *Ælianum* de Scipione Var. Hist. XI. 9. qui, *cum ei quidam scutum eleganter ornatum ostendisset, dixit:* ἀλλὰ τόν γε Ρωμαῖον ἄνδρα προσήκει ἐν τῇ δεξιᾷ τὰς ἐλπίδας ἔχειν, ἀλλ' οὐκ ἐν τῇ ἀριστερᾷ i. *atqui Romanum civem decet in dextra spem repositam habere, non in sinistra.* V. *Plutarchum* in Apopht. Confer *Delrionem* Adag. I. 57.

Hinc forte signa militaria Romanorum manibus dextris ornata erant, qualia passim in nummis conspiciuntur apud *Patinum* notis in Vitellium Suetonii p. m. 61. *Vaillantium* Num. Ær. Imper. P. II. p. 25. aliosque. Mavult quidem Vir eruditissimus *Ezech. Spanhemius* de præst. numismatum diss. II. juxta cum aliis, fidei hoc fuisse symbolum. Nil tamen impedit, quo minus de robore quoque interpretemur, per *dextram* in conflictu exercendo: præsertim cum in quibusdam signis non tantum *dextra* sed etiam *sinistra* conspiciatur. Hæc enim

Cur dextra in vexillis Romanorum?

enim *fidei* eſſe ſymbolum nequit. Cum *dextra* autem juncta deſignabit robur non tantum in adoriendo hoſte, ſed etiam in ſe defendendo, quatenus clypeum gerit, exſerendum. Quicquid ſit, indubie ad illuſtrandam phraſin Pſaltis noſtri referri poteſt nummus Auguſti, quem ex *Triſtano* Comment. Hiſtor. Tom. I. p. 74. hic appingendum curavi, cujus *exſerta dextra* indicium eſt victoriæ vi dextræ ſuæ obtentæ. Et eleganter ad nummum hunc explicandum adfertur *Anthologiæ Græcæ* lib. V. c. 1. epigr. 35. ubi de ſtatua Pyrrhi

Δεξιτερὴν δ' ἀνέτειναν ἐὴν ἐπιμάρτυρα νίκης

i. *Dextram intendebat ſuæ teſtem victoriæ.* Plures nummos ejusdem tenoris intueri licet apud *Goltzium* in nummis Auguſti Tab. XLV. Sed majoris evidentiæ cauſſa addidi alium Philipporum ex *Triſtani* Tom. II. qui adſcripto lemmate VIRTUS AUGG. ſatis indicat, quid *exſerta dextra* ſibi velit.





Sicut autem *dextra* ſignum victoriæ, ita e contra victo in certamine apud Scythas *dextra* amputabatur, uti memorat *Lucia-*

cianus in Toxari. Superpondii loco addo illa *Kimchii* in Pſ. CXLIV. לפי שהכח הוא בצר ימין כבה הכח בימין i. *Propterea quod robur eſt in dextra, nomine dextræ robur appellatur:* quibus verbis plura in hanc rem adjecit *J. C. Einigk.* de manu dextra honorat. §. 16. ſeq.

XXIII. Si vero per *dextram* virorum fortium horrendæ eduntur ſtrages, multo magis facinora *dextræ* Meſſiæ ſunt TERRIBILIA. Vox נוראות talia facta exprimit, quæ cum magnitudine ſua omnem fidem videantur ſuperare, reverentiam ſubditis, terrorem hoſtibus incutere poſſunt. Frequenter uſurpatur de illo miraculorum cumulo, per quæ Dominus Iſraëlem liberatum in hæreditatem promiſſæ Canaanis introduxit. Deut. X. 21. 2. Sam. VII. 23. 1. Par. XVII. 21. Pſ. CVI. 22. Quæ omnia cum typus fuerint hæreditatis gentium, ad quem Pſaltes noſter ſatis perſpicue alludit, hinc merito eandem vocem heic adhibet. Eodem ſenſu invenitur Pſ. LXV. 6. *Terribilia*, נוראות, *in juſtitia reſpondes nobis, Deus ſalutis noſter, fiducia omnium terminorum terræ & maris longinquorum.* Heic enim de eadem gentium ſubjugatione agitur. Conferri quoque poſſunt Pſ. CXLV. 6. & Jeſ. LXIV. 3. niſi quod illic magis videatur ultima in gentes expeditio reſpici, quæ itidem ſua נוראות *terribilia* habebit. Qui accuratius hæc *terribilia* excutere volet, is ſingula miracula, præeuntem igneam nubem, fiſſas Jordanis undas, disjecta Jerichuntis mænia, fixum in curſu cum Luna Solem, exciſos Canaanis Reges, aliaque ſtupenda opera conferre poterit cum rebus in hæreditate gentium ſub initium N. T. occupata geſtis, præeunte perpetua Prophetarum alluſione. Exempli loco evolvantur Pſ. XVIII. 30-46. XLIV. 3-6. LXVIII. 13-18. Habac. III. 3-11. quæ loca ex hac hypotheſi plenam ſuam lucem accipiunt. Et quis hæc facta non ut *terribilia* agnoſcat? Nam 1) adeo magna ſunt, ut vires omnes humanas ſuperent, divinæque potentiæ indicia præ ſe ferant Jeſ. XL. 12. 26. XLI. 4. 2) reverentiam inter ſuos Regi Meſſiæ conciliant Pſ. LXXXIX. 8. 9. 10.

Dextræ Meſſiæ terribilia adſcribuntur, cum alluſione ad ſtupendos in ſubjugata olim Canaane eventus.

3) pa-

3) pavore & trepidatione hoſtes implent Pſ. XLVIII. 6. 7. XCVII. 4-7.

Quomodo Meſſias per dextram ſuam docendus ſit indicatur.

XXIV. Eleganter *monſtratio* talium operum dextræ Meſſiæ tribuitur: תורך MONSTRABIT TIBI, ſeu quod eodem redit: DOCEBIT TE, nempe per doctrinam experimentalem. Sic Joh. V. 20. μείζονα τούτων δείξει αὐτῷ ἔργα, ubi ſane per μείζονα hæc ipſa נוראות intelligenda ſunt. Eodem ſenſu verbum hoc uſurpatur Pſ. LX. 5. הראית i. *oſtendiſti populo dura*, h. e. re ipſa exhibuiſti ei dura, ſeu afflixiſti eum. Frequenter enim in ſtylo ſacro voces verbales pro realibus ponuntur, quem canonem illuſtrat *Glaſſius* Grammat. Sacr. III. 3. can. 16. p. 275 ſeq. Quando ergo dextra Meſſiæ ut *magiſtra* horum terribilium inter gentes adducitur, quatuor innuuntur 1) eum ipſo actu illa patraturum: 2) & quidem excluſo auxilio omni humano ſola dextra ſua. Pſ. XCVIII. 1. Jeſ. LIX. 16. LXIII. 5. Unde forte eſt, ut, licet in aliis locis de gentium ſubactione agentibus magnus exercitus ei tribuatur, hic ſolius Meſſiæ Herois mentio fiat. Nam quamvis opera miniſtrorum quorundam uſurus erat, ei tamen mera inſtrumenta dextræ ſuæ futuri, totusque belli ſucceſſus in ſolidum ejus fortitudini tribuendus. 3.) *Docendus* erat per dextram ſuam, quia per executionem horum operum reſeranda ſigilla decreti divini, prophetiarum typorumque veritas demonſtranda, & Chriſtus quaſi in Eccleſia *doctior* futurus, quæ myſteria tot recondita per implementum in plena luce videbit. 4) Denique cum *eruditio* de rebus magnis ſumma ſit intellectus humani oblectatio, hinc *docendus* Meſſias, quia in tam proſpero rerum ſucceſſu delicias ſummas capturus. Quanti enim ille hæreditatem gentium ex pacto ſibi debitam faciat, patet ex Pſ. XVI. 6. Jerem. III. 19. &c.

Ineſt deſcriptioni facinorum Meſſiæ argumentum quo incitatur.

XXV. Hæc cum prævideret *Eccleſia* de veritate promiſſionum divinarum pleniſſime perſuaſa, ex hoc argumento merito acuere ſtudium Herois ſui ultro jam in prælium tendentis ſtudet. Non alio viris fortibus opus eſt incentivo, quam

quam ubi magnarum rerum gerendarum campus eis aperitur. Et singulare huic rei inest ad excitandum Messiam argumentum, non tantum quia illius honoris intererat, ut spei Ecclesiæ satisfaceret, sed etiam quia bene noverat ex decreto Dei sibi hanc laudis aream esse reservatam Ps. II. 8. 9. Tale incitamentum in typo arcæ fœderis acclamabatur Num. X. 35. quem in bellis Messiæ implendum esse Ps. LXVIII. 2. innuitur.

Sagittæ Messiæ tribuuntur, quæ inter arma Orientis in usu fuere.

XXVI. Properamus ad victoriam, quam uno halitu describit Vates, quia illa citius exspectatione secutura. Instrumenta victoriæ SAGITTÆ sunt. Ita omnes emblematis partes justam habent analogiam. Non enim de curru tam gladio, quam *jaculo* aut *sagittis* pugnatur. Et supra in nummo ectypum talis de curru sagittantis expressum vidimus. Fuit armamentum, quamvis nunc exoletum, apud antiquos ad pugnandum eminus frequentissimum, de cujus materia, forma, usu, consuli possunt *Brissonius* de regno Persic. lib. III. p. 276. seq. *Cuperus* Harpocrat. p. 41. seq. *Mercurialis* Art. Gymnast. II. 13. *Lipsius* Poliorcetic. IV. dial. 6. *Lydius* de milit. sacr. III. c. 9. Ez. *Spanhemius* de præstant. num. dissert. IV. *Valesius* ad Ammian. Marcell. lib. XVI. 12. & lib XXV. 1. Id certum est, antiquissimum *sagittarum* usum in Oriente fuisse, ad Græcos & Romanos venisse tardius. In sacris *arcus* mentio jam Gen. XLIX. 24. instituitur. Et dein frequentissime *arcus* & *sagittæ* in bellis occurrunt Num. XXI. 30. XXIV. 8. 2. Sam. I. 18. 2 Reg. IX. 24. XIX. 32. 2. Chron. XXVI. 15. &c. Inter Heroum arma memorantur Ps. CXXVII. 4. Jer. L. 9. Nobis nunc potissimum considerandum, cujus rei emblema in bello spirituali Messiæ *sagittæ* esse possint. In ejus enim contra gentes expeditione sœpe Spiritus S. ei *arcum* & *sagittas* tribuit. Jes. XLI. 2. Habac. III. 9. Zach. IX. 14. Apoc. VI 2. In quo postremo loco valde verosimile est, ad hunc nostrum alludi. Quoad significatum multi Patres mysticas Cupidinis sagittas contulere, quos vide apud *Lorinum*. Sed extra rhombum. *Masorethæ* non longe a scopo abeunt, quando interpretantur: *sagittæ verborum vel exercituum tuorum*. Sane

Et hic duplex emblema gerunt.

duplex potiſſimum emblema *ſagittæ* gerunt, quod hic aptiſſime conjungi poteſt. Interdum *orationem*, interdum *judicia* horrenda adumbrant. Ad utrumque *Arnobius* in h. l. reſpectum cenſet: *Iſtæ ſagittæ*, ajens, *amicos Regis liberant, inimicos Regis occidunt.* Singula ſeparatim excutiamus.

Primo ſagittæ adumbrant verbum veritatis:

XXVII. Orationis ſymbolum *ſagittæ* aut in malo ſenſu aut in bono gerunt. In malo ſenſu ſermones virulentia, convitiis, calumniis acerbos depingunt Pſ. LXIV. 4. CXX. 4. Prov. XXV. 18. Id nunc non moramur. Suavior eſt figura, qua ſermonem eundem veritatis repræſentant, de quo contextus agit. Ea propter ii ipſi, qui eum pronuntiant, ſagittis comparantur, Meſſias Jeſ. XLIX. 2. Præcones verbi Pſ. CXXVII. 4. R. *Salomo* per *ſagittas* intelligit *diſcipulos ſapientum.* Non male. Preſſius tamen ipſum verbum veritatis hic intelligendum exiſtimo. Sic *Baſilius* tela interpretatur ad Pſ. XXXVIII. 3. Tom. I. p. 237. 238. Μοὶ δοκεῖ τὰ εἰλαν̃θα λεγόμενα βέλη, λογικὰ εἶναι. μᾶλλον δὲ αὐτὰς τὰς τῦ Θεῦ λόγυς νύττοντας καὶ πτρώσκοντας αὐτῦ τὴν ψυχήν, καὶ τὴν συνείδησιν αὐτῆν πικραινομένυς καὶ κολάζοντας i. *Ego has ſagittas ſpirituales eſſe arbitror; imo potius ipſa Dei verba, quæ ipſius animum veluti lancinarent & vulnerarent, conſcientiam quoque ipſam excruciarent & caſtigarent.* Similiter *Auguſtinus* in Pſ. CXIX. *Novit Dominus vulnerare ad amorem: & nemo pulchrius ſagittat, quam qui verbo ſagittat, ut faciat amantem: & transfixo corde amor exitetur, non interitus comparetur.* Nec inſueta eſt etiam apud alios authores de *dictione emphatica* metaphora. *Suetonius* de Caligula c. 53: *Pronuntiatio quoque & vox, ut neque eodem loci præ ardore conſiſteret & exaudiretur a procul ſtantibus. Peroraturus ſtricturum ſe lucubrationis ſuæ telum minabatur.* *Pindarus* Pythionic. ode 1.

i. Quod cum ſymbolo ſagittarum apud alios authores convenit.

ἐγὼ κεῖνον
αἰνῆσαι μὲν οἴνων ἔλπομαι
μὴ χαλκοπάρῃον ἄκοντ' ὦσαι τ' ἀγῶνος θαλεῖν ἔξω πελάσσας δονίων,
μακρὰ δὲ ῥίψαις ἁμὰ σαὶς ἀντίας.

i. *Ego*

i. *Ego illum laudare cogitans, ſpero me ærea cuſpide jaculum non tanquam extra certamen jacturum, manu vibrantem, ſed ubi procul ejaculatus fuero, ſuperaturum adverſarios.* De doctrina philoſophorum uſurpatur idem emblema in apothegmate Hieronymi apud *Laertium* lib. IX. c. 112: Ὡς ἐπὶ τῶν Σκυθαις καὶ οἱ φεύγοντες τοξεύουσι, καὶ οἱ διώκοντες· ἕτω τῶν φιλοσόφων οἱ μὲν διώκοντες θηρῶσι τὺς μαθητὰς, οἱ δὲ φεύγοντες i. *Sicut apud Scythas & qui fugiunt, & qui perſequuntur, ſagittas torquent, ita & apud philoſophos, alii perſequendo diſcipulos venantur, alii fugiendo.* Adde *Lucianum* in Nigrino, quem locum ob prolixitatem Latine damus: *Videtur mihi ſolertis hominis animus molli ſcopo ſimilis eſſe. Sagittarii autem in hac vita multi, qui plenas quidem pharetras variis omnisque generis orationibus habent, cæterum non omnes apte jaculantur: ſed alii ipſorum, nervo nimium intento, vehementiori quam par eſt impetu emittunt, at ipſorum ſagittæ in ſcopo non manent, ſed præ vehementia ictus pervadentes ac permeantes, hiantem tantum vulnere animum relinquunt. Rurſum aliis contrario modo evenit. Et quæ ſequuntur.* Idem in Hercule Gallico: τὰ βέλη αὐτῷ, ait, οἱ λόγοι εἰσὶν, ὀξεῖς, καὶ ἐυστοχοι, καὶ ταχεῖς, καὶ τὰς ψυχὰς τιτρώσκοντες i. *tela ejus ſunt ſermones acuti, miſſiles, veloces, animasque vulnerantes.* Adde, ſi lubet *Ariſtophanem* in Nubibus v. 941. *Philonem* de Sacrif. Abelis p. 144. Multo majori jure verbum gratiæ *telis* comparari poteſt, ſive *natura* ſive *adjuncta* ſive *effecta* ejus in comparationem veniant. Quoad *naturam* 1) *Sagittæ* adhibebantur, quando eminus petendus hoſtis. Hinc Apollo ἑκηβόλος i. *e longinquo jaculans* apud *Homerum*. Et de Scythis *Æſchylus* Prom. v. 170.

Analogia notanda eſt 1) in natura telorum a) quia eminus immittebantur.

Ἑκαβόλοις τόξοισιν ἐξηρτημένοι
Οἷς μὴ πελάζειν --

i. *arcubus longe jaculantibus inſtructi, quibus ne appropinques.* Aptiſſime ergo Meſſiæ adſcribuntur, quia per verbum veritatis *longe diſſitæ* regiones mundi regno ejus ſubjiciendæ, uti

b) *quia cuſpis fulgebat:* ſupra jam oſtenſum. 2) *Sagittarum* cuſpis radiabat *Virgilius* Æn. VII. 626.

Pars leveis clypeos & ſpicula lucida tergent.

Hoc idem adumbrat, quod ſupra §. 7. gladii fulgor, *ſplendorem veritatum.* 3) *Sagittæ* vibratæ ſonum & ſtridorem edunt. *Homerus* Iliad. IV. 125.

c) *quia ſonitum dabant:*

Λίγξε βιὸς, νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχεν ἆλτο δ' ὀϊστὸς
Ὀξυβελὴς, καθ' ὅμιλον ἐπιπλέσθαι μενεαίνων.

i. *Stridit arcus, nervus autem valde ſonuit, ſaliitque telum acutum, in turbam advolare cupiens.* *Virgilius* Æn. XII. 319.

Ecce viro ſtridens alis allata ſagitta eſt.

Dionyſius de ſitu orbis, ubi de Parthis:

- - ἐκ δὲ γενέθλης
Νηπίαχοι, τόξοισι καὶ ἱπποσύνῃσι μέλονται.
Αἰεὶ ἠχήεσσαν ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων
Ἢ βελέων - - -

i. *A puero arcubus utuntur, equisque vehuntur per ſtreperum ſemper campum ſonitus jaculorum, telorumve.* *Ammianus Marcellinus* lib. XXV. c. 1: *Summaque peritia digitorum pulſibus argutum ſonantes arundines evolabant, vulnera perniciosa portantes.* Hoc eodem collimat, quo ſtridor curruum §. 18. nempe ad *ſonitum* Evangelii. 4) *Sagitarum* cum impetu emiſſarum ingens eſt velocitas. Vide Pſ. LXIV. 8. XCI. 5. Hinc *Tigridi* nomen, fluvio Perſiæ. *Tigris* enim *ſagittam* deſignat. *Euſtatius* ad Dionyſii περιήγησ. v. 984. Τίγεις καλεῖται ἤγουν ταχὺς ὡς βέλος. Μῆδοι γὰρ τίγειν καλοῦσι τὸ τόξευμα. αὖλων δὲ καὶ Ακις ποταμὸς Σικελικὸς ὡσαὐτὼ Θεοκρίτῳ, διότι, φάσιν, ἀκίδι τὸ τάχος τῷ ῥεύματος ἐκείνῳ ἔοικε. *Curtius* lib. IV. c. 9 *A celeritate qua defluit Tigris, nomen eſt inditum, quia Perſica lingua Tigrim ſagittam appellant.* Vide quæ in hanc rem notavit Cl. *Relandus* diſſert Miſcell. I. §. 20. & VIII. §. 149. Hinc pennatæ ſagittæ, de quibus Plinius lib. XXXIV. 14. *Utimur & ferro ad bella, cædes, latrocinia, non cominus ſolum*

d) *quia veloces erant:*

Landesbibliothek Oldenburg

lum, sed etiam missili, volucrique, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato. Quam sceleratissimam humani ingenii fraudem! Siquidem ut ocyus mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus. Volucrem sagittam Virgilius appellat lib. V. Æn. *Ovidius* Trist. lib. III. *volantem:*

Hostis equo pollens, longeque volante sagitta.

& Metamor. X.

-- *Scythica non segnius ire sagitta.*

Immittere ἰαχὺν ἰὸν seu *celerem sagittam* est apud *Homerum* Iliad. VI. 94. ὠκὺ βέλος Iliad. V. 10. &c. πτερόφοιτον βέλος seu *alatum telum* memorat *Aristophanes* in Avibus v. 1711. Apollo laudatur a *Callimacho* Hymni v. 101.

- - ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
Βάλλων ὠκὺν ἰὸν.

i. *aliam super aliam mittens velocem sagittam.* Etibidem Hymn. in Dian. vs. 212. θοαὶ πτέρα i. *celeres sagittæ.* Ergo *sagittæ* quoque *rapiditatem* cursus Evangelii notare possunt, quam similiter ad emblema cursus §. 18. notavimus. 5) Ingens in vibrandis *sagittis* ars requiritur, ad feriendum accurate scopum, quo intenduntur. Scriptura sæpius eo alludit 1. Sam. XX. 20. sq. 2. Sam. I. 22. Jerem. L. 9. Lam. III. 12. Hanc artem ab unguiculis Parthi olim excolere soliti. Æneas quoque apud *Virgilium* Æn. X. sic fidum affatur Achatem:

Suggere tela mihi, non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos - - -

e) *quia cum singulari arte vibrabantur ad certum scopum.*

Domitianus apud *Suetonium* hanc laudem valde affectavit. Ita enim in ejus vita c. 19: *Sagittarum vel præcipue studio tenebatur. Centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu confidentem spectavere plerique: atque etiam ex industria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua effingeret. Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisque pro scopo*

diſpanſam dextræ manus palmam, ſagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent. Prædicatio verbi veritatis fruſtanea eſſe nequit. Fit enim ſecundum æternum gratiæ propoſitum, in quo hoc medium ad certarum tum gentium tum perſonarum converſionem deſtinatum eſt. *Verbum juſtitiæ non poteſt regredi* ſc. incaſſum Jeſ. XLV. 23. *Sic erit verbum meum, quod exibit ex ore meo, non redibit ad me vacuum, niſi fecerit, quod volo, & proſperatum fuerit, propter quod id miſi.* Jeſ. LV. 11. *Dona & vocatio Dei ſunt* ἀμεταμέλητα Rom. XI. 29. Confer & Jeſ. XLIX. 4. 6. Ut vero hunc ſcopum Deus obtineat, Miniſtros verbi prudentia ſpirituali donat, ſtudiumque in iis excitat, ſecundum typum præſcriptum accurate finem a Deo propoſitum aſſequendi. Jer. III. 15. 6) In cenſum etiam heic venire poteſt *ſagittarum* multitudo, quæ denſi grandinis inſtar cooperire hoſtes ſolent. *Heliodorus* ait lib. IX. Æthiopes ſagittas in medio conflictu tam crebras jaculatos eſſe, ὥϛε εἰϛ νέφοϛ φαντασίαν τὴν πυκνότητα παρεϛῆναι i. *ut illarum denſitas nubis ſpeciem exhiberet.* *Lycophron* Alexandræ v. 1426.

f) quia magna immittebatur ſagittarum copia.

Κύφελα δ' ἰῶν τηλόθεν ῥοιζημένων
Ὑπὲρ κάρα ϛήσουϛι - - -

i. *Nubes etiam ſagittarum procul emiſſarum ſupra caput ſtabunt.* *Suetonius* in Cæſare c. 68: *Una ſextæ legionis cohors præpoſita caſtello quatuor Pompeji legiones per aliquot horas ſuſtinuit, pene omnis confixa multitudine hoſtilium ſagittarum, quarum centum ac triginta millia intra vallum reperta ſunt.* Quid aptius eſt ad adumbrandum numerum evangelizantium, quorum *ingens exercitus* introducitur? Pſ. LXVIII. 12. 18. Si quis allegoriam ulterius urgere velit, elegantiſſimam etiam in *adjunctis ſagittarum* ſimilitudinem deprehendet. *Dextra ſagittantis* docta & robuſta ſapientiam & fortitudinem Herois noſtri cæleſtis: *arcus* Miniſtros verbi Zach. IX. 13: *pharetra* ſcripturam ſacram ſeu Eccleſiam ejus promicondam Pſ. CXXVII. 5. ſolet

2) in adjunctis, dextra, arcu, pharetra.

deſi-

designare, & sic porro. Poeta vetus, quem *Barthius* Adversar. XXXIV. 1. *Paullinum* esse conjicit:

Dulcis tui faretra testimonii,
Quod quatuor constat viris:
Sagitta melle tinctilis Prophetico,
Pinnata Patrum oraculis:
Arcus paternæ forte virtutis sonans,
Miraculis nervus potens,
Stravere veterem morte serpentem sua.
Jo triumphe nobilis!

Effecta sagittarum coincidunt cum effectis gladii. Hinc *Plutarchus* vires earum mirifice attollit, & terrori fuisse ait Crassi militibus τὸν τόνον τῶν ὀιστῶν καὶ τὴν ῥώμην, ὅπλα τε ῥηγνύντων καὶ διὰ παντὸς φερομένων ὁμοίως ἀντιπίπτειν καὶ μαλακῆ τῇ πάγμαι. i. *intensionem tenoremque & robur sagittarum, arma perfringentium & per omne, quod obstaret, durum aut mode penetrantium.* De simili violentia *Procopius* lib. I. bell. Persic. *Tali igitur nisu emissam sagittam mirum non est, frustra non mitti, cui neque thorax ullus neque scutum possit resistere.* Quid talia effecta ratione *verbi* possint designare, visum est §. 7. de emblemate gladii. Bene *Tertullianus* contra Jud. c. 9. & contra Marcion. c. 4. ait: *sagittas illas acutas, pervolantia ubique Dei præcepta, minari traductionem uniuscujusque cordis, compungere & transfigere conscientiam quamque.* 3) *in effectis.*

XXVIII. Sed gerunt etiam *sagittæ* symbolum tristius, nempe judiciorum Dei. Exempla sunt Num. XXVI. 8. Deut. XXXII. 23. 42. Job. VI. 4. Psalm. VII. 13. 14. XXI. 13. XXXVIII. 3. LXIV. 8. Thren. III. 12. 13. Et meretur hic inspici *Ravanellus*. Hac potissimum de causa fulmina *sagittis* comparantur. 2. Sam. XXII. 15. Ps. XVIII. 15. Ps. LXXVII. 18. Hinc gentiles fulmen ut *telum trisulcum* pingebant, & *telum Jovis* cognominabant *Aristophanes* l. supra cit. fulmen *Secundo loco tela designat judicia divina: ubi analogia in iis dem partibus monstrari potest*

Διὸς

Διὸς βέλος appellat. Sic in *Epigrammate* veteri apud *Diogenem* Proœm. c. 5:

Ον κλάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει. i.

Quem interfecit in alto regnans Jupiter flammanti telo. Quin ſingula judicia, quæ Deus populis impiis immittit, ſub *telorum* ſymbolo exprimuntur. *Peſtis*, quam *Homerus* haut ſemel κακὸν βέλος nominat, quod illuſtrat *Cuperus* Cl. Harpocr. p. 44. eodem ſchemate in ſacris proponitur Pſ. XCI. 5. 6. *Fames* Ezech. V. 16. Et nil magis in promtu, quam *Bella* ipſa per *tela* intelligere, quia inſtrumentum bellicum ſunt. Sic Deut. XXXII. 42. Hinc βελομαντεία veterum, ubi ex *ſagittis* de ſucceſſu belli ominabantur. Origo hujus moris 2. Reg. XIII. 15, 16, 17. Unde Diabolus anſam fors cepit ſuperſtitionem illam inter gentes propagandi: cujus apud Babylonios veſtigia deprehendere licet Ezech. XXI. 18. ſeq. Vide quæ in hanc rem contulere *Mauritius* de ſortit. Hebræor. c. 14. & *Clodius* in ſingulari diſſertatione, quæ exſtat Theſauri Theol. Philol. Vol. I. p. 871. ſeqq. Hæc ſignificatio *telorum* heic non eſt omittenda, quia converſio gentium cum multis judiciis ſecundum tenorem prophetiarum conjuncta eſſe debebat in refractarios, quæ judicia graphice delineantur Pſ. II. 9. Pſ. XVIII. LXVIII. Jeſ. XLI. Habac. III. Apoc. VIII. 8. 9. Hæc vero judicia telis comparari poſſe facile patebit, ſi per eadem capita inſtituetur comparatio.

1) *in natura telorum.*

Proprietates *telorum* omnes heic iterum conveniunt 1) *Telis* eminus pugnatur. Judicia Dei licet incipiant a domo Dei, tamen ad gentes longe remotas haut raro permeant. Pervenit ſonitus usque ad extremum terræ Jer. XXV. 31. & præcipue totum orbem peragratura in initio novi regni Meſſiæ. 2) *Sagittarum* cuſpis ad terrorem micat. In judiciis Dei lucet ejus ſanctitas Pſ. XI. 7. Pſ. CXIX. 137. Et hæc tam evidentia futura, ut ſummum terrorem incuſſura obſervantibus ea. Pſ. XLVIII. 6. 7. 3) *Sagittarum* ſtrepitus tumultum exprimit,

Landesbibliothek Oldenburg

mit, quem cient præjudicia inter eos, quos vindicta DEI persequitur Jerem. XXV, 30. 31. 1. Sam. III, 11. 4) Sicut *sagittæ* veloces sunt, ita judicia Dei, licet diu protracta, tamen improviso semper securos peccatores obruunt. Malach. III, 5. Luc. XXI, 34. 35. 5) Sicut *sagittæ* certo feriunt, ita eludi judicia Dei nulla arte humana possunt. Deut. XXXII, 39. Amos. IX, 2. 3. Obad. v. 4. 6) *Sagittarum* ingens est numerus. Nec intra unius plagæ terminos consistere solet divina ira, quando semel per peccatorum cumulum excitata est. Hinc *Deus ultionum* in plurali Ps. XCIV, 1. 2. Ingens catalogus expressus est Deut. XXVIII, 15-68.

Adjuncta judiciorum sunt 1) *Dextra* roboris Jehovæ. Jes. XXX, 30. *Audire faciet Jehova potentiam vocis suæ & descensionem brachii sui ostendet in ira furoris.* Confer Thren. II, 4. Jes. XLIII, 17. Deut. XXXII, 41. 2) *Arcus* sunt executores judiciorum ejus tum angeli tum homines, qui inde vocantur *Virga furoris Domini* Jes. X, 5. מפץ ,כלי מלחמה *malleus & instrumenta bellica* Jer. LI, 20. 3) *Pharetra* decretorum divinorum symbolum esse potest, tanquam *thesaurorum* in quibus judicio Dei obsignata sunt Deut. XXXII, 34. *2) in adjunctis:*

Effecta sunt plerumque lethalia & tristia, vulnera, jugum, nex. Jerem. XX, 27. Deut. XXXII, 42. Sed de his statim recurret dicendi locus. *3) in effectis.*

XXIX. Sunt autem *sagittæ* hæ inter arma Messiæ propria: *Sagittæ TUÆ.* Quo jure in priori symbolo, quatenus divinas veritates designant, nostro Heroi approprientur §. 8. visum est. Nec minori titulo *sagittas* judiciorum Dei possidet, quia post exaltationem suam in Judicem universalem a Patre constitutus est Jes. XVI, 5. Jes. XXXIII, 22. Joh. V, 22. 27. Præcipue ut *Judex terræ & gentium* proponitur Ps. VII, 9. XCIV, 2. 10. CX, 6. Mich. IV, 3. *Sagittæ hæ cum emphasi Messiæ appropriantur.*

XXXII. Ut vero patescat has *sagittas* majestati Herois eas vibrantis convenire, acies earum laudatur. *Sagittæ tuæ sunt* ACUTÆ, שנונים. Idem epitheton *sagittis* tribuitur *Cuspis acuta sagittarum vim verbi & judiciorum irre-*

fiſtibilem exprimit.

tur Pſal. CXX, 4. Prov. XXV, 18. Jes. V, 28. Ut enim certius læderent, cuſpis earum ſumma cum cura *acui* debebat. Hinc ipſum חצה a חץ i. *dividendo* derivatur. Sane verbum Dei habet vim irreſiſtibilem atque alte penetrantem. *Verba ſapientum ſimilia aculeis & ſimilia clavis infixis* Eccles. XII, 13. Nec minus judicia ejus fortiter & profunde feriunt, uti jam indicatum, & ex victoria Meſſiæ ſatis patebit, quam ut effectum harum *ſagittarum* Pſalmiſta porro deſcribit.

Geminus ſagittarum Chriſti effectus ſalutaris & lethalis.

XXXI. Sicut vero *ſagittæ* ipſæ duplicis generis ſunt, ita geminum effectum habent, ſalutarem alterum, alterum mortiferum. Salutarem innuit, quando ait: עמים תחתיך יפלו i. *populi ſub te procident.* De emphaſi vocis עם POPULUS, multa jam apud alios notata ſunt. Et præcipue hic meretur evolvi Cl. *Doutreinius* de clangore Evang. Diſſ. IV. Ratione originis denotat multitudinem legibus certis ſub uno capite, quaſi umbraculo viventem. עמם enim eſt cooperire. In ſingulari κυρίως & ἀντονομαστικῶς Judæis tribuitur, qui ſub Theocratia V. Teſt. erant עם. & reliquæ nationes mundi לא עם *non populus.* Unde transfertur ſæpe ad Eccleſiam N. T. ut antitypum, cujus exemplum infra Exerc. X §. 40. habebimus. Compellatio hæc per ſe eſt latiſſimæ ſignificationis. Deſignat enim 1) cætum hominum, 2) ab uno capite dependentium, 3) inter ſe arctiſſimæ unionis ſpiritualis vinculo connexorum, 4) ſuas leges, 5) ſua privilegia habentium, 6) ab aliis gentibus mundi ſeparatorum. Opponit eadem vox fideles N. T. tum omnibus populis mundi, tum priſco Iſraeli. Denique & innuit, quæcunque typice ad conſtitutionem populi Iſraelitici pertinebant, ea in novo hoc *populo* implementum ſortita eſſe: illum eſſe populum peculii, forti manu ex ſervitute peccati ereptum, ſanguine novi fœderis initiatum, Theocratiæ ſpirituali ſubjectum, prærogativa *Sacerdotii Regii* quoad ſingula membra donatum, hæredem Canaanis cœleſtis & totius mundi, Solymæ ſupernæ civem, bellis Domini ſub variis viciſſitudinibus vacantem, & ſic deinceps. In plurali tamen

Populus in ſingulari populum Dei Iſraelem tum literalem tum myſticum deſignat

men עמים POPULI non raro etiam gentes Israeli oppositæ appellantur. Exod. XIX, 5. Levit. XX, 24. Deut. XXXII, 8. Ps. XXXIII, 10. CVI, 34. Mich. IV, 13. & speciatim gentes mysticæ Anti-Christianismi Ps. LXVIII, 31. Habac. II, 5. Zach. XII, 2. 3. 4. XIV, 12. Frequentissime tamen designantur hac voce *gentes* in diebus Messiæ ad communionem ejus & bonorum N. T. adducendæ. Gen. XVII, 16. *Benedicam ei, ut mater sit multarum gentium, Reges populorum ex ea futuri sunt.* Gen. XLIX, 10. *Erit ei obedientia populorum.* Jes. LVI, 7. *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus populis.* Adde sis Gen. XXVII, 29. Deuter. XXXIII, 3, 19. Psal. XLVII, 10. LXVI, 8. LXXXVII, 6. XCVI, 7. XCIX, 1. 2. CII, 23. Jes. XXV, 6. 7. LXI, 9. LXII, 10. Mich. IV, 1. Zephan. III, 9. Zach. VIII, 20. 22. &c. Ratio in promtu est 1) ad exprimendam multitudinem. Hinc Chaldæus אוכלוטין עממין i. *multitudo* (vox Chaldaica formata est ex Græco ὄχλος) *populorum.* Cum enim hactenus intra unius *populi* cancellos coarctata fuerit divini nominis manifestatio, nunc multis dividenda. 2) Quin hæc multitudo iisdem gavisura in antitypo prærogativis, quibus unquam & usquam *populus* ille antiquus secundum typum mactatus erat & verus *populus Dei* gaudere potest.

in plurali vero de gentibus ad Messiam in N. T. adducendis usurpatur.

XXXII. Atque ad possessionem harum prærogativarum præparabantur SUB Messia PROCIDENTES. *Procidere* נפל est gestus hominis debilitati, qui erectus nequit consistere, Ps. XXXVII, 24. CXLV, 14. Mich. VII, 8. sive etiam humiliantis se, aliumve venerantis, Ruth. II, 10. præsertim in oriente, ubi Reges prostratione totius corporis ab antiquissimis temporibus culti sunt 2. Sam. I, 2. IX, 6. XIV, 22. Confer *Ælianum* Var. Hist. I, 21. Unde etiam ad supplicationem, quæ fit Jehovæ, transfertur Gen. XVII, 3. 17. 2. Chron. XX, 18. Jerem. XXXVI, 7. XXXVII, 20. Frequentissime autem de iis usurpatur, qui bello victi sunt 2. Sam. I, 12. 18. Jes. XXIV, 20. XXXI, 8. Jerem. XX, 4. XLVI, 16. Thren. II, 21. non tantum ubi internecioni dati, de quo idiotismo consulendus *Vorstius*

Per procidere varii actus pœnitentiæ conversionis & fidei notantur.

Landesbibliothek Oldenburg

Philol. Sacr. P. I. c. 5. ſed etiam ubi victi vivunt tamen, præcipue quando accedit vocula תחת, quæ talium ſubjugatorum humiliationem ſummam exprimit, qua ante pedes victoris proſtrati, delictorum veniam petunt, ejusque clementiæ ſe permittunt, & imperio ſe addicunt. Lucianus in Navig. p. 509. Εἶτα τὴν κεφαλὴν ἀποτεμών, καὶ ἀφελὼν τὸ διάδημα, βασιλεὺς ἤδη γέγονα, προσκυνούμενος ὑφ' ἁπάντων: οἱ βάρβαροι προσκυνήσουσιν. i. *Dein amputato capite & ablato diademate, Rex jam factus ſum, qui ab omnibus adoror. Barbari me adorabunt.* Confer nummum apud Begerum Theſ. Palat. p. 375. qui ex appictis primus eſt. Addi poteſt alius Septimii Getæ apud *Vaillantium* Num. Ær. Imp. II. p. 53. & præcipue elegantiſſimus Numeriani apud *Triſtanum* Tom. III. p. 316. qui tertium locum occupat.



Eo ſenſu cum reſpectu ad ſpiritualem gentium proſtrationem uſurpatur hæc particula Pſal. XVIII, 40. *humilias invaſores meos*

meos תחתי *ſub me*: & v. 48. *cogit populos* תחתי *ſub me*: ut & Pſ. XLVII, 4. *depreſſit populos* תחתינו *ſub nobis*. Plenius phraſis exprimitur Pſ. XVIII, 39. 2. Sam. XXII, 39. יפלו תחת רגלי, *cadent ſub pedibus meis*. Aptiſſima ergo eſt ad exprimendam converſionem gentium ſecundum certos gradus, ſecundum quos 1) debilitandi & brachium carnis ita frangendum, ut reſiſtere amplius radiis veritatis nequeant: 2) agnituri divinam majeſtatem & potentiam Meſſiæ: 3) arma omnia abjecturi: 4) divinum honorem ei exhibituri: 5) peccatorum veniam humillime petituri: 6) denique in obſequium fidei ſe cœleſti Regi tradituri.

XXXIII. Nec tamen eadem omnes ſors manet. Pejus cum iis conſtitutum eſt, qui præfracte obicem regno Meſſiæ ponere pergunt. Et ad eos pertinent reliqua בלב אויבי המלך i. *in corde hoſtium Regis*. Sunt qui heic לב ſenſu metaphorico ſumunt, quatenus deſignat rei medias & interiores partes: & ita hac phraſi exprimi putant locum, ubi hæc victoria obtinebitur, in ipſo ſcilicet *meditullio* regionum, quas hoſtes Regis poſſident. Conferunt Pſ. CX, 2. ubi ad Meſſiam dicitur: *dominare in medio inimicorum tuorum*. Hoc *Muſculus* ut ſingulare argumentum excellentiæ virtutis Chriſti adduci putat: *Hic*, ait, *paſtor talis eſt, qui ſuas oviculas habet ac tuetur in medio luporum: hoc eſt in medio impiorum, in medio regni Satanæ, peccatorum & mortis. Quis Rex hujus mundi hoc poteſt?* Hos ſequitur *Geierus* & alluſum cenſet ad Gibeonitas cum Joſua paciſcentes Jos. X, 4. Sed obſtare videtur, præter accentum diſtinguentem Athnach, qui eſt ſub יפלו, quod Gibeonitæ armis non ſint victi, nec eorum particularis ſubmiſſio ſufficiat ad univerſalem *populorum* ſub Meſſia ſubjugationem typo exprimendam. Qui vero לב pro *corde* ſenſu proprio ſumunt, nec ipſi conſentiunt. *Aquila* & *Symmachus* de *corde Meſſiæ*, non hoſtium, interpretantur ἐν καρδίᾳ οἱ ἐχθροὶ βασιλέως i. *inimici Regis ſecundum cor ipſius ſunt*. Sed id coactum. Melius *Chaldæus*, qui verba hæc cum telis conſtruit

Sequentis inciſi ſenſus literalis enucleatur. Cor hic non ſenſu metaphorico,

ſed proprio, & quidem non de corde Meſſiæ,

Landesbibliothek Oldenburg

ſed hoſtium eſt intelligendum. Abruptæ dictionis cauſſa docetur.

& παραφράζει: ובני קשתך ישתלחון בלב שנאי מלכא i. *& filii arcus tui mittentur in cor inimicorum Regis.* Hunc pleraque interpretum nubes merito ſequitur. Fateor abruptam eſſe dictionem, ſed ea pertinet ad majeſtatem carminis, cujus author in ecſtaſin raptus, poſtquam gentes ſub jugum Meſſiæ actos lætabundus conſpexerat, repullulare quaſi Hydræ infernalis abſciſſa capita, novosque exſurgere hoſtes violentiores obſervat, eorumque infanda tyrannide novum terrorem populo Meſſiæ injici. Sed ſecuram eſſe jubet piam catervam. Dum ſurgunt proſternuntur, & *corda eorum telis* Meſſiæ in ecſtaſi lethaliter *tranſfixa* conſpiciuntur. Nemo propius elegantiſſimum hunc ſenſum expreſſit *Piſcatore*, qui verſum integrum vertit: *Sagittæ tuæ acutæ ſunt, ita ut populi ſub te cadant. In cor inimicorum Regis* penetrant! Hæc hypotheſis eo argumento ſolidiſſime roboratur, quod in his verbis mutata ſit παρασφώνησις. Cum enim in priori commatis parte ſermo dirigatur ad Meſſiam, atque ſtatim ad eundem revertatur commate ſequente, heic de eo loquens in perſona tertia inducitur. Ex quo pateſcit, hæc verba ut interloquium conſideranda eſſe, quo notabilis aliquis eventus deſignatur, qui ſiſtere meditationem Vatis poterat. Quantam autem emphaſin hoc interloquium habeat, ſingularum vocum ἐξήγησις aperiet.

Rex denuo Meſſias dicitur, idque cum articulo præfixo.

XXXIV. Qui in exordio carminis מלך jam dictus erat, ille hic cum articulo emphatico המלך REX ILLE cognominatur. Quam communis titulus *Regis* Meſſiæ ſit Cap. 2. §. 6. jam indicatum eſt. Potiſſimas autem, quæ regnum ejus decorant, partes in ſequentibus luſtrabimus. Articulus præpoſitivus præſtantiam hujus *Regis* innuit, quæ elucet 1) *ex comparatione* cum regno V. T. quia in N T. Meſſias ſolus regnat & regnum ejus longe præſtantius eſt, utpote juſtitia fundatum, cœleſte, ſpirituale, univerſale, conſtans. 2) *ex oppoſitione* mundanorum *Regum*, præcipue eorum qui regno Meſſiæ contrariabantur. Vide Pſ. LXVIII, 13, 15, 16, 17.

XXXV.

Landesbibliothek Oldenburg

XXXV. Et tamen Rex tam justus & excellens suos habet HOSTES. Hostes Messiæ in genere sunt *serpens* antiquus, totumque ejus *semen*, inter quos & *semen mulieris* איבה *inimicitia* æterna sancita est Gen. III, 15. Satanas ut *hostis* Jehovæ inducitur Ps. VIII, 3. Matth. XIII, 39. Et simul omnia instrumenta ejus, impii: hinc per פעלי און *iniqua patrantes* explicatur. Ps. XCII, 10. Habet autem אויב significationem reciprocam, atque ita aptum est ad exprimendum totum illud infelicitatis improborum barathrum, qui & hostiliter contra Deum insurgunt, & hostiliter a Deo impetuntur. Produnt se ut hostes Dei, *cogitatione* ejus virtutes obscurantes, ideam sanctitatis & justitiæ ejus supprimentes, omniscientiæ ejus obliviscentes, ratiociniis quæsitis timorem verbi ejus extirpantes Psal. XIV, 1. L, 21. *ore* virtutes, verbum, populum DEI blasphemantes Ps. LXXIV, 18. LXXXIX, 52. denique *opere* ipso talia patrantes, quibus Deus indies abnegatur, & vincula obedientiæ ei debitæ omnia rumpuntur, obicemque, quantum in se est, consilio Dei de manifestanda sua gloria ponentes. Ps. II, 3. Luc. XIX, 27. Hesek. XXXVI, 20. 21. Sed ah! quam infausta eorum sunt auspicia! Jehova contra ipsos militat. Æterno decreto sibi eos in vasa iræ destinavit. Rom. IX, 22. Et secundum hoc justissimum iræ propositum iis advorsum procedit, meritisque pœnis eos consumit Ps. II, 4. 5. XVIII, 27. &c. Hinc ipsis gentilibus authoribus nihil frequentius, quam ut sceleratos homines ut hostes Deorum, & ab iis exosos introducant. Sic *Demosthenes* injustos appellat ἀνθρωπους Θεοῖς ἐχθρούς i. *homines Diis inimicos.* Antiquus Scriptor apud *Suidam* in ἔρρε ait: Ω Ξενοφάνεις, καὶ Διαγόραι, καὶ Ἵππωνες, καὶ Ἐπικούροι, καὶ πᾶς ὁ λοιπὸς ὄχλος τῶν κακοδαιμόνων τε καὶ Θεοῖς ἐχθρῶν, ἔρρετε i. *O Xenophanes, & Diagoræ, & Hippones, & Epicuri, & reliqua infelicium Diisque inimicorum turba, in malam rem abitote.* Agesilaus apud *Polyænum* lib. II, 1. 8. ait: Χάριν οἶδα Τισσαφέρνῃ τῆς ἐπιορκίας. ἑαυτῷ γὰρ τοὺς πολεμίους τοὺς Θεοὺς ἐποίησεν, ἡμῖν δὲ συμμάχους i. *Gratiam habeo Tissapherni ob perjurium: sibi enim ipsi Deos*

Hostes Messiæ in genere omnes impii sunt,

contra illum hostiliter agentes,

& ab eo reciproce hostiliter impetiti.

Phrasis hæc apud prophanos scriptores frequens.

Deos effecit hoſtes, nobis vero auxiliares. Plura in hanc rem collegit, unde & hæc mutuatus ſum, Cl. *J.H. Majus* filius Obſervat. Sacr. lib. I. p. 47. ſeq. & p. 118. ſeq. Status hic tam infelix eſt, ut *Cicero* in Catone majore prorumpat : *Quid eſt aliud Gigantum more bellare cum Diis, niſi naturæ repugnare?* Notandum autem איב plus notare quam שונא *oſor*, & exprimere hoſtem publicum, violentum, & familiariſſime uſurpari de inſignibus Eccleſiæ perſecutoribus. Pſ. LXVI, 3. LXVIII, 2. LXXXIII, 3. Jes. LXVI, 14. Sic de Pharaone Exod. XV, 5. 9. & Ægyptiis Pſ. LXXXIX, 11. eorumque antitypo Antichriſto cum ſuis aſſeclis Deuter. XXXII, 42. Pſal. LXVIII, 22. LXXIV, 18. Jeſ. LIX, 18. qui antitypus τῶν נפילים in prima, Nimrodique & aſſeclarum in ſecunda mundi ætate, quorum auſa contra Deum & populum ejus θεομαχίας Gigantum fingendæ gentilibus anſam dedere. Hi cum usque ad thronum Dei furor eorum non pertingat, effundere eum in fœderatos Dei ſtudent Tales autem Eccleſiæ *hoſtes* pro ſuis *hoſtibus* Jehova declarat. Exod. XXIII, 22. Anteſignani eorum ſunt ipſi Judæi, de quorum hoſtili animo erga Eccleſiam querelæ fiunt Pſal. CXX. Cant. I, 6. qui propterea ut *hoſtes Chriſti* ſiſtuntur in parabola Luc. XIX, 27. Porro talium *hoſtium* inter gentes etiam poſt primas victorias ingens ſeges futura. Hinc Eccleſia Pſ. XLIV. poſtquam primum operis Domini ſucceſſum laudaverat v. 11. queri pergit : *redire nos facis retro ab hoſte, & oſores noſtri diripiunt ſibi.* Et porro v. 14. ſeq. *ponis nos opprobrium vicinis noſtris, ſannum & famigerationem iis, qui circa nos. Ponis nos exemplum in gentibus & agitationem capitis in nationibus. Toto die eſt ignominia mea coram me & pudor faciei meæ operit me, ob vocem conviciantis & blaſphemantis : propter inimicum & vindicem ſui.* Hinc quæritur Cant. III, 6. *Quæ eſt illa adſcendens ex deſerto, ut palmæ fumi?* Hi *inimici* innuuntur Pſ. CX, 12. Jes. XLII, 13. & in tota priore parte citati Pſalmi LXVIII. Ad has anguſtias collimatur Apoc. II, 10. *Futurum eſt, ut Diabolus mittat aliquos ex vobis in carce-*

In ſpecie deſignantur perſecutores Eccleſiæ, qui poſt Judæos

ex gentibus potiſſimum prodire debebant.

carcerem, ut exploremini, & habebitis afflictionem dierum decem. Hi *hostes* sunt *angeli Draconis pugnantes contra Michaelem & angelos ejus.* Apoc. XII, 9. Pars horum angelorum manifestius furunt, ut Tyranni *oves mactationis* occidentes, pars occultius & magis e longinquo, ut Sacrificuli pro aris & focis militantes & Philosophi sophismata contra veritatem fabricantes, quæ *lapidibus fundæ* concinne comparantur Zach. IX, 15.

XXXVI. Nec frustra est *hostes* hos veritatis præcise *hostes REGIS* vocitari. Nil enim peccator natura magis odit, quam illam relationem, quam fideles ad Messiam ut *Regem* habent. Ex hac enim relatione fluit obligatio, ut virtutes ejus prædicent, eum venerentur, timeant, & præcipue, ut legibus ejus omnibus obtemperent, denique ut sub ejus vexillo contra *hostes* regni sui militent, quæ officia omnia carni longe exosissima sunt. Hinc Ps. II, 3. *hostes Regis* se incitant: *abrumpamus vincula eorum, & abjiciamus funes eorum.* Qui vero inter gentes nova impedimenta successibus Messiæ objecturi erant, illi eo quoque nomine *hostes* regni ejus erant, quia regnum in gentes ex pacto ei debebatur.

Hostes Regis dicuntur, quia regium munus Messiæ carni maxime exosum est.

XXXVII. Nec impune tamen iis erit, *Regum Regem* lacessiviisse. Hagiopsaltes jam IN CORDE hærere lethiferas *sagittas* prævidet. *Cor* vitæ animalis sedes est. Hinc lethales plagæ *in cor immittuntur* Exod. IX, 14. 2. Sam. XVIII, 14. *Sagitta cor transfigitur* 2. Reg. IX, 24. Ergo innuitur hostes Messiæ ad internecionem dandos. *Ut vas figulinum dissipabis eos* Psal. II, 9. *Inimici mei retrocedunt, corruunt & pereunt a facie tua* Ps. IX, 4. *Persequor inimicos meos & assequor eos: neque revertor, donec consumsero eos* Ps. XVIII, 38. Confer Psal. LXVIII, 2. 3. CX, 2. Habac. III, 9. 10. Apocal. XII, 9. &c.

Sagittæ in corde eorum internecionem designant.

XXXVIII. Ita certis gradibus *victoriam* pleniissimam Messias obtinet, eamque graphice delineare cum scopo Psaltis egregie conveniebat. Cum enim in eo esset, ut ab omni

Victoria de gentibus argumentum novum est,

quo demonſtratur Meſſiam eſſe pulcherrimum.

parte amabilem eum in epithalamio ſuo Sponſæ faceret, nullo argumento fortius amorem ejus elicere poterat. Talis enim *victoria* 1) ejus præſtantiam *ſuper filios hominum* omnes evehebat, quia ad illam obtinendam divina vis & potentia requirebatur. Unde haut ſemel ut argumentum Divinitatis Meſſiæ adducitur. Jes. XL, 15. 23. XLI, 20. XLIV, 24. 25. &c. Idque eo magis, quia in hac gentium devictione omnia idola earum ſimul deſtruebantur: unde qui tot Deaſtrorum ἀδενείαν annihilatione eorum demonſtrabat, omnibus ſimul dictitiis & fictitiis Diis ſe ſuperiorem demonſtrabat. Vide Pſ. XCVII, 7. 8. 9. 2) Quin imo amore Eccleſiæ eo magis dignus erat, quia hac *victoria* non tantum ſuam gloriam promovere, ſed & novum amoris ſui erga Eccleſiam documentum exhibere Meſſias voluit. Scopus enim *victoriæ* non erat alius, quam ut ſemen electum in hæreditatem gentium introduceretur. Sicut igitur Joſua typicus occupatam Palæſtinam inter tribus Iſraelis dividebat, ita Joſua noſter cœleſtis quicquid ei acceſſit decoris, Iſraeli ſuo ſpirituali diſtribuit. Hoc ſecundum promiſſa Eccleſiæ fata a Meſſia *Victore* exſpectabatur. Et de natura beneficii hujus tam illuſtris qui inſtrui cupit, adeat Celeberrimi *Vitringæ* Obſerv. Sacr. lib. V. c. 5. 6. Ecquid aptius erat ad amorem Meſſiæ commendandum? Hoc argumento ipſe Meſſias utitur Jes. XLIII, 3. ſq. *Ego Jehova Deus tuus, Sanctus Iſraelis, Salvator tuus: dedi pretium tui Ægyptios, Cuſchæos & Sabæos pro te. Ex quo pretioſus fuiſti in oculis meis, glorificatus es, & ego DILIGO te: & dabo homines pro te & nationes pro anima tua. Ne timeas, nam tecum ſum: ab ortu faciam venire ſemen tuum, & ab occaſu colligam te &c.* Si ergo Michal de Davidis amore perſuaſa eſſe debebat, quando eam centum præputiis Philiſtæorum occiſorum emebat 2. Sam, XVIII, 27. quanto majori jure pleniſſima de præputiatis omnibus in bonum Eccleſiæ *victoria*, conſtantiſſimum Meſſiæ erga eam amorem probabit?

XXXIX

XXXIX. Ut vero veritas Dei in implemento illustris hujus visionis eo penitius perspiciatur, commodissimum erit, si ex dictis characteres hujus victoriæ accurate exsculpamus, & cum eventu singulos conferamus.

Omnes victoriæ hujus characteres in Christo Jesu impleti demonstrantur.

1) *Qui ad hanc victoriam obtinendam se accingit, compellatur ut Heros, aliis jam victoriis illustris.* Talem Heroa se esse Salvator noster demonstravit, non tantum dæmonia expellens, sed etiam *morte sua vincens Diabolum, qui mortis potestatem habebat* Hebr. II, 14. *robustum vinciens* Matth. XII, 29. *exuens principatus & dignitates, & triumphum ex iis faciens* Col. II, 15. Hinc ut Triumphator mortis & inferni introducitur 1. Cor. XV, 55-57. Apoc. I, 18. V, 5.

1) *Ille erat Heros, aliis jam victoriis illustris.*

2) *Heros noster precibus populi sui ad capessenda arma excitatur.* Acclamatur enim une ore: *accingere! vehere!* Apostolorum & fidelium pro successu regni Christi preces frequentes fuere, Actor. I, 14. IV, 29. 30. VI, 4. XIII, 13. jussu ipsius Salvatoris, qui eos docuerat precari: *Adveniat regnum tuum!* Nemo diligentius hoc officio functus est ipso gentium Apostolo Ephes. I, 16, 19. III, 14--21. Philip. I, 9. Col. I, 9. 1. Thess. I, 2. II, 11. 12. Quin jubet expresse precibus propositum illud gratiæ promovere, quo Deus *vult omnifarios homines*, ipsas etiam gentes, *salvari* 1. Tim. II, 1-4. Hinc perpetua Ecclesiæ suspiria: Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ! Apoc. XXII, 20.

2) *Ille precibus populi sui ad arma capessenda excitatus est.*

3) *Instrumentum potissimum victoriæ est verbum veritatis.* Hoc expresse nominatur: hoc armaturæ omnis loco: hoc *gladius, currus, sagittæ.* Et certe nullo alio armorum genere primos Ecclesiæ Ministros munitos invenimus Actor. XIII, 48. 49. XIV, 3. XVII, 11. &c. Et quam penetrans & corda subjiciens hujus verbi vis fuerit, patet passim ex effectis, quæ describuntur Actor. II, 37. VI, 10. XXIV, 25. XXVI, 28. 2. Cor. X, 4. 5.

3) *Instrumentum victoriæ ejus fuit verbum veritatis.*

Landesbibliothek Oldenburg

4) Præparavit se ad hanc victoriam tum per effusionem Spiritus, tum per conversionem primitiarum e Judæis.

4) *Præparatio duplex victoriam antecedit. Prior* est donorum Spiritus distributio depicta per gladii *ad femur accinctum.* Hanc præparationem in implemento videmus Act. II. *Posterior* est *majestatis* & *magnificentiæ* Herois prima ostensio. Illa facta est inter Judæos, qui non tantum testes magnalium Dei οὐκ ἐκ γωνίας πεπραγμένων fuere, sed etiam saltem quoad partem primum nomen dedere. Res notissima: sed vide tamen Act. XIII, 46.

5) Impedimenta a Judæis, Ethnicis, pseudo-Christianis objecta prospere perrupit.

5) *Heros noster impedimentis remotis prospere procedit.* Haut pauca obstacula ad sufflaminandum salutare convertendarum gentium propositum Satanas objecit. Præcipua mora ab ipsis Judæis injecta, quorum emissarii legis Mosaicæ observationem inter gentes urgebant. Cujus rei vestigia deprehendere licet Act. XV, 1--5. Gal. II, 4. Et *Justinus Martyr* in dial. cum Tryphone Judæis exprobrat: ἄνδρας ἐκλεκτοὺς ἀπὸ Ἱεροσαλὴμ ἐκλεξάμενοι τότε, ἐξεπέμψατε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, λέγοντας, αἵρεσιν ἄθεον χριστιανῶν πεφηνέναι i. *Viros eximios Hierosolymis delectos in terram omnem tum legastis, dicentes: Sectam Christianorum Atheisticam comparuisse.* Accedebat invidiæ contra gentes œstrum. Et vah! quanta præjudiciorum inter ipsas gentes monstra debellanda erant! Utinam vero non inter ipsos Christianos zizania statim in origine mista fuissent tritico, ex qua omni exspectatione citius infandæ hæreses pullularunt, quæ atrociſſimis in Christianos calumniis ansam dederunt! Vide, quæ jam in sacris hac de re querelæ occurrant Act. XX, 29--31. 1. Tim. VI, 3-5. &c. Sed hæc omnia prosperum Evangelii successum inhibere nequiverunt. Judæorum moliminibus servi Jesu Christi *ne ad momentum quidem cesserunt per subjectionem, ut veritas Evangelii permaneret* Gal. II, 5. Quin μεσότοιχον ϑ φραγμὸν solutum Ephes. II, 14. Præcipue per destructionem templi & eversionem totius Reipublicæ Judaicæ. Gentium præjudiciis æque obviam itum 1. Cor. I, 23. 24. Nec diutina fuere primorum hæreticorum molimina

limina, præsertim iis temporibus, ubi in igne tribulationis stipulæ & stramina falsarum doctrinarum perdurare nequibant. 1. Cor. III, 12-15.

6) *Impedimentis summotis ingens nationum etiam longe dissitarum caterva verbo veritatis expugnatur. Apostoli profecti prædicarunt ubique.* Marc. XVI, 20. Hinc Paulus testatur: *Sermonem Evangelicum perveniisse in totum mundum* Col. I, 6. *Evangelium prædicatum esse omni creaturæ, quæ sub cælo est.* Ibid. 23. Confer. Rom. I, 8. X, 18. Quanta populorum caterva effusionis Spiritus testis fuit? Act. II. Quantus regionum numerus jam in sacris paginis recensetur, quæ prædicatione Evangelii peragratæ & ad Christum conversæ sunt? Præter Judæam, Samariam, Palæstinam, Syriam, Arabia Gal. I, 17. Cilicia Act. XV, 41. Pamphylia Act. XIV, 24. Lycia Act. XXVII, 5. Pisidia Act. XIII, 49. XIV, 24. Cappadocia Act. XIII, 51. 1. Petr. I, 1. Cyprus Act. XIII, 4-12. Phrygia & Galatia XVI, 6. Æthiopia Act. VIII, 27. Illyricum Rom. XV, 12. Dalmatia 2. Tim. IV, 10. Macedonia Act. XVI. Græcia Act. XVII. Peloponnesus Act. XVIII. Creta Tit. I, 5. Melite Act. XXVIII. Italia Hebr. XIII, 24. Act. XXVIII, 30. 31. &c. Hic a quibusdam confertur divisio orbis universi ab Apostolis sorti to facta, de qua *Eusebius* Hist. Eccles. lib. III. c. 1. & ex eo alii, quæ tamen ipsi *Baronio* incertæ fidei esse videtur. Istud certius est, Apostolorum vestigiis institisse eorum successores & fines regni Christi indies latius protulisse. Hinc *Justinus Martyr* ad Tryphon. Οὐδὲ ἓν γὰρ ὅλως ἐστὶ τὸ γένος ἀνθρώπων, εἴτε βαρβάρων, εἴτε ἑλλήνων, εἴτε ἁπλῶς ὠπινιὸν ὀνόματι προσαγορεύομένων ἢ ἀμαξοβίων ἢ ἀοίκων καλουμένων, ἢ ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων οἰκούντων, ἐν οἷς μὴ ἀφὲ ἑνὸς ὀνόματος ἐσταυρωμένου Ἰησοῦ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι τῷ πατρὶ καὶ ποιητῇ τῶν ὅλων γίνονται i. *Ne unum quidem genus est mortalium sive Barbarorum, sive Græcorum, seu etiam aliorum, quocunque veniant nomine, ne eorum quidem, qui pro domibus plaustris utuntur, ac in tentoriis agunt pastoriciam, inter quos per nomen crucifixi Jesu sup-*

6) *Nationes mundi longè dissitas verbo veritatis expugnavit.*

plicationes & gratiarum actiones patri & fabricatori rerum omnium non fiant. *Lactantius* de mort. Perſecut. c. 3. de Eccleſia ſecundi ſeculi: *manus ſuas in orientem occidentemque porrexit, ut jam nullus eſſet terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetraſſet, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non ſuſcepto Dei cultu ad juſtitiæ opera miteſceret.* Res eſt notiſſima, & plura in eam teſtimonia ex *Irenæo*, *Origene*, *Euſebio* alii excerpſere. Videri poſſunt *Centur. Magdeburgenſes* Cent. I. lib. II. cap. 2. *Spanhemius* Hiſt. Eccles. Sec. I. c. 8. & Sec. II. c. 2. *Witſius* Miſcell. Tom. II. Exerc. 13. §. 9.

7) Victoriarum Chriſti de gentibus admirabilis fuit celeritas.

7) *Expeditionum pro veritate propaganda a Meſſia ſuſceptarum ſingularis innuitur celeritas.* Id potiſſimum *currus* & *ſagittarum* emblemate expreſſum eſſe docuimus. Nec ſpem eventus deſtituit. Breve fuit annorum intervallum, quorum decurſu Apoſtoli potiſſimas orbis terrarum partes Evangelii prædicatione illuſtrarunt. Paulus ſolus quantum ſtadium abſolvit, *ab Hieroſolymis in circuitu ad usque Illyricum omnia implens*! Rom. XV, 19. Unde *Baſilius* Seleuc. eum merito introducit τὸν τὴν οἰκουμένην καθιδόντα, καὶ τῷ θεῖ πίστεως δρόμῳ τὸν κόσμον μικρὸν ὑποφήναντα i. *terræ habitabilis ſtadia percurrentem & curſu pro fide ſuſcepto mundi anguſtias demonſtrantem.*

8) cum triumpho veritatis horrenda judicia in refractarios junxit.

8) *Triumphus veritatis cum multis judiciis conjunctus eſt in refractarios.* Hoc per *ſagittas* ab Heroe noſtro emiſſas ſimul delineatum vidimus. Pleni ſunt Scriptores Romanæ Hiſtoriæ primorum poſt Chriſtum ſeculorum, *Aurelius Victor*, *Spartianus*, *Capitolinus*, *Dio*, alii teſtimoniis de fame, peſtilentia, incendiis, irruptione Barbarorum, quibus orbis terrarum & præcipue Romanus miſerrime divexatus eſt. Judicia hæc anſam dederunt hoſtibus veritatis, ut Chriſtianismo calamitatum publicarum omnium originem imputarent, contra quam calumniam apologiam ſcripſe-

pserunt *Arnobius* in libris adversus gentes, *Augustinus* in tractatu de civitate Dei, *Orosius* in historia, *Cyprianus* contra Demetrianum, *Prudentius* & *Ambrosius* in Symmachum. Vide quæ de hac calumnia congessit *Kortholtus* de moribus Christianismo falso afflictis cap. XV. Notanda præ cæteris in hanc rem verba *Cypriani* l. cit. Edit. Oxon. p. 187. *Quod autem crebrius bella continuant, quod sterilitas & fames sollicitudinem cumulant, quod sævientibus morbis valetudo frangatur, quod humanum genus luis populatione vastatur, & hoc scias esse prædictum, novissimis temporibus multiplicari mala, & adversa variari, & appropinquante jam judicii die magis ac magis in plagas generis humani censuram Dei indignantis accendi. Non enim ista accidunt, quod Dii vestri a nobis non coluntur, sed quod a vobis non colatur Deus.* Hæc ille.

9) *Inter Herois victoris virtutes præ cæteris eminent mansuetudo & justitia ejus. Mansuetudinem* singularem gentibus exhibitam non semel Apostolus gentium deprædicat Ephes. II, 4. sq. Tit. III, 4. *Justitia* eminet tum in judiciis generatim, tum præcipue in iis quibus persecutores fracti, de quibus mox.

9) *In victoriis suis mansuetudinem & justitiam exercuit.*

10) *Nationes sub Heroe nostro procidentes divinum ei honorem exhibent.* Ita factum est. Si dubitant de rei veritate pessimi quidam Pseudo-Christiani, ab ipsis Christianismi hostibus id affirmantibus insanire dediscant. *Lucianus* Dialogo περὶ τῆς περιγεινε τελευτῆς p. m. 566. affirmat quod Christum ὡς θεὸν ἐδιηγέντο, καὶ νομοθέτην ἐχρῶντο, καὶ προσκύνην ἐπέγραφον, & p. 567. ἔπειτα ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος ἔπεισεν αὐτοὺς, ὡς ἀδελφοὶ πάντες εἶεν ἀλλήλων, ἐπειδὰν ἅπαξ παραβαίντες θεοὺς μὲν τοὺς ἑλληνικοὺς ἀπαρνήσωνται, τὸν δὲ προσκυνῶσι, καὶ κατὰ τοὺς ἐκείνε νόμους βιῶσι i. *Postquam vero primus eorum Legislator iis persuasit, ut se invicem omnes tanquam fratres diligerent, ubi semel transgressi Deos Græcorum abnegaverint, eum adorant, & juxta ejus leges vivunt.* Adda-

10) *Honor divinus ei vere a primis Christianis inter gentes est exhibitus.*

Landesbibliothek Oldenburg

Addatur *Plinius* lib. X. Epiſt. 97. Trajanum certiorem de Chriſtianis faciens: *quod eſſent ſoliti, ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.* Ad quem locum provocat *Tertullianus* in Apologet. c. 2.

11) Novi ſubinde hoſtes contra Chriſtum inſurrexere.

11) *Interea hoſtes novi alii poſt alios inſurgunt, qui ſiſtere curſum victoriarum tentant.* Horum jam primitiæ a Paulo innuuntur Eph. VI, 12. Judæi etiam poſt graviſſimum judicium, quo tantum non internecioni dati ſunt, animum tamen hoſtilem nunquam depoſuere. Et inter gentes novi quotidie adverſarii ſuppullulabant, θεομαχῆντες, quam vocem commode adhibet *Tertullianus* l. ad Scapulam c. 4. *Non te terremus, qui nec timemus: ſed velim, ut omnes ſalvos facere poſſemus, monendo* μὴ θεομαχεῖν. Tres autem potiſſimum in aciem procedebant catervæ, Tyranni, Sacerdotes, Philoſophi. *Tyranni* merito a *Lactantio* c. 1. & 5. & 43. de mortibus perſec. dicti *adverſarii Dei*, cruentas perſecutiones inſtituebant, de quibus poſt alios ſingularem & doctum librum conſcripſit Clariſſimus *Kortholtus*. Tales erant Nero, Decius, Valerianus, Maxentius, & præcipue Diocletianus, inclytus præcipue blasphemis inſcriptionibus: NOMINE CHRISTIANORUM DELETO: & altera: SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQVE DELETA, nimis immature erectis. Ut taceamus Julianum & illos Imperatores, qui Arianorum partes ſequebantur. Et quid aliud exſpectandum erat, cum *Sacerdotes* claſſicum canerent? Cum enim a Chriſtianis lucro privarentur, quod ad eos ex ſuperſtitioſo idolorum cultu redundabat, quid mirum eſt, eos ad inſtar Demetrii Epheſini Act. XIX. omnia miſcuiſſe, ut non tam Deaſtrorum honorem, quam ſuum emolumentum ſartum tectumque conſervarent? Hinc natæ atrociſſimæ calumniæ, & præcipue illa ἀθεότητος, ſub cujus prætextu in Chriſtianos odium generis humani incendere tentabant? Sic perſecutionis Decianæ origo cuidam, qui μάντις καὶ ποιητὴς erat, adſcribitur apud

apud *Eusebium* Hist. Eccl. lib. VI. c. 34. Subtilius *Philosophi* oppugnabant per sophismata, quibus Evangelium Jesu Christi in *stultitiam* convertebant. Act. XVII, 32. XXVI, 24 1. Cor. I, 23. Tales fuere Hierocles Philosophus, de quo *Lactantius* Div. Instit. lib. V. c. 2. *Alius eandem materiam mordacius scripsit, qui erat e numero judicum, qui auctor inprimis persecutionis faciendæ erat, quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos afflixerat, insecutus.* Porro Crescens, qui Justino Martyrii caussa fuit, Lucianus, Porphyrius, ὡς τῆς χριστιανῆς ἀληθείας λυττήσας. i. *more canis rabidi adversus Christianam veritatem furere ausus* secundum *Theodoretum.*

12) *Sed hi quoque sagittis Regis confossi jacent.* In Judæis id impletum recte monet *Pellicanus*, quia etiamnum eorum *cor transfigitur, quoties Christi gloriam perfidi audiunt, quam delere non queant.* Quem exitum *Tyranni* persecutores ante Constantinum Magnum sortiti sint, in solamen Ecclesiæ *Lactantius* singulari libro de mortibus persecutorum docuit. Inter alia graphice cap. 1. *Qui adversati erant Deo, jacent; qui templum sanctum everterant, ruina majori ceciderunt; qui justos excarnificaverant, cœlestibus plagis & cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt. Distulerat enim pœnas eorum Deus, ut ederet in eos magna & mirabilia exempla, quibus & posteri discerent, & Deum esse unum, & eundem mortem digna ultione superbis & impiis ac persecutoribus inrogare.* Juliani exitus infelix notus est. *Socrates* lib. III. c. 18. ait, *telum ex improviso in eum conjectum atque interfectum, cædis authore incognito.* Videri etiam possunt *Theodoretus* Hist. Eccl. lib. III. c. 20. *Sozomenus* lib. VI. c. 1. Eleganter hæc sagitta posset cum *sagittis Messiæ* comparari, si tantum facto certa constaret fides. Nec minus confusi sunt *Sacrificuli*, quorum fraudes paulatim detectæ, aræ relictæ, oraculis ipsis, quæ potissimum gentilismi robur erant, paulatim obmutescentibus. Paulatim, inquam; non enim uno ictu cessasse

12) *qui omnes telis Christi sunt confixi.*

cum Chriſto nato, ſed aliquantum temporis poſtea perduraſſe, donec lux Evangelii impoſturas horrendas eorum, qui ſacris operam dabant, e tenebris excuſſit, ad oculum demonſtravit eruditiſſimus *Antonius van Dale* in opere egregio de oraculis veterum. Denique nec *Philoſophorum* effugia contra ſimplicitatem verbi Dei quicquam valuere 1 Cor. I, 25. 2. Cor. X, 4. 5. Unde haut pauci ex iis in caſtra Chriſtianorum tranſiere.

Excitatio ad agnoſcendam magnitudinem beneficii, quo per hanc victoriam gentes ſunt donatæ:

XL. Tam accuratum prophetiam hanc nactam eſſe implementum, noſtra potiſſimum intereſt, qui ex illis ad Chriſtum converſis gentibus originem ducimus. Quanta caligine involuti manſiſſemus, niſi ſalutaris hæc lux patribus noſtris affulſiſſet? Ita devictum & ſubjugatum eſſe, in tanto reputandum eſt beneficio, ut inde omnis ſalutis ſpes unice ſit arceſſenda. Merito ergo lætamur cum primitiis gentium in libero Dei beneplacito, qui Deus gentium fieri non dedignatus eſt, Pſ. XCVII, 1. Act. XIII, 48. Merito ſacrificia laudis afferimus, & ad referendas æternas miſericordiæ divinæ grates unanimiter nos excitamus Pſal. XCVI, 1-3. C. 2. CXVII, 1. Præcipue cum in hoc opere tot perfectiones Dei & Regis noſtri excellentiſſimo modo effulſerint, quarum intuitus in admirationem, in ſtuporem & amorem rapere attentos debet. Quanta enim illa eſt *majeſtas*, *gladio* Spiritus *accinctum* eſſe, *verbo veritatis* armorum loco uti, numeroſo Miniſtrorum Evangelii exercitu ſtipatum eſſe! Quanta *magnificentia*, totum terrarum orbem ut ſcabellum pedum calcare, & non corpora tantum, quod exiguum eſt, ſed ipſas animas cum lubentia ſibi devinctas habere! Quantum robur, quanta *potentia dextræ*, ex lapidibus Abrahamo liberos ſuſcitare, & vincendo non ad necem vivos, ſed mortuis vitam dare! Porro quis affatim deprædicabit illam *manſuetudinem*, per quam iis, qui hoſtiliter egerant, ubi reſipiſcunt, peccata omnia remittit, vulnera, quæ inflixit, leniſſime tractat, & pro theſauris iræ, quos meriti fuerant, omnes ſufficientiæ ſuæ divi-

ad celebrandas virtutes Chriſti in ea oſtenſas:

divitias in eos effundit? Quis non trepidet ad illam *justitiam*, qua in refractarios animadvertit? Denique ecquis non agnoscat *fidem* & *veritatem*, quam etiam victis præstat, dum non tantum promissionum ab antiquo datarum statо tempore memor est, sed etiam cavet, ne a faucibus inferni, ex quibus eos eripuit, unquam denuo deglutiantur?

ad rectum beneficii usum.

XLI. Faxit duntaxat Jehova, ne tanta gratia immerentibus oblata sit, neve securitatem, nec inanem gloriationem, sed sanctum timorem, & anxium studium in singulis excitet, de beneficio illo reapse participandi, atque eo rite utendi! Rom. XI, 20-22. Atque ea fini sollicite inquirendum, quem effectum prædicatio Evangelii inter gentes in animabus nostris habuerit? Eodem enim modo, quo Salvator noster gentilismum devicit, de cordibus singulis, quæ suo imperio subjicit, triumphat. Eædem virtutes cœlestis nostri *Herois* heic exseri debent: iidem radii *majestatis* ad illuminandos mentis oculos, ad conscientiam terrore perstringendam: eadem *fortitudo* ad cor refractarium cogendum in funes amores. Nec aliis utitur mediis atque instrumentis. *Verbum veritatis* a Spiritu animatum heic quoque ejus *gladius*, *currus*, *sagitta* est. Ita cor sensu miseriæ suæ dilaceratur, effugia omnia proteruntur, minis, promissionibus, adhortamentis externis internisque tanquam grandine sagittarum anima obruitur. Effectum autem diversum etiamnum hæc pugna habet. Sunt, qui nihilominus resistere pergunt, sed magno suo malo. Quibus vero hæc victoria salutaris est, illi *ante pedes* victoris *procidunt*, honorem ei debitum præstant, ejus fidei se totos dedunt, ejus gloriæ se in æternum consecrant.

Sicut Christus egit cum gentibus, ita agit cum singulis animabus, quas in fœdus suum cogit.

Infelicitas eorum describitur, qui hostes Christi esse pergunt.

XLII. Infelices animas, quæ etiam post auditum & intellectum verbum veritatis *hostes* Regis Messiæ esse pergunt! *Hostem* illius si dixeris, qui omnis salutis unica scaturigo est, omnium miseriarum cumulum dixeris. Sed in hostico persistere, ubi pax offertur, istud longe miserius. Utinam id perpenderent, qui in plena luce Evangelii ut filii tenebrarum

ambulant. Hic ipſe enim eorum ſtatus eſt. Omnia beneficia per Chriſtum parta eis proponuntur, virtutes ejus deſcribuntur, ad unicum animarum Paſtorem invitantur. Et tamen pergunt *Regis hoſtes* eſſe. Nam φρόνημα τῆς σαρκὸς *eſt inimicitia contra Deum* Rom. VIII, 7. Oderunt imperatorias ejus virtutes, oderunt operationes Spiritus ejus, eisque obviam eunt, oderunt omnes, qui in caſtra Regis transfugerunt. Ah quomodo effugient, ΤΗΛΙΚΑΥΤΗΣ ΣΩΤΗΡΙΑΣ ἀμελήσαντες; Hebr. II, 3. Obſtacula ſucceſſui regni Chriſti fruſtra ponent, ipſi vero proterentur. Dum *ſagittas verbi* eluſerunt, *ſagittis judiciorum* ejus transfigentur, nec impune illis erit, *Regum Regi* præfracte reſtitiſſe, majeſtatem cœleſtem violaſſe, *dextram* omnipotentem contemſiſſe.

Felicitas eorum opponitur, qui victas manus Chriſto dederunt.

XLIII. Sed terque quaterque beatos, qui victas dedere manus! *Manſuetudinem* victoris jam experti ſunt, & experientur amplius, quia facilior eſt ad remittendum peccata, quam illi ad deprecandum. Et quamvis, ex quo ſub vexillo Meſſiæ congregati & adſcripti ſunt, alios quoque *hoſtes* internos & externos numero viribusque pollentes in ſe ſuſcitaverint, eadem tamen *dextra*, quæ eos in poteſtatem redegit, ſuos etiam defendet. Chriſtus in illis vincet, & illi in Chriſto. Vincet in illis, quicquid a peccati & carnis priſtino dominio reſiduum eſt. *Deus pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris cito.* Rom. XVI, 20. Et viciſſim in Chriſto triumphabunt. Hinc gloriantur: *in omnibus* ΥΠΕΡΝΙΚΩΜΕΝ *per & propter eum, qui nos amavit* Rom. VIII, 37. Unde habitu triumphantium, coronis, palmarum ramis, ſtolis albis induti in cœleſtem gloriam introducuntur, Apoc. VII, 9. 10. clamantes voce magna; SALUS DEO NOSTRO, QUI IN THRONO SEDET, ET AGNO.

EXER-

Landesbibliothek Oldenburg

EXERCITATIO SEXTA
DE
MESSIÆ DEI A DEO UNCTI REGIO SPLENDORE.

1. *Majestatis regiæ & divinæ conjunctio : in Messia conspicua.* 2. *Novæ pericopæ analysis.* 3. *Nomen* אלהים *in omni emphasi Messiæ convenit.* 4. Thronus *regiæ majestatis insigne.* Thronus *Dei.* Thronus *Messiæ* Ecclesia. 5. *Parallelismus* throni & Ecclesiæ. 6. *Quomodo Thronus Messiæ approprietur ?* 7. 8. 9. Æternitas *hujus throni.* 10. 11. *Messiæ* regnum *est Oeconomia N. T.* 12. *De* sceptris *varia.* Sceptrum Messiæ *metonymice est ejus* regimen & judicialis potestas. 13. *Metaphorice vero ejus* sermo & potentia. 14. *Sceptrum* rectitudinis. *Allusum ad figuram sceptrorum erectam & æqualem. Designatur* justitia. 15-20. Amor justitiæ & odium impietatis *officium Regum in Messia conspicuum.* 25. *Regum electio & designatio antiquitus a Deo facta in typum Messiæ a Patre ungendi.* 22. *Nomen* Elohim *cur bis conjungatur ?* 23. *Quomodo Pater* Deus Messiæ ? 24. De unctione *Messiæ in regnum, unctionibus Regum Israelis adumbrata.* 25. 26. 27. *Latius* de oleo *differitur, ut symbolo* Spiritus Sancti. 28. *Oleum* lætitiæ, *dicitur, ut lætificantia ejus effecta exprimantur.* 29. *Oleum hoc Spiritus in singulis gradibus unctionis Messiæ adfuit.* 30. Consortum *Messiæ catalogus.* 31. *Ejus* supra illos *in unctionis mensura præcellentia.* 32. *Nexus docet unctionem Messiæ fontem esse omnis excellentiæ Regni ejus.* 33. *Vis argumenti indicatur.* 34. *Implementum additur.* 35-38. *Omnia breviter ad praxin transferuntur.*

I.

SUpremum inter res humanas fastigium est *Regalis Majestas.* Unde ab omni antiquitate augustum aliquid, quod sortem humanam superet, eam sub se continere creditum est. Apud moratiores diu verecundia quædam restitisse videtur quo minus *Regium* titulum sibi arriperent, donec eam ambitio

Artissima semper inter divinam & regiam majestatem communio credita est.

bitio penitus exuit. Videri poſſunt, quæ in hanc rem excerpſit *Alex. ab Alexandro* Dier. Genial. lib. IV, 23. Poſteaquam vero apex hic honoris a mortalibus occupatus eſt, arctiſſimam inter majeſtatem divinam & regiam eſſe aut communionem, aut ſaltem ſimilitudinem, perſuaſiſſimum fuit. Hinc illud *Callimachi* in Jovem v. 79. 80. οὐδὲν ἀνάκτων θειότερον i. *nihil divinius eſt Regibus.* Quo pacto contigit, ut apud ethnicos Regum & Deorum tituli ſæpe jungerentur, atque inter ſe commiſcerentur. Jupiter Βασιλέως nomine cum apud Bæotos & alibi, tum Athenis dictus & cultus eſt. Unde apud *Æſchylum* non ſemel invocatur: Ὦ ζεῦ βασιλεῦ. Perſ. v. 532. & Agam. v. 363. apud *Sophoclem* Oedip. Tyr. v. 424. παντ' ἀνάσσων. Et apud *Callimachum* l. cit. v. 2. dicitur αἰὲν ἄναξ i. *Rex æternus.* Adde *Spanhemium* in Ariſtoph. Plutum v. 1096. Apud Palmyrenos colebatur Μαλαχβήλ, de quo *Triſtanus* Comment. Hiſt. T. I. p. 502. ſq. *Sponius* Miſcellan. lib. I. c. 1. *Hyde* de relig. Perſar. c. 4. p. m. 116. 117. Generatim Dii omnes *Reges* dicebantur. *Theocritus* Hercule Leonicipa:

Hinc Deos appellarunt Reges,

Ὦ πόποι, οἷον ἔτι θεοὶ ποίησαν ἄνακτες
Θηλύν, ἀνδρώποισι μετέμμεναι - -

Et fors origo hujus perſuaſionis inde fuit, quia antiquiſſimum in Eccleſia regimen Theocratia fuit, non tantum ſub œconomia legis, ſed etiam promiſſionis, uti recte notat Cl. *Hulſius* de prærog. V. T. Diſſ. I. §. 40. Ab altera parte *Reges Deorum* cultum nomenque uſurparunt. Præcipue in Oriente. Hinc Artabanus apud *Plutarchum* in Themiſtocle: Ἡμῖν δὴ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστόν ἐστι, τὸ τιμᾶν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ. i. *Nobis inter multas & bonas leges hæc præcipua eſt, honorem Regi exhibendum, eumque ut imaginem Dei honorandum eſſe.* In quam rem plura excerpſerunt *Briſſonius* de regno Perſico lib. I. *Saldenus* Ot. Theol. lib. III. Exercit. 3 §. 4. Ægyptiorum quoque *Reges* θεοὶ dicti, & cum additamentis θεοὶ ἀδελφοὶ, θεοὶ σωτῆρες, uti ex nummis præcipue Ptolomæorum

& Reges Deos.

rum Nummographi obſervarunt. *Reges* antiquitus *Joves* dictos *Tzetzes* teſtatur Chil. I. Hiſt. 9. Et nihil conſuetius in nummis, quam Reges & Imperatores, ſub ſchemate Divinitatis cujusdam repræſentari: quod ex oriente Græci & inde Romani mutuati ſunt, docente *Triſtano* Comm. Hiſt. T. II. p. 107. *Scaccho* Myroth. II c. 50. Sed longe potiori jure utramque & divinam & regiam majeſtatem ſoli *Regi ſeculorum immortali*, Meſſiæ tribuit Pſaltes noſter. Deſcripſerat eum, ut *pulcherrimum inter filios hominum*: Idque probatum dedit in comparatione cum *Doctoribus*, inter quos facundiſſimus, & cum *Heroibus*, inter quos fortiſſimus & feliciſſimus eſt. Nunc ad id, quod inter humana ſummum eſt, ad culmen *Regium* progreditur, oſtendens, quantis paſſibus iſtud quoque Meſſias poſt ſe relinquat. Nexus eſt aptiſſimus. Fructus enim victoriarum ſuarum eſt *regnum*, quod in eos gerit, quos armis ſpiritualibus ſibi ſubjecit. *Vere hæc conjunctio in Meſſia locum habet*

II. Ut autem hanc ejus eminentiam eo accuratius cognoſcamus, notandus eſt ordo, quem Vates obſervat. *Regis* Meſſiæ ſuper omnes Reges mundanos prærogativa demonſtratur *Analyſis pericopæ datur.*

aa. ex nova compellatione: *Elohim*, *Elohim* v. 7. & 8.
bb. ex duobus ſingularibus attributis regni ejus.
αα. Primum attributum eſt ejus æternitas. Ubi
אא. Subjectum: *Solium tuum*
בב. Prædicatum: *eſt in ſeculum & ultra.*
ββ. Alterum attributum eſt ſanctitas, quæ invenitur
אא. in adminiſtratione regni, quod
† depingitur ſub ſymbolo ſceptri: *ſceptrum regni tui*
†† laudatur quia *eſt ſceptrum rectitudinis* v. 7.
בב. in perſona Regis: ita ut
† perfecta juſtitia ei adſcribatur: *Amas juſtitiam*
†† con-

†† contraria imperfectio de eo negetur : *Et odiſti impietatem.*

cc. ex regni ejus illuſtribus auſpiciis, quorum deſcribitur

αα. author : *Deus tuus.*

ββ. collatio : *unxit te.*

γγ. excellentia duplex

אא. ſive auſpiciorum naturam in ſe ſpectes : *Oleo lætitiæ.*

בב. ſive conferas cum aliis : *præ conſortibus tuis.*

δδ. nexus cum deſcripta jam in præcedentibus ipſa regni gloria : *propterea quod* v. 8.

Nomen אלהים *Meſſiæ a Pſalte davi fruſtra negatur a Judæis,*

III. De nomine divino אלהים, ejusque ſignificatione, quantum ſatis videbatur, dictum eſt Exercit. IV. §. 8. Sed an heic, ut compellatio Meſſiæ, ſit conſiderandum, non tantum inter Judæos, ſed etiam quosdam Chriſtianos interpretes, quos minime decebat, controvertitur. Et Judæorum quidem effugiis affatim reſponſum eſt a *Mullero* Judaismi p. 66. *Hakſpanio* Not. Philolog. parte II p. 198. ſeq. *Gouſſeto* in confutatione Chizzuk Emuna R. Iſaaci p. 451. 452. Certe deſperatio cauſſæ eos cogit relinquere veſtigia Patrum ſuorum. Recte enim ſententiam Spiritus Sancti *Chaldæus Paraphraſtes* exprimit : כורסי יקרך יי קים עלמי עלמין i. *thronus gloriæ tuæ, Jehova, ſtat in ſecula ſeculorum:* Niſi mavelis cum *Altingio* vertere : *ſolium decoris tui Dominus ſtabilivit in ſecula ſeculorum* : qui tamen alium codicem citat, in quo habetur כורסיך אלהא בשמיא לעלמי עלמין i. *ſolium tuum, Deus, in cœlis eſt in ſecula ſeculorum. Chaldæo* ſuccenturiatur *Aquila* ; ὁ θρόνος σου, θεὲ, εἰς αἰῶνα καὶ ἔτι. Nec minus *Symmachus* & οἱ ὁ, licet pro vocativo nominativum adhibeant, ὁ θεὸς. Hanc enim caſus enallagen & Græcis ſcriptoribus & Helleniſtis familiarem eſſe, docuerunt abunde *Huetius* Demonſtr. Evang. Propos. VII. §. 14. *Wittichius* ad Heb. cap. 1. 8. Minus tolerandum

dum Christianos interpretes hic fluctuare, *Erasmum*, *Grotiumque*, quibus non mirum est lubenter accedere *Enjedinum*. Volunt enim hunc sensum esse posse: *ipse Deus tibi est thronus in seculum.* Insuetum enim hoc est prorsus emblema in sacris. Et Messias cum Deo Patre in throno sedet. Cur autem nomen *Elohim* heic Messiæ denegaremus, qui sæpissime in sacris eo honoratur? Inspiciantur tantum & perpendantur absque præjudicio loca Ps. XLVII, 6. L, 1. coll. Hebr. XII, 25. Ps. LXVIII, 5. 8. 9. 10. coll. 19. Ps LXXX, 4. coll. 1. LXXXII, 1. LXXXIV, 4 coll. 10. LXXXIX, 9. XCV, 7. coll. Hebr. III, 7. Jes. XLIII, 3, XLIV, 6. collat. Apoc. I, 11. Jes. XLV, 21. XLVIII, 17. Hos. I, 7. Joel. II, 26. &c. Ubi constanter Messias ut אלהים introducitur.

& quibusdam Christianis.

Messias sæpe Elohim dicitur

Sed alia contentionis serra cum iis inter Socinianos trahenda, qui negare non audent, nomen hoc divinum Messiæ tribui, sed vim ejus enervant, dum sensu metaphorico ei tribui putant, quali aliquando Angelis & Magistratibus terrenis tribui existimatur. Et nollem his nimium concedi ab iis, qui ipsum Salomonem typice אלהים vocari existimant. *Bucerus: Potuit igitur & Shlomoh vocari populi Israelitici Deus, cujus erat Princeps.* Et paulo post: *Hancque appellationem eatenus Salomoni communicatam, quatenus Christi typum in se, admiranda sua sapientia, potentia, & felicitate prætulit, agnoscimus.* Nequicquam hoc dicitur, quamdiu exemplum dari nequit, in quo Sancti compellantes illustres Viros, iis unquam nomen sive *Elohim*, sive quodcunque aliud divinum dederint. Et quomodo hoc posito Antitrinitarii persuaderi possent, sive locum in Salomone impletum necessario ad Messiam transferendum esse, sive in illa translatione phrasin illam sensu proprio accipiendam, cum sensus metaphoricus concessus jam sit in literali exegesi, non video. Felicius nervos errori incidit Eruditissimus *Gousset* in doctissima de nomine אלהים dissertatione, quam Lexico suo inseruit, ex qua constat, adhuc μέγα λίαν ἄτημα esse, an unquam creaturæ istud commu-

Refutantur & ii, qui sensu metaphorico hoc nomen heic sumi debere autumant.

nicatum ſit? Sed ſimus faciles, & concedamus in tantum, metaphoricum nominis hujus uſum Scriptoribus ſacris non prorſus inſuetum eſſe. Locum tamen hæc interpretatio habere nequit, quando Meſſias *Elohim* appellatur. Argumenta, quibus id evincimus, conlegit Celeberr. *Wayenus* in ſumma Theolog. cap. II. §. 27. ubi ait "Neque vox *Elohim* Chriſto "tenuiori & minus emphatica ſignificatione unquam tribui- "tur quam Patri. Quod patet ſi conſideremus 1. ſine ulla "limitatione Chriſto tribui 2. a creaturis eum directe & ab- "ſolute ita compellari: quod Moſi a Pharaone, nec ulli di- "ctitio Deo unquam factum legimus. 3. Pater & Filius jun- "ctim ſubinde dicuntur *verus Deus*. 4. Filius ſic appellatur "cum hypotheſi unitatis Patris & Filii. 5. ὁ Θεὸς, *Deus ille*, di- "citur. 6. Imo *Deus* dicitur contradiſtincte ad omnes Deos "dictitios. Joh. X, 35. 1. Cor. VIII, 5. 7. *Deus* appellatur in re- "gno Dei, poſt abrogatam omnem, ut ita loquar, *Deitatem* "*dictitiam*, vindicatamque ab omni ſubjectione ſub Diis di- "ctitiis Eccleſiam. 8. Significatus vocis *Elohim* & Θεὸς non con- "venit Chriſto niſi proprie & emphatice: quippe is juſtitia, "gloria, ſalus, vita, & omnia peccatori, quæ Deus ſolus eſ- "ſe peccatori & fieri ipſe poteſt, & ipſum ſe futurum pro- "miſerat. 9. Quin & iſta denominatione decoratur jam du- "dum antequam, juxta Socinum, ad eum ſtatum perveniſ- "ſet, in quo potiſſimum *Deus* dici, ex ipſius ſenſu meretur. Hactenus *Wayenus*, quem eo lubentius exſcribo, quia inter rationes ſuas quinque priores, æque ac ſeptima ex noſtro loco illuſtrari & roborari poſſunt. Quin & octava, quia ſtatim adduntur talia prædicata, quæ in ſolum Deum quadrant, *æternitas* regni & *ſanctitas* perfectiſſima. Immo ſexta etiam, quia *ſuper ſodales ſuos*, inter quos Dii dictitii numerari debent, evehitur. Ut prætereamus *Paraphraſtem Chaldaicum* per *Jehova* reddere. Certum ergo manet, quando Meſſias *Elohim* dicitur, eum pro uno & vero Deo agnoſci.

Argumenta a Wayeno cumulata feliciter hic applicari poſſunt, ut probetur Meſſiam in ſumma emphaſi Elohim dici.

Et

Et singularem in Messia emphasin habet cum respectu ad œconomiam salutis. 1) Designare *Deum*, quatenus objectum *cultus* est, ex radice Arabica supra docuimus. Proximum autem objectum *cultus* a peccatore in hac vita Deo exhibendi Filius est, (uti ex ipso primo præcepto Decalogi alio loco doceo), typice quidem inter Israelem carnalem, sed antitypice in diebus N. T. Ex multis hoc Prophetarum locis constat iis, qui spiritualem θέλησιν in scriptis Propheticis habent. Inspiciantur tantum Psal. II, 11. 12. XXII, 31. LXXII, 11. XCV, 6. 7. Jes. XLV, 23. 2) Trinitatem personarum innuere *pluralitatem* hujus nominis statuimus. Et jure merito hæc *pluralitas* servatur in singulari Messiæ persona, *tum* quia mysterium SS. Triados per eum clarissime revelandum; *tum* quia thesauri omnisufficientiæ totius Trinitatis in eum congerendi; *tum* quia in ejus facie ob personalem unionem universa Trinitas honoranda; *tum* quia, quamvis separata opera habeat educenda, constanter tamen quoad essentiam cum reliquis personis τὸ ἓν Deitatis constituit. Ex quo fundamento ei etiam plurale nomen חכמות Prov. IX, 1. id est *Sapientiarum* datum est.

Cum speciali emphasi hoc nomen Messiæ in Oeconomia gratiæ latum.

Nec sine ratione bis repetitur, *sive* ut intendatur emphasis, *sive* ut duplex demonstratio divinæ majestatis ejus innuatur, quarum altera ante unctionem ejus per Spiritum in V. T. altera post illam in N. T. facta est. Atque ita ratione prioris demonstrationis etiam ultimum *Wayeni* nostri argumentum hic locum haberet.

quæ per repetitionem augetur.

Nil amplius in hac compellatione lectorem remoraturum puto, quam, cur in descriptione regni ejus magis *Deus*, quam *Rex* compelletur? Istud quoque sapientissime factum credimus. Si pessimo ausu inter ethnicos jura Divinæ atque humanæ majestatis permixta sunt, uti in introitu dicere occupavimus, extra controversiam hæc *Regis* Sionis prærogativa est, ut simul divina gloria splendeat. Nihil magis curæ erat olim Israeli in eligendo Rege, quam ut talem sortirentur,

Nec frustra hæc compellatio ad eum si qui Ecclesiæ Rex est, ut Theocratia ejus innuatur.

qui ſplendidis eſſet natalibus. Utinam ergo non dedignarentur illum agnoſcere, qui divinæ originis, qui ipſe Deus eſt. Hoc Theocratia Iſraelis olim præfiguraverat. Et nullum officium Mediatoris noſtri clarius *Deitatem* ejus revelavit, quam regium. Regnum enim tam ſublime, tam late patens, tam conſtans, in quo tam feroces hoſtes frangendi, in quo tanta potentia demonſtranda, tanta omniſufficientia, tam provida circa omnia cura exhibenda, tam divinis honoribus Rex ipſe colendus erat, a nemine poterat adminiſtrari, niſi qui divinis virtutibus præpollebat. Unde frequens in ſacris eſt, Meſſiam uno halitu ſimul ut *Deum*, & ſimul ut *Regem* introducere. Inſpice ſodes Pſal. XLVII, 7. 8. LXXXIV, 4. XCV, 3. Jes. LII, 7.

Thronus ad Regum inſignia pertinet.

IV. Et quanto jure ſubditi hujus Regis divinum ei honorem exhibeant, ex divinis attributis Regni ejus eluceſcit. Primum eſt *æternitas* THRONI ejus. *Thronorum* ſeu ſellarum Regiarum, in quibus ſatellitio ſuo cincti Reges ſublimes ſedebant, *ſive* majeſtatem oſtendentes, *ſive* jus dicentes populo, *ſive* oratores & legatos audientes, *ſive* ferentes leges, antiquiſſimus uſus fuit. De *throno* Pharaonis legitur Gen. XL, 41. *Thronus* Salomonis magnificentiſſimus deſcribitur 1. Reg. X. 2. Chron. IX. Achabus, Joſaphatus, Ahasverus inſident *thronis* ſuis 1. Reg. XX, 10. Eſth. V, 1. Qui de eorum inter alias gentes uſu plura deſiderat, adeat *Caſaubonum* ad Sueton. Cæſar. c. 76. *Briſſonium* de regno Perſico lib. I. *Beckmannum* Syntagm. dignitatum Diſſert. VII. c. 2. *Scacchum* Arcanorum Sacræ Script. Myrothec. III. c. 65. Habet quoque Deus hieroglyphice *thronum* ſuum, ad deſignandum ejus regnum, quod tam late patet, quam patet mundus. Ita Dominum *in throno ſedentem* conſpexit Michas 1. Reg. XXII. 19. Hoc ſenſu explicatur *thronus Dei* in gemma Arabica, quam illuſtrat ſeculi noſtri ſingulare decus *Relandus* diſſert. Miſcell. 13. p. 236. *Thronus ejus tam late patet, quam cœli & terra, quorum omnium conſervatio nequaquam ipſi eſt oneri.* Recte *Cyrillus* lib.

Hieroglyphice Deo thronus adſcribitur.

lib. II. adv. Julianum p. 70. Θρόνος εἰ λέγοιτο Θεοῦ, τὴν ὑπ' αὐτῷ βασιλείαν καταση μαίνοι ἄν i. *Quando thronus Dei dicitur, ei ſubjectum denotat regnum.* Plura notavit *Suicerus* in voce Θρόνος. Et ſpeciatim illa loca, in quibus, & illæ res circa quas Regiam poteſtatem ſuam exercet, ſunt Dei *Thronus.* Unde non male *Maimonides* More Nevochim Part. I. cap. 9. כל מקום נשאו האלהים ויהי באורו וזהרו כמקדש או שמים נקרא כפא i. *omnis locus, quem Deus ad manifeſtationem ſplendoris & gloriæ ſuæ deſtinavit, ut cœlum vel ſanctuarium, vocatur ſolium.* Quamvis ſibi non ſatis conſtet, & in ſequentibus *ipſam Dei potentiam & robur & magnificentiam* per *thronum* quoque deſignari putet. In quo quidem cum multis aliis Interpretibus ei convenit, minus tamen σωαφὲς allegoriæ obſervat, ſecundum quam non *thronus*, ſed *ſeſſio in throno* majeſtatem & gloriam Regis, *thronus* vero ipſe præciſe ſubjectum illud exprimit, in quod imperium exercetur. Peccat quoque in eo, quod tantum de regno naturæ cogitet in explicatione locorum, quæ ad regnum gratiæ reſpectum habent. In regno enim gratiæ frequentiſſime Scriptura Deo *thronum* adſignat, & quidem non Patri tantum Dan. VII, 9. Apoc. IV, 2. ſed etiam Filio, qui interdum ut σύνθρονος Patris, interdum ut ſeparatim in *throno* conſidens introducitur. Poſtremum heic locum habet. Et ita quoque Exod. XVII, 16. Jes. VI, 1. XVI, 5. Pſal. LXXXIX, 15. XCVII, 2. quæ loca de *throno* Meſſiæ agunt. Quidam metonymice dictionem interpretantur, & regiam dignitatem Meſſiæ exprimi putant, cujus *thronus* ſplendidiſſimum inſigne eſt. Hinc *ſolium* pro regno apud *Claudianum* 4. conſul. Honor. v. 214.

Maimonides corrigitur.

Symbolum throni ad regnum gratiæ præcipue ſpectat.

Meſſiæ thronus adſcribitur, qui non tantum metonymice regnum ejus,

Si tibi Parthorum ſolium fortuna dediſſet.

Et apud *Virgilium* Æn. XI. ſella:

Et ſellam, regni, trabeamque, inſignia noſtri.

Ita ſumendum, quando *thronus Davidis* Meſſiæ attribuitur 2. Sam. VII, 12. deſignans regnum Davidis tum proprium tum

sed etiam metaphorice Ecclesiam adumbrat.

mysticum. Non tamen satis sic exhauritur sapientia Spiritus. Præferimus ergo sensum metaphoricum, & ipsam Ecclesiam, ipsum illud subjectum, in quod imperat Messias, per *solium* ejus intelligimus. Apud *Jamblichum* de Myster. lib. III. c. 11. anima consideratur ut *sella Dei* in eam operantis: ἐξ ὧν δὴ εἰς καθαρὸν ἕδρας τῆς ἑαυτῆς ψυχῆς ἐκλάμψασαν ἔχει τὴν τοῦ θεοῦ ἵππιον i. *Et per hæc quidem puram animæ suæ sellam divinæ substernit inspirationi effulgenti.* Sed hic per *thronum* Messiæ omnium animarum electarum complexus sive *Ecclesia* designatur. Facile id patebit ex συγκειται. *Thronus* Christi typicus erat inter Cherubinos super propitiatorio. Clare eo alluditur Psal. LXXX, 1. Jerem. XVII, 12. Erant autem Cherubini universæ Ecclesiæ symbolum. Disertius Jer. III, 17. *Tempore ille vocabitur Hierosolyma solium Jehovæ & recta confluent eo omnes gentes ad nomen Jehovæ.* Ubi Solymas cœlestes innui nexus abunde ostendit. *Thronus* Salomonis, (in quo R. *Bechai* aliquid tam illustre offendit, ut cum כסא ה׳ *throno divino* conferat in Legem fol. III. col. 2. citante *Carpzovio* ad *Schikardi* Mischpath Hammelech p. 244.) ejusdem Ecclesiæ naturam, attributa, vicissitudines vividissime depingit. Nec alio respicit *thronus Sapphirinus super expansum, cui species hominis* (repræsentans Messiam) *superne insidet* Ezech. I, 26. Addo Jes. LXVI, 1. ubi *cœlum thronus* ejus appellatur.

Jes LXVI 1. explicatur, & indicatur, quomodo cœlum Ecclesiæ symbolum sit.

Cœlum enim, de quo heic & alias sæpissime mentio fit, non est cœlum aliquod empyræum trans omnes astrorum vortices evectum. Ecquis nobis talem aliquam fixam beatorum sedem, vel ex natura, vel ex Scriptura demonstrabit? Aut si esset, quod tamen absque evidenti aliqua revelatione non supponendum esset, quis ejus ambitu majestatem divinam terminabit? *Cœlum* mysticum Ecclesia est, ejusque non tam locus, quam status sublimis exprimitur, etiam in illis Scripturæ phrasibus, quæ communiter solent de certa quadam sede beatorum adhiberi: quam hypothesin alii loco examinandam reservo. Quando ergo *cœlum thronum* Dei Propheta nomi-

nominat, Ecclesiam intelligit. Si quis tamen hoc censeat esse παραδοξώτερον, illi notasse sufficiet, sicut Ecclesiæ duo diversi gradus sunt, secundum quos sive ut militans, sive ut triumphans consideratur, ita metaphoram *cœli* proprie aut ad statum triumphantis Ecclesiæ, aut talis, quæ ad triumphantem proxime accedit, respicere. Atque ea propter *thronus* Messiæ etiam sub tali schemate comprehendendus est, ut quidem universus ad universam Ecclesiam, sed tamen in partibus ad partes ejus referatur. Præeunte enim Propheta superior pars *throni* Christi hic *cœlum* seu Ecclesiam triumphantem, *scabellum* vero, quod gradus suos habet, instar throni Salomonis, per quos in illum locum adscenditur, qui proprie sedi destinatus est, *terram* seu Ecclesiam militantem per gradus progredientem depingit. In medio *throni* sedes est, quia utrique parti Christus imperat, eamque in se unit. Denique etiam conferri posset sella portatilis mystici Salomonis Cant. III, 9. 10. cujus periphrasis in §. sequenti quodammodo illustrabitur.

Partes throni cum partibus Ecclesiæ conferuntur a Propheta.

V. Sed videamus propius, quam concinne *thronus* talis emblema Ecclesiæ gerat 1) *Thronus* est sedes elevata super alias. *Virgilius* Æn. I.

\- - *Solioque alte subnixa resedit.*

Sublimis solio est apud *Ovidium* Met. XIV. 261. Ita Ecclesia super alia regna mundi est evecta Jes. II, 2. *unde solium excelsum* Jes. VI, 1. 2) Frequentissima *thronorum* materies argentum, aurum, ebur, purpura fuit. Exempli loco est thronus Salomonis 1. Reg. X, 18. & lectica ejus hieroglyphica *argenteas* habens *columnas*, *purpureumque sedile*. Quin & ex *lignis Libani* constructa Cant. I. cit. De aureis & argenteis soliis *Brissonius* l. supra cit. p. 102. 103. *Pineda* de rebus Salom. lib. VI. c. 8. Et *eburneæ sellæ* apud Romanos honoratissimæ, quod ab Hetruscis acceptum, qui inter insignia Regia etiam *sellam eburneam* numerabant, notante *Dionysio Halicarnasseo* lib. 3.

Analogia inter thronum & Ecclesiam varia indicatur: 1) quia est sedes elevata. 2) quia materies throni argentum, aurum, ebur, purpura, ligna pretiosa.

De

De tali ſella, quæ alias *curulis*, conferri poſſunt *Briſſonius* Select. Antiq. lll, 15. J. C. *Bulengerus* Imper. Roman. l. 24. lll. 3. *Wolfg. Lazius* comment. de Rep. Rom. lib. ll. *Argolus* ad Panvinium de ludis Circens. II, 2. *Faber* Semeſtrium pag. 175. ſeq. & ex profeſſo *Schefferus* de re vehic. ll, 16. Aureos quoque & eburneos *thronos* jungit *Appianus Alexandrinus* lib. ll. belli civilis, ubi de honoribus Cæſaris: ἀνερρήθη τ', καὶ πατὴρ πατρίδος, καὶ δικτάτωρ ἐς τὸν ἑαυτοῦ βίον ἀρέθη, καὶ ὕπατος ἐς δέκα ἔτη, καὶ τὸ σῶμα ἱερὸς, καὶ ἄσυλος εἶναι, καὶ χρηματίζων ἐπὶ θρόνων ἐλεφαντίνων τε καὶ χρυσέων i *Appellatus eſt & Pater Patriæ, & Dictator in omnem vitam electus, Conſulque ad decennium, corpus ejus ſacrum & intemeratum habitum, jus in aureis thronis & eburneis dicebat.* Denique purpura quoque in thronorum ornamentis, Achillis apud *Homerum*: nec non Parthorum Regum apud *Athenæum* Deipnoſoph. lib. Xll. c. 2. ὁ τ' θρόνος, ἐφ' ᾧ ἐχρημάτιστ καθήμενος, χρυσοῦς ἦν, ὃν περιεστήκεισαν τέσσαρες κιονίσκοι λιθοκόλλητοι χρυσοῖ, ἐφ' ὧν διεπέτατο ἱμάτιον ποικίλον πορφυροῦν i. *Thronus autem, ſuper quo judicabat ſedens, aureus erat: quem circumambiebant quatuor aureæ columellæ gemmis diſtinctæ, ſuper quem extendunt veſtimentum varium purpureum.* Nec *ligna* prorſus defuere, præſertim in antiquitate ſimpliciori, ubi *ligna acerna* erant ſoliorum materies apud *Virgilium* Æn. Vlll. 177. & *Ovidium* Faſtor. lll. 359. Hæc omnia myſtice in Eccleſia reperiuntur. Pretioſum eſt Regi ſuo κειμήλιον, ornata *auro* fidei, *argento* ſive veritatis, ſive juſtitiæ, *ebore* ſanctitatis, *purpura* ſanguinis Chriſti & proprii martyrii. *Lignum* quoque *Libani* ſeu cedrinum hic ſuam emphaſin habet, ut lignum oleoſum & quod cariem non ſentit, unctionis ſpiritus divitem menſuram & conſtantiam adumbrans, quæ virtutes omnes in ſingulis membris Eccleſiam conſtituentibus deprehenduntur. 3) *Thronus* Regius ſingularem habet ſanctitatem, Regique privus eſt. Gen. XLl, 40. Hinc inter 30 מעלות vel *prærogativas* Regis Judæi hanc quoque memorant, quod *nemo ſella ejus ſedet.* R. Bechai parſ. Schoph. אין רוכבין על סוסו ואין יושבין על כסאו i. *Non inequitant ejus*

3) *quia thronorum ſingularis ſemper fuit ſanctitas.*

ejus caballo, neque sedent in throno ejus. V. *Sckikardum* l. cit. p. 237. *Carpzovium* in notis ad h. l. Capital inde fuisse apud Persas sellæ Regis insidere probat *Brissonius* de regno Pers. I. §. 30. Quod dein etiam ad Imperatores Romanos transiit. Unde *Ælius Spartianus* narrat, Servianum jussu Adriani interfectum, *quod in sedili Regio juxta lectum posito sedisset* Adr. c. 23. Ecclesia nullum alium insessorem patitur, quam Regem Messiam. Hic *unicus* ei *Pastor* Ezech. XXXIV. 23. & *Rex* Zach. XIV. 9. Hinc exsecrabile ei sacrilegium est facinus Antichristi *thronum* Christi, quatenus ejus Pseudovicarius est, occupantis Jes. XIV. 13. 2. Th. II. 4. 4) Partes quoque singulæ throni Messiæ symbolicum sensum in Scriptura habent: ad quem §. præcedenti jam viam stravimus. Superior pars, quæ umbraculi instar erat, Ecclesiam triumphantem, inferior seu *scabellum* militantem, *sedile medium* id, quo Ecclesiæ partes cohærent, idemque quod olim propitiatorium, justitiam Christi exprimit. In thronis hieroglyphicis, quos citavimus, comparent quoque *fulcra columellæ*, *pavimentum*, *gradus*. Habet & Ecclesia sua *fulcra*, consilium pacis, potentiamque & fidelitatem Regis sui: *suas columnas* veritates Evangelicas, hinc & hinc per Prophetas & Apostolos publicatas: quibus *justitia & judicium* revelantur, quæ sunt *fulcra* throni Messiæ Ps. LXXXIX. 15. XCVII. 2. sum interius *pavimentum*, corda fidelium, & exterius, quod *mari crystallino & operi lateritio sapphirino* simile Exod. XXIV. 10. Ez. I. 22. Apoc. IV. 6. Testamentum æternum, immobile, clarum, gloriam Dei & decentiam revelans, adumbrat. *Gradus* designant progressus Messiæ, quibus se paullatim altiorem in Ecclesia conspiciendum dedit. Et recte sex gradus *throni Salomonæi* totidem vicissitudines temporum adumbrant, quibus Messias ad occupandam quietem ultimi temporis pergit. Utrimque in gradibus *leones* duos testes, duplicem ordinem Prophetarum & Apostolorum indicant, quorum verbo gressus Regis nostri muniti sunt, hostesque veritatis terrentur. 5) Sed præcipuam observationem *thronorum* usus meretur,

4) Partes throni, umbraculum, sedile, scabellum, fulcra, columnæ, gradus, pavimenta singula sunt mystica.

5) Usus thronorum

Landesbibliothek Oldenburg

in myſterio præcipue quadruplex numerandus:

qui fuit iis aut cum aliis ſellis communis, aut tanquam regiis ſellis privus. *Communis* ſellarum uſus eſt ad ſedendum. Seſſio quietis, ſecuritatis, durationis ſymbolum, quod nunc non perſequimur. Non contemnenda in hanc rem notavit *Pierius Valerianus* hieroglyphic. lib. XLIII. 1. ſeq. *Pearſon* in Symbol. p. m. 505. ſq. Et addi poſſent plura, niſi è nimia diffuſione tædium evitaremus. Ad peculiarem *thronorum* uſum magis intendendus oculus, qui quadruplex fuit. a) Splendorem Regiæ majeſtatis evehebant. Hinc in *ſoliis* collocati, qui regno inaugurabantur. 1. Reg. I. 35. Eſth. I. 2. Sic apud *Plutarchum* περὶ φιλαδελφ. Ariamenes fratrem Xerxem pro Rege declaratum adoravit, καὶ λαμβανόμενος τῆς δεξιᾶς, εἰς τὸν θρόνον ἐκάθισε τὸν βασίλειον i. & *prehenſa ejus dextra in thronum regium eum collocavit.* Utque adſpectus eo profundiorem venerationem incuteret, jam ab antiquo ſatellitio ſedentes circumdabantur. Sic Dido apud *Virgilium* Æn. I. *Septa armis.* *Ælianus* Var. Hiſt. lib. IX. c. 3: Εν μέσῃ δὲ τῇ σκηνῇ χρυσᾶς ἐτίθετο δίφρος, καὶ ἐπ' αὐτῷ καθήμενος Αλέξανδρος ἐχρημάτιζε, περιεστώτων αὐλῷ πάντοθεν τῶν σωματοφυλάκων i. *In medio tabernaculi aurea ſella ponebatur, & in ea ſedens Alexander cauſſas cognoſcebat, circumſtantibus ipſum undiquaque corporis cuſtodibus.* Eccleſia eſt theatrum gloriæ Meſſiæ. Jeſ. LX. 1. 2. In ea virtutes ejus conſpiciuntur. Pſ. LXV. 2. Ibi a ſatellitio ſanctorum cingitur. Pſ. LXXXIX. 8. Jeſ. VI. 2. 3. b) In *thronis* Reges jus dicebant, cauſſasque populi dijudicabant. Ex *Appiani*, *Athenæi* & *Æliani* citatis jam locis id patet. Addi poteſt *Athæneus* Deipnoſoph. XII. c. 9. De Alexandro: ἐν τῷ παραδείσῳ ἔκειτο αὐλῷ χρυσᾶς θρόνος, καὶ κλῖναι ἀργυρόποδες· ἐφ' ὧν καθεζόμενος ἐχρημάτιζε μετὰ τῶν ἑταίρων. i. *In horto ipſi ſtatutum fuit aureum ſolium, & lecti argenteis fulti pedibus, in quibus ſedens jus dicebat.* Et *Apollonius* Argonaut. lib. II.

a) quod majeſtas regia in iis oſtenderetur:

b) quod jus in iis diceretur:

Αυτὰρ ἐν ὑψίζῳ βασιλεὺς μόσσυνι θαάσσων
Ιθείας πολέεσσι δίκας λαοῖσι δικάζει.

i. *Sed rex in celſiſſimo throno conſidens multis populis æquum jus*

jus dijudicat. Messias similiter judicium in Ecclesia sua præsertim contra hostes exercet Jes. XXXIII. 22. Ps. LXXII. 1. Hinc Jes. XVI. 5. *Et constabilitus est in gratia thronus: & consedit super ipso in veritate in tentorio Davidis Judex, & curans judicium, & festinus justitia.* *Maximus Taurin.* de Pentecoste Homil. I. *Judex est Christus cum residet, Advocatus cum assurgit. Judex plane Judæis, Advocatus Christianis. Hic enim stans apud Patrem Christianorum licet peccantium causas exorat: ibi residet cum Patre Pharisæorum persequentium peccata condemnans. Illis indignans vehementer ulciscitur; his interveniens leniter miseretur. Hic stat ut suscipiat Stephani Martyris spiritum, ibi residet, ut condemnet Judæ proditoris admissum.* c) In *thronis* audiebantur Oratores & Legati. Sic Phraates Legatis missis ab Antonio ἐχρημάτισεν ἐπὶ τε χρυσῆ δίφρε καθήμενος. i. *sedens in throno aureo respondit*, secundum *Xiphilinum* August. fol. 184. Messias præsentiam in Ecclesia auditione & exauditione piarum precum manifestat. Ps. XXXIV. 16. LXV. 2. d) Denique in *thronis* sedentes Reges jussa dant, legesque sanciunt. Sic de Didone *Virgilius* Æn. I. quæ e solio suo

c) *quod Oratores in iis audirentur:*

d) *quod jussa in iis darentur, & leges sanciren-tur.*

Jura dabat, legesque viris, operumque laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.

Messias quoque Ecclesiæ suæ Legislator est: & in ea, superque eam imperium exercet. *Regnat Deus super gentes, Deus insidet solio sanctitatis suæ.* Ps. XLVII. 9. *Sessurus ac dominaturus in solio suo.* Zach. VI. 13.

VI. Varie autem consideratur hic *thronus* gratiæ, vel ut *thronus Patris*, quia ejus prima est in regno gratiæ gloria: vel ut *thronus Davidis*, quia illius regnum regni Messiæ typus fuit: vel ut *thronus Messiæ.* Atque ita heic *thronus* TUUS. Habet hæc confessio singularem emphasin. Abnegantur enim hoc pacto omnes *throni* in Ecclesia ante erecti & adhuc erigendi, qui huic *throno* Messiæ cedere suam gloriam, aut ab

Thronus Messiæ appropriatur, tum ad excludendum alios thronos, tum ad jus ejus declarandum.

eo imminui debebant. Pſ. XXIX. 1. LXVIII. 17. LXXXII. 6. 7. 8. Et ab altera parte jus & poteſtas Meſſiæ agnoſcitur, qui illum thronum occupare debebat, qui in Teſtamento pacis a Patre ei ſtipulatus, in ſcriptis Prophetarum per Spiritum promiſſus, victoriisque jam excellentiſſimis tum Satanæ per mortem, tum gentilismi per verbum veritatis partus erat.

Thronus Meſſiæ æternus eſt, ubi phraſin abſolutam æternitatem innuere clare evincitur.

VII. Diſcrimen inter *thronum* Meſſiæ & thronos mundanos patet ex ejus duratione עד ועלם. De vocis עולם SECULUM variis ſignificatibus ſtudioſe dixerunt alii & præcipue *Dan. Feſſelius* Adverſ. Sacr. lib. III. c. 2. Cum vero multiplicem & vagum patiatur ſenſum, per conſtructionem ſæpe limitatur. Nec dubium mihi, quoties cum vocula עד, quam vertimus ET ULTRA, in V. T. componitur, reſpectum habere ad abſolutam *æternitatem*. Recte R. *Iſaacus* in Chizzuk. Emuna P. I. p. 19. : מאמר לעד ולעולם מורה לנצחית שאין לה הפסק כלל i. *Phraſis, qua conjunguntur* לעד & לעולם *abſolutiſſimam æternitatem, nullum unquam exitum admittentem arguit.* Nec opus fuiſſet, ut hoc negaretur verpo a Cl. *Gouſſeto* in erudita peſtiferi libri refutatione p. 131. præcipue cum ipſe aliam obviam eundi ejus errori viam inveniri poſſe agnoverit. Saltem in exemplis, quæ adducit, nullum reperio, quod, ſi in pleno & myſtico ſenſu ſumatur, non abſolutam æternitatem admittat. Conſentiunt alii Hebræorum Magiſtri. *Kimchius* in Sepher Schoraſchim: תנא דבי ר׳אלעזר בן יעקב כל מקום שנ׳ נצח סלה ועד לו הפסק לעולם ולעולמי עולמים: i. *Dixit quippe R. Elieſer filius Jacob: Omnis locus in quo dictum eſt* סלה *vel* נצח *vel* עד *non habent intermiſſionem in ſeculum & in ſecula ſeculorum.* Quamvis enim de vocibus סלה & נצח Apella rem non confecerit, de vocula עד tamen adducto loco Exod. XV. 18. ſententiam ſuam probavit. Convenit ipſa phraſeos ratio. עד enim, quod a particula עֹד deductum eſt, eleganter illam *æternitatis* naturam exprimit, qua limites nullos temporis habet, ſed *usque* & *usque* plus ultra procedit. Emphaſis ergo maxime intenditur, quando duæ voces ſimilis ferme notionis conjunguntur: quod fre-

frequentisſime in Pſalmis fit, in quibus duodecies, & ter extra eos reperitur, uti ex Concordantiis videre eſt. *Chaldæus Paraphraſtes* vertit לעלמי עלמין, unde in uſum venit apud Helleniſtas phraſis εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων ſcriptoribus N. T. frequens Gal. I. 5. Eph. III. 21. 1. Tim. I. 17. 2. Tim. IV. 18. Hebr. XIII. 21. 1. Petr. IV 11. V. 11. & duodecies in Apocalypſi, quæ loca ſingula ſimiliter ad *æternitatem* abſolutam reſpiciunt. Nec longe abludunt, qui phraſin noſtram ellipticam putant pro לעולם ועד עולם, quod ipſum non niſi de æternitate uſurpatur, quicquid tricetur *Hammondus* in Luc. I. 70. Agnoſcit ergo Pſaltes *æternam* regni Meſſiæ durationem quam toties laudant Prophetæ 2. Sam. VII. 13. Pſ. LXXXIX. 29, 30. 36-38. Hinc *Pater æternitatis* Jeſ. IX. 9. quem locum explico Exerc. XII. §. 4. Quin eadem phraſis etiam alias de regno Meſſiæ adhibetur Exod. XV. 18. Pſ. IX. 16. XXI. 5. Et *æternitas throni* ejus ſpeciatim deſcribitur Pſ. XCIII. 2. Jer. XVII. 11. Thren. V. 19. Spem hanc Judæis olim creditam fuiſſe patet ex eorum objectione Joh. XII. 34. *Nos audivimus ex Lege, Chriſtum manere in æternum.* Sed ſequioribus temporibus inter excœcatos eorum Magiſtros de duratione regni Meſſiae varie diſputatur, quibusdam certos annos temere definientibus, aliis regnum Meſſiae cum aeternitate connectentibus, ita ut non niſi ea caepta deſiturum ſit, paucisſimis ἁπλῶς *æternum* fatentibus. Inter hos tamen R. *Jſ. Abarbanel* in Majene jeſchua fol. 39. col. 1.

Ipſis Judæis æternitas Regni Meſſiæ in confeſſo eſt.

המלכות העתידה אשר יזכור למשיח צדקנו לא אמר שהיה עולה מן הים כי אם שבא עם ענני שמיא כלומר שלא יהיה ממשלתו מהשרים העליונים רוחות השמים אלא מההשגחה הפרטית ולכן יהיה קיים ונצחי עדי עד:

i. *Quod attinet regnum futurum Meſſiæ, cujus meminit,* (Daniel) *non dicit, quod adſcenderit ex mari, ſed quod venerit cum nubibus cæli, hoc eſt, quod dominium ejus non erit ex ſuperioribus principibus, ex Spiritibus cæli, ſed ex ſingulari providentia divina: & propterea erit ſtabile & perpetuum in æternum.* Plura videat, qui poteſt, apud *Eiſenmengerum* Judaismi revelat. P. II. c. 15. p. 812. ſeqq. Cujus adductis locis addi meretur

Jacchiades Paraph. in Dan. VII. 14. ואליו ינתן הממשלה והכבוד והמלכות. וכל העמים ואומות ולשונות אליו יעברו וממשלתו ממשלת עולם אשר לא תסור כראשונים ומלכתו לא תוזק. והוא משיח צדקנו אשר יניע לפני ה'. ואליהו הנביא יקרבהו לפניו ואליו ינתן הממשלה לעד ולעולם: i. *Eidem dabitur dominatus, gloria & regnum, omnes etiam populi, nationes & linguæ eum colent: ita dominatus ejus erit dominatus æternus, qui non recedet, ut priores; ne quidem lædetur dominatus ejus. Hic eſt Meſſias juſtitia noſtra,* (Jer. XXIII. 6.) *qui perveniet in Dei conſpectum: & coram hoc Elias Propheta ipſum adducet: eidemque dabitur dominium in perpetuum & æternum.*

Duplex æternitas Throni Meſſiæ diſtinguitur.

VIII. Si quis tamen mallet voculas has diſtinctim conſiderare, is duo prædicata *Throni* Meſſiæ in uno juncta deprehenderet. Tum enim vox עולם eo ſignificatu, qui ipſi eſt familiariſſimus, ſumenda, quatenus notat certam quandam temporis periodum & in ſpecie periodum Novi Teſtamenti, dictam etiam αἰὼν Matth. XXVIII. 20. quæ conſtantior eſt antecedentibus, & in *æternitatem* influet. Ei enim reſpondebit nunquam interrumpenda *throni* Meſſiæ per totam OEconomiam novam, nequicquam fremente cum aſſeclis Satana, ſucceſſio Pſ. LXXII. 5. 17. Dan. II. 44. VII. 14. Vocula vero עד ulterius gloriam regni ejus provehit, dum etiam duraturum indicat, poſtquam ſecula omnia præteriere. Nam quamvis regnum œconomicum Filius Patri in conſummatione ſeculorum traditurus ſit 1. Cor. XV. 24. gloria tamen ſua cum univerſa SS. Triade æternitatem omnem illuſtrabit. Quin cum per *thronum* in hoc loco potiſſimum Eccleſiam intelligendam eſſe probaverimus, in ſpecie tum perennis ejus in terris contra omnes portas inferni conſervatio Matth. XVI. 18. tum immarceſſibilis fidelium omnium in cælo gloria ſimul heic latet. Non enim poſſet thronus Meſſiæ æternus eſſe, niſi eorum quoque æterna eſſet duratio & beatitudo, qui thronum ejus conſtituunt. Non eſſet imperium æternum, ſi ſubditorum conditio mutationi eſſet obnoxia.

IX. At-

IX. Atque ita *thronus* Messiæ super omnes thronos Regum mundanorum evectus est, quos eadem ætas, quæ posuit, iterum abstulit. *Menander* in certamine cum Philistione, an Philemone? a *Jano Rutgersio* Var. Lect. lib. IV. vulgato: *Attributum hoc thronum Messiæ super omnes thronos mundi,*

Εμβλεψον εἰς τὰ μνήμαθ', ὡς ὀδοιπορεῖς
Εντᾶυθ' ἔνεστιν ὀστέα καὶ κόφη κόνις
Ανδρῶν βασιλέων καὶ τυράννων, καὶ σοφῶν
Καὶ μέγα φρονούντων ἐπὶ γένει καὶ χρήμασιν
Αυτῶν τε δόξῃ, καὶ κάλλει τῶν σωμάτων.
Καὶ οὐδὲν αὐτῶν τὸν δ' ἐπήρκεσε χρόνον ἰ.

Hominum sepulchra, quæ secus viam, inspice.
His ossa, pulvis atque inanis clauditur
Regum, tyrannorum & virum sapientium,
Superbientiumque opibus & propagine
Suaque gloria atque forma corporum
Nihilque eorum temporis vim dispulit.

Lucretius lib. III. 1037:

Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:
Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.
Inde alii multi Reges, rerumque potentes
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus salsas docuit super ire lacunas,
Et contemsit aquis insultans murmura ponti,
Lumine ademto animam moribundo corpore fudit.

Solius Messiæ *thronus* a temporum injuria inconcussus manet. Quin quod magis est, se ipso major exsurgit. Ipse ille typicus *Ipsumque thronum typicum V. T. evehit.*

cus *thronus*, quem in Theocratia Iſraëlis olim inſedit, etiam cum memoria ſui tollendus erat Jerem. III. 16. ut huic *æterno throno* locum faceret. Hinc Pſ. CII. 27, 28. *Iſta peritura ſunt, tu autem permanes: iſta omnia ut veſtimentum veteraſcent, ut indumentum mutabis ea, atque mutabuntur. Tu vero idem es & anni tui non finiuntur.* Quem locum ad regnum Meſſiæ merito transfert & cum noſtro confert Apoſtolus Hebr. I. 10-12.

Regnum Meſſiæ deſignat totam Oeconomiam gratiæ in N. T. erigendam.

X. Ubi thronus eſt, ibi etiam eſt *regnum*. Per REGNUM Meſſiæ (ut paucis id tantum tangamus, de quo ab aliis jam latius actum eſt, Celeberr. *Coccejo* in Panegyrico de Regno Dei Opp. Tom. VI. *Benjamine Keach* in Tropologiæ P. II. p. 142. ſqq. *D' Outreinio* in Parabolas tractatu vernaculo p. 591. ſeqq. &c.) deſignat totam Oeconomiam gratiæ in tempore N. T. erigendam, & Theocratico Dei in Iſraële regno, quod *Spencerus* & *Witſius* accurate delinearunt, adumbratam. Et metaphora eſt aptiſſima. Quicquid enim ad eſſentiam & majeſtatem *regni* pertinet, ſpiritualiter in hac Dei œconomia deprehenditur. *Rex* eſt Meſſias ipſe: *ſubditi* populus peculii, conſtans ex electis Judæis & gentibus combinatis: *miniſtri* Angeli non ſolum cæleſtes, ſed etiam terreſtres, Eccleſiæ Doctores: *privilegia* bona Novi Teſtamenti, filiatio, parrheſia, libertas & pax: *divitiæ* plusquam Regiæ, conſtantes benedictionibus cæleſtibus, promiſſis verbi, & multiplicibus Spiritus donis: *leges* ſanctiſſimæ: *bella* perpetua cum regno tenebrarum.

Rationes indicantur cur illa Oeconomia ut regnum Meſſiæ conſideretur.

XI. Cum autem alias hoc *regnum* ut *regnum cælorum*, *Deive* in genere proponatur, hic ſpeciatim Deo Meſſiæ attribuitur: מלכותך i. *regnum* TUUM. Simili ferme emphaſi, uti §. 6. dictum vidimus, *thronus tuus*. Scilicet 1) eſt illud *regnum*, quod Meſſiæ debebatur pleniſſimo jure, *tum* ex Teſtamento æterno Luc. XXII. 29. *tum* ob ſolutum redemtionis pretium, *tum* ob fractam vim Satanæ Principis tenebrarum. 2) Et illud *regnum*, ſublatis Dominatoribus V. T. actu ipſo Meſ-

Landesbibliothek Oldenburg

Messiam occupantem Vates prævidet. 3) In hoc *regno* Messias omnia Regis munia exsequitur. Est enim *Legislator*, *Rector*, *Judex*, *Dux*, *Tutamen*, *Conservator* & *Auctor* omnis felicitatis, quæ omnia a legitimo Rege populus exspectat. 4) Denique in eodem *regno* a genuinis subditis pro vero unicoque Rege agnoscitur, colitur, celebratur.

Sceptrum insigne fuit antiquissimum Regiæ majestatis,

XII. Medium autem, quo imperium Messias exercet, sub emblemate SCEPTRI depingitur. *Sceptrum*, quod ab Hebræo שבט, non a σκηπτεσθαι, ut nugantur Græculi, inter antiquissima insignia Regiæ majestatis fuit, de cujus materia & forma pluribus videri possunt J. Phil. *Pfeiferus* Antiq. Gr. lib. II. c. 8. p. 195. 196. Everard. *Feithius* Antiq. Homeric. lib. II. c. 4. p. 104. seq. J. C. *Becmannus* Synt. Dignit. dissert. IV. c. 4. §. 4. p. 493. seq. *Chifletius* Anast. Childerici Reg. c. 7. Nos nunc pro more id potissimum tangimus, quod ad illustrandum *sceptri* in textu nostro hieroglyphicum pertinet. Et primo quidem in genere notandum, proprie שבט convenire cum מטה, & *virgam* significare. *Sceptra* enim antiquissima meræ virgæ seu hastæ erant, usu a pastoribus transsumto, unde *sceptra* manu tenentes Reges monebantur, eos ipso actu, quod toties Agamemnon apud *Homerum*, debere esse ποιμένες λαῶν i. *pastores populorum*, tam lenitate regiminis, quam perpetua cura. *Sceptro* ergo merito Messias insignitur, qui verus est *Israëlis Pastor*, & qua talis *pedum* suum habet Ps. XXIII. 1-4. Zach. XI. 7. Si vero propius inquirimus, quid sub hoc sive *sceptro*, sive *pedo* intelligendum sit, de quatuor significatis potest cogitari 1) Ipsum universum regimen tam in pace quam in bello metonymice per *sceptrum* designatur, uti probant J. Chr. *VVagenseilius* Tel. ignit. Sat. p. 275. 276. Joh. *Vorstius* dissert. Sacr. I. §. 23. *Aringhius* Rom. Subt. lib. VI. c. 15. *Phaletranus* de ablat. Sceptr. Jud. in syntagmate dissertationum a Celeb. *Grævio* editarum p. 384. Hinc ipsi gentium Dii cum *sceptris*, hastis depicti ad summum eorum imperium exprimendum & de quibus Deorum *sceptris* inspiciantur *Rycquius* de Capitol.

transsumtum a pedo pastorum.

Sceptrum Messiæ tria designat 1) metonymice universum ejus regimen.

Landesbibliothek Oldenburg

Sceptrum cum oculo apud Ægyptios pictum.

Rom. c. 19. Gisb. *Cuperus* de Apoth. Homer. p. 22. seq. Et in hieroglyphicis Ægyptiorum *sceptrum* regiam potentiam designabat. *Macrobius* Saturnal. lib. I. c. 21. testatur Ægyptios Osiridem cum sceptro pinxisse, *significantes hunc Deum Solem esse Regalique potestate cuncta despicere.* *Plutarchus* de Isid. & Osir. Τὸν δὲ Οσιριν ὀφθαλμῷ καὶ σκήπτρῳ γεγράφασι, ὧν τὸ μὲν τὴν πρόνοιαν ἐμφαίνει τὸ δὲ τὴν δύναμιν i. *Osirim oculo & sceptro pingunt, oculo providentiam, sceptro potentiam indicantes.* Hinc *sceptra* non tantum in inauguratione Regum manibus indita, sed etiam sacrosancta credita sunt: & inter prærogativas Regias a R. *Bechai* loco supra citato enumeratas etiam hæc memoratur: אין משתמשין בשרביטו i. *non utuntur ejus sceptro.* Quin per *sceptra* juratum, uti notarunt præter supra citatos *Stukius* Antiq. Conv. I. c. 30. Jac. *Lydius* de juram. c. 3. §. 16 *Nicolaus* de jur. c. 8. Et certe eundem significatum in sacris *sceptrum* habet. Hinc *sceptrate-nens* pro imperante Amos. I. 5. 8. Ad quem locum R. Salomo ben Melech in Michlol Jophi fol. 148. ותופך שבט ·הוא המלך במו לא יסור שבט מיהודה כי מנהג המלך להיות שבט בידו תמיד והוא סימן שהוא רודה בעם: i. Et tenens sceptrum) *hic est Rex: sicut* Gen. 49: 10.) Non auferetur sceptrum a Juda: *quia mos est Regis, ut semper teneat sceptrum in manu sua: & illud est signum, quod imperium habeat in populum.* Qui ipse quoque ad hunc nostum locum fol. 172: שבט מישור ·הראש והמושל נקרא כן כי דרך המושל להיות שבט בידו ועוד כי בידו שבט מוסר העם: i. *Sceptrum rectitudinis*) *Princeps Dominator sic circumscribitur, quia consuetudo Dominantis, ut teneat sceptrum in manu sua & præterea quia in manu ejus virga castigationis populi.* Et hoc sensu *sceptrum* de imperio Messiæ usurpatur Num. XXIV. 17. *Sceptrum orietur ex Israële* i. regnum. Quamvis alii interpretes hic per *sceptrum* Regem Messiam ipsum intelligant, conferentes Ezech. XIX. 11. & *Clementem Romanum* Epist. 1. ad Corinthios scribentem: Τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλοσύνης τοῦ Θεοῦ, ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας &c. i *Sceptrum majestatis divinæ, Dominus noster Christus non venit cum vana arrogantiæ ostentatio-*

Locus Num. XXIV. 17. illustratus.

tione: ubi videri possunt interpretes & Steph. *le Moyne* Var. Sacr. T. II. p. 154. Sed si vel sic sumatur in concreto, res tamen eodem redit, quia ratio, cur Messias *sceptrum* dicitur, regium est dominium, quod exerciturus erat. Addere possemus Gen. XLIX. 10. si tantum constaret certo, illic de *sceptro* & non potius de tribu Judæ agi. 2) Specialius per *sceptrum* Messiæ judicialis potestas, ipsaque judicia ejus designantur. Non solum enim regium fuisse insigne, sed etiam judiciale testatur *Varinus* in lexico: Σκῆπτρα ἐ μόνον βασιλεῦσιν ἀλλὰ καὶ δικασπόλοις. Ἐστι γὰρ τὸ σκῆπτρον ἐ μόνον βασιλείας, ἀλλὰ καὶ θέμιδος i. *Sceptra non solum Regibus sed etiam judicibus conveniunt. Est enim sceptrum aliud regni, aliud Themidos.* Inde *Homerus* Iliad. vs. 238. de sceptro:

2) *Judicialem potestatem & ipsa judicia.*

Ἐν παλάμαις φορέεσι δικασπόλοι, ὅτε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται - - - -

i. *in manibus gestant illud judices, quique leges a Jove custodiunt.* Et Odyss. XI. 568. Minoëm inferorum judicem describit: *aureum sceptrum gestantem, leges ferentem mortuis.* Hinc apud Judæos in medio splendidi conclavis, in quo cogebatur Synedrium Magnum, perhibetur *sceptrum* pependisse a *Galatino* Arcan. Cathol. Verit. lib. IV. c. 5. & *Cunæo* de Republ. Hebr. lib. I. c. 9. Quin *sceptris* refractarii interdum concutiebantur. Sic Ulysses Thersitem Iliad. B. σκήπτρῳ δὲ μετάφρενον ἠδὲ καὶ ὤμω πλῆξεν i. *sceptro dorsum & humeros percussit.* Hoc sensu Messiæ sceptrum tribuitur Num. l. cit. quo *angulos Moabitarum percutit* & Ps. II. 9. quo *confringit gentes ut ollas.*

XIII. Et hactenus *sceptrum* metonymice usurpatur: sed habet etiam 3) sensum metaphoricum, quatenus dictionem flectentem & in obsequium cogentem animos designat. Et hanc & binas antecedentes notiones elegantissime conjungit *Eustathius*, quem postquam emblema *sceptri* jam mecum ita digesseram, mecum accurate convenire cum voluptate deprehendi. Ita enim ille in Iliad. A. f. 25. Σημεῖον δὲ βασιλείας καὶ λόγου

3) *metaphorice sermonem Messiæ adumbrat.*

λόγων καὶ δίκης κατὰ τὰς παλαιὰς, τὸ σκῆπτρον ἦν. i. *Sceptrum apud antiquos* & REGNI & SERMONUM & JUDICII *ſignum fuit.* Huc transfertur a quibusdam, quod Muſis & Apollini *ſceptrum* adſignat antiquitas, quodque Chryſes, Neſtor, Ulyſſes alii apud *Homerum* ſermonem habituri *ſceptra* manu geſtant, de quo videri poteſt Mart. de *Roa* Singul. T. I. Lib. 2. c. 5. *Cælius Rhodiginus* Antiq. Lect. lib. VII. c. 29. Certe quod Reges *ſceptro*, id rhetor oratione facit, ſecundum illud *Virgilii* Æn. I.

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Merito ergo & aptiſſime per *ſceptrum* Meſſiæ idem illud *verbum veritatis* intelligimus, ſed Spiritu ejus vivificatum, de quo ſupra. Iſtud in prælia tendenti *gladius*, *currus*, *telum* erat: iſtud nunc imperanti in devictum populum *ſceptri* vices gerit. Hoc ſenſu indubie ſumitur Pſ. CX. 2. *Sceptrum roboris tuum emiſſurus eſt Jehova ex Zione*: præſertim ſi conferatur Jeſ. II. 3. *E Zione prodit doctrina & verbum Jehovæ Hieroſolymis.* Hoc eſt *virga oris ejus* Jeſ. XI. 4. quanquam hic locus quoque in ſenſu ſecundo, de judiciis a Meſſia hoſtibus infligendis intelligi poſſit, quod ipſe *Abarbanel* ad h. l. obſervat. Clarius metaphoricam hanc notionem requirit *virga & pedum* Meſſiæ Pſ. XXIII. 4. ipſumque illud *ſceptrum* de quo Bileamus Num. l. cit, quod קרקר כל בני שת i. *glocitando congregat omnes filios Sethi*, quae congregatio ipſiſſimum Spiritus Meſſiæ per verbum opus eſt. Nec deeſt elegantiſſima harmonia. Miſſis iis, quæ a materia formave *ſceptrorum* peti poſſent, comparationibus, paucula hæc tantum notentur. a) *Sceptrum* exſerta dextra geritur. *Virgilius* Æn. XII. 206.

Harmonia inter ſceptrum & ſermonem Meſſiæ indicatur:

Ut ſceptrum hoc, dextra ſceptrum tum forte gerebat.

a) quia dextra geritur: Dextra Meſſiæ divina ejus potentia eſt, qua Spiritum cum verbo jungit, illudque efficax facit: inde *ſceptrum roboris* Pſ. CX. 2. Et Jeſ. LIII. 1. *Quis credit prædicationi noſtræ & brachium Jehovæ in quo revelatur?* b) *Sceptri* agitatione, & in

b) quia eo agitato im-

hanc

hanc illamve partem commotione, imperia dantur, ſicut *pedum* paſtor commovens ovibus deſignat, qua ire, qua redire fas ſit. Spiritus Meſſiæ per operationes ſuas, & præcipue per illuminationem interne, & per verbum externe, voluntatem ejus patefacit, legesque præſcribit. Hinc verbum תורה dicitur, quod *viam monſtret.* Conf. Pſ. XIX. 12. CXIX. 33. 34. 104. 105. &c. Jeſ. VIII. 20. XXX. 21. c) *Sceptri* protenſio manifeſtabat gratiam & favorem Regis, uti ex Eſtheræ hiſtoria Eſth. V. 1. 2. notum. Rex Meſſias gratioſam ſuam voluntatem erga peccatorem tam verbo quam Spiritu ampliſſime declarat: verbo eum alliciendo, eique favorem ſuum promittendo Jeſ. LV. 1, 2, 3. Spiritu vero ad ſe accedentem juſtificando, ac filialem parrheſiam in corde efficiendo. 2. Cor. I. 21. 22. Rom. VIII. 15. d) *Scepri* vehemens quaſſatio iræ regiæ indicium eſt. Nec minus minas in impios per verbum Dominus effundit, & conſcientiam eorum per Spiritum ſuum terroribus implet. Jeſ. LXVI. 2. Dan. V. 6. Confer prolixe in hanc rem differentem Ed. *Rainoldum* in Pſ. CX. p. 133. ſeqq. Poſſent etiam ſub *ſceptri* nomine comprehendi ii, qui verbum veritatis aliis annuntiant. Sic amicos Regis *ſceptro* comparat Cyrus apud *Xenophontem* παιδ. Κυρ. lib. VIII. Οὐ τόδε τὸ χρυσῆν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζον ἐστὶν, ἀλλ᾽ οἱ πιστοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον i. *Non hoc ſceptrum eſt, quod regnum tibi conſervat, ſed amici fideles regibus veriſſimum ſceptrum ſunt.* Sed hæc ſuo loco relinquimus 4) Denique *ſceptrum* poteſt potentiæ & roboris ſymbolum gerere: præcipue cum ſceptra antiquitus *haſtæ* fuerint, inſtrumentum bellicum, ad profligandos hoſtes idoneum. Vide *Pierium Valerianum* Hierogl. lib. XLII. *Cæl. Rhodiginum* Ant. Lect. lib. XXI. *Alex. Neapolitanum* lib. I. c. 28. *Rycquium* de Capitol. c. 19. Adde authores *Pitiſco* voce *haſta* citatos. Speciatim robur in bello contra hoſtes demonſtrandum haſta adumbrat. Hinc vibrata haſta indictum bellum. *Servius* ad Æn. IX. 53: *Poſt clarigationem haſta in eorum fines miſſa, indicabatur jam pugnæ principium. Poſt tertium autem*

peria dabantur:

c) *quia ſceptri protenſio indicium favoris:*

d) *quia ſceptri quaſſatio indicium iræ.*

Miniſtri quoque verbi per ſceptrum figurari poſſunt.

4) *Denique & potentiam, præcipue quam in hoſtes exercet.*

Landesbibliothek Oldenburg

& triceſimum diem, quam res repetiſſent ab hoſtibus, feciales haſtam mittebant. Hæc ſignificatio procul dubio involvitur, quando Meſſiæ datur *ſceptrum roboris*, Pſ. CX. 2. & *ſceptrum ferreum*, quo hoſtes *percutit & ut vas figulinum conterit.* Pſ. II.

Sceptrum rectitudinis dicitur, quia ex virgis rectis confecta ſceptra,

XIV. Summa laus *ſceptri* cæleſtis Regis in eo conſiſtit, quod ſit שבט מישור i. *ſceptrum* RECTITUDINIS. Vox hæc, quicquid cum norma ſua convenit, tam in phyſicis, quam in moralibus, deſignat. Eleganter autem *ſceptris* rectitudo tam ratione literæ, quam ſenſus latentis tribuitur. Quoad literam ex virgis rectis ſine nodo & curvatura omni conſtabant. Unde ingenioſe quidam שבט ab origine Arabica derivant, quæ ſignificat *æquabilis fuit*, uti notat Joh. Hel. *VVillemerus* in diſſert. de ſtella ex Jacob §. 16. Theſauri Theol. Philol. Vol. I. p. 368 Quin ita quoque manu tenetur, ut in altum erectum ſit, & neque antrorſum neque retrorſum declinet. Sic de Ulyſſe *Homerus* Iliad. Δ. vſ. 218. ſeqq.

& in altum erecta manu tenebantur:

Στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε, κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας.
Σκῆπτρον δ' ἔτ' ὀπίσω ἔπε προπρηνὲς ἐνώμα,
Ἀλλ' ἀσεμφὲς ἔχεσκεν – i.

Stabat ſubtusque cernebat, in terram oculos defigens: ſceptrum vero neque retrorſum, neque in anteriorem partem movebat, ſed immobile tenebat. Hæc autem externa erecta facies ſceptri adumbrabat, ad amuſſim illius *rectitudinis* totum imperium componendum eſſe, cujus perfectiſſimum exemplar divina majeſtas poſſidet. Id diſcimus ex *Cyrillo Alexandrino* latius explicante hieroglyphicam Oſiridis, quam §. XII. jam adduximus, figuram, conſtantem ex oculo, ſub quo pingebant ὀρθὴν ῥάβδον, ἵν' ἐν ταύτῳ ναῆται ἡ τὸ παυδερκὲς αὐτῆς, καὶ μὴν τὸ βασιλικὸν ἀξίωμα. ἀεὶ γὰρ πῶς τὸ σκῆπτρον βασιλείας νοεῖται σύμβολον, καὶ μὴν καὶ τὸ ἐσκὸς τῆς ῥάβδε καλασημαίνειν ἤθελον τὸ καὶ' ὑδένα τρόπον τὴν θείαν ὀκλάσθαι ξύναδθαι φύσιν, ἐσάναι δὲ ὥσπερ ἀεὶ καὶ οἷον ἀνέχειν τε καὶ ἀνερείδειν τὸ πάντα i. *virgam rectam, ut per eam deſignent tum ejus omniſcientiam, tum regiam ejus dignitatem. Semper enim ſceptrum pro regni ſymbolo habetur. Quod vero erecta ſtet virga, eo exprimere voluc-*

quo ritu adumbrabatur amuſſis rectitudinis & juſtitiæ, quam ſequi oportet eos, qui aliis præſunt.

voluere, nullo modo divinam naturam incurvari posse, stare vero semper erectam & omnia sursum tollere atque suffulcire. Huc sine dubio collimant loca *Pindari* de Hierone, quæ ingeniose cum hoc nostro loco contulit eruditissimus *Author Historiæ criticæ Reip. Literar.* Tom. II. Alter est Olymp. A. v. 18.

Θεμιςέϊδν ὃς ἀμφέπει
σκᾶπτον ἐν πολυμάλῳ
Σικελίᾳ, θρέπων μὲν
κορυφὰς ἀρετᾶν ἀπὸ πασᾶν

i. ex versione *Er. Schmidii: justum qui administrat sceptrum, in fœcunda Sicilia decerpens quidem summitates virtutibus ab omnibus.* Alter est Olymp. S. vs. 158.

Τὰν Ἱέρων καθαρῷ σκάπτῳ διέπων
ἄρτια μηδόμενος - -

vertit idem: *quam Hiero sincero sceptro administrans, recta meditans.* Apud *Æschylum* quoque Pers. v. 766. inde dicitur σκῆπτρον εὐθυντήριον i. *sceptrum bene dirigens.* Hinc est, quod Regibus Galliæ, quando inaugurantur, sceptrum in manus traditur, addita hac verborum præfatione secundum *Bochellum* lib. V. Decr. eccles. Gal. tit. 2. c. 1: *Accipe sceptrum regiæ potestatis insigne, virgam scilicet regni rectam, virgam virtutis, qua te ipsum bene regas: sanctam Ecclesiam, populumque videlicet Christianum, tibi a Deo commissum regia virtute ab improbis defendas: pravos corrigas, rectos pacifices, & ut viam rectam tenere possint, tuo juvamine dirigas, quando de temporali regno ad æternum regnum pervenias: ipso adjuvante, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum.* Aliter tamen paullo hoc alloquium apud *Becmannum* l. supra cit. exprimitur: *Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios & terrere reprobos, errantibus viam dare, lapsisque manum porrigere, dispersasque superbos & releves humiles, ut aperiat tibi ostium Jesus Christus Dominus noster.* In omni autem emphasi sceptrum Messiæ est *sceptrum recti-*

Transfertur hoc ad sce-

ptrum Meſſiæ, quod eſt rectum 1) quoad univerſum regimen,

rectitudinis, quocunque tandem ſenſu illud ſumas. 1) Univerſum regimen Meſſiæ nil niſi *rectitudinem* præſe fert, quia juſtitiam non tantum in bello contra hoſtes, uti Exercit. præced. §. 19. 20. vidimus, ſed etiam erga univerſos & ſingulos ſuos exercet. Virtus hæc vere Regia Jerem. XXII. 3. Proverb. XVI. 12. XX. 8. quæque olim *ſceptra* typica Davidis 2. Sam. VIII. 15. & Salomonis 1. Reg. III. 28. decoravit, ſplendidiſſime in Meſſia relucet. Titulum *juſtorum* maximi Reges affectarunt, præcipue Orientis, unde in nummis legimus Αρσάκης δικαίου & Conſtantinus in nummo Arabico audit *Imperator Sapientiſſimus, Juſtiſſimus* Vide *Relandum* de marmor. Arab. Puteolan. p. 12. Sed auguſtiſſime id de Meſſia verat. Juſtitiam regni ejus collaudatam vide Jerem. XXIII. 5. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quibus excitabo Davidi germen juſtum: qui regnabit Rex, ſecundabiturque, ac exercebit jus & juſtitiam in terra.* Unde fulcimentum throni ejus dicitur Pſ. LXXXIX. 15. XCVII. 2. Juſtitiæ in regno Meſſiæ demonſtrationem Rabbini ipſi exſpectant. *Maimonides* in Commentario Miſchnico ſuper Sanhedrin fol. 120. col. 1. fin. התאוו הנביאים והחסידים ימות המשיח ורבתה תשוקתם אליו למה שיהיה בו מקבוץ הצדיקים והנהגה הטובה והחכמה וצדק המלך ורוב יושרו והפלגת הכמתו וקרבותו אל האלהים כמו שנ' יהוה אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך: i. *Anxie deſiderarunt Prophetæ & Viri Sancti dies Meſſiæ, quia ſub eo erit congregatio ſanctorum, atque bonum regimen, & ſapientia; inque ipſo etiam Rege juſtitia, inſignis rectitudo, ſingularis ſapientia & propinquitas cum Deo, quemadmodum dicitur* (Pſ. II. 8.) *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quin R. *Moſes Hadarſchan* ex eo fundamento Melchiſedecum fuiſſe fatetur: מלך צדיק ונושע מלך המשיח i. *Regem juſtum & Salvatorem, Regem Meſſiam*, citante *Heinſio* Exerc. Sacr. L. XVI. c. 11. p. 517. 2) Eadem *rectitudo* in exercendis judiciis elucet. Jeſ. IX. 3. 4. *Non ad aſpectum oculorum ſuorum judicabit, neque ad auditum aurium ſuarum corripiet: Sed vindicabit juſte tenues; & corripiet ex æquo manſuetos terræ*

2) quoad exercitium judiciale,

terræ : percutiet vero terram virga oris sui & spiritu labiorum suorum interficiet improbum. Conferri possunt ‖ Ps. IX. 8, 9 XCVI. 10, 13. XCVIII. 9. 3) Sed potissimum in norma verbi & dictamine Spiritus Messiæ *rectitudo* deprehenditur. Verbi *rectitudinem* laudatam vide Ps. XIX. 9. 10. CXIX. 123. 137. Proverb. VIII. 6. Normam *recti* peccatori præscribit, & praecepta, quae merito משפטים dicuntur, quia cum jure sanctissimo Dei conveniunt. Viam monstrat, quae est θεοπρεπὴς. Totum hominem ad primam *rectitudinem* per lapsum amissam Eccles. VII. 30. reducere laborat. Unde meliori jure de lege Messiae, quam olim de typica Deut. IV. 7. *Quæ gens maxima futura est, cui sunt statuta & judicia justa, sicut est tota hæc lex, quam ego propono vobis hodie?* Et summa est *rectitudo* in dictamine Spiritus, quia legem hanc in cor inscribit, animam ישרה *rectam* Habac. II. 4. facit, quando cor novum creat, & imaginem Dei indit, denique instinctu ductuque suo בארץ מישור *in terram rectitudinis ducit.* Ps. CXLIII. 10. 4) Denique ubicunque potentiam suam Messias in regimine Ecclesiae exserit, ibi ita procedit, ut semper limitibus rectitudinis & sanctitatis suae se ipsum circumscribat.

3) *quoad verbum Evangelii,*

4) *in demonstratione potentiæ.*

YV. Sanctitas regiminis fluit ex sanctitate personae ejus, cui Psaltes *amorem justitiæ & odium impietatis sive injustitiæ* adscribit. Bene *Rivetus* observat: *Diligere hic plus est, quam exercere. Nam multi exercent necessitate officii justitiam, quam tamen non diligunt, Christus vero eam dilexit ex animo.* Addo tantum, eandem emphasin quoque sub adscripto Messiæ *odio* agnoscendam esse. Qui enim *odit injustitiam*, similiter plus facit, quam qui punit, quia id quod facit, non ex aliquo externo respectu, sed ex intimo cordis sensu proficiscitur. Id quoque non frustra est, objecta *amoris* & *odii* Messiæ heic in abstracto proponi: non sunt justi nec impii, sed *justitia* & *impietas.* Ita enim indicatur, in personis priorum, quatenus natura peccatores sunt, nihil amabile reperiri, donec justi-

Sequentis commatis emphasis generatim evolvitur.

Landesbibliothek Oldenburg

tia regni Dei poſtliminio ornati ſunt : quin & in ipſis piis reliquias *injuſtitiæ* & peccati objectum *odii* eſſe; & ab altera parte perſonas improborum, quatenus creaturæ Dei ſunt, non eſſe proximum *odii* divini objectum, ſed *impietatem* in iis ſtabulantem. Certe hæ affectiones animi ſunt tales, ut regiam Meſſiæ majeſtatem maxime evehant. Hinc Regibus hanc regulam præſcribit Regum ſapientiſſimus Proverb. XVI, 12. 13. *Abominationi ſit Regibus committere improbitatem, nam juſtitia ſtabilitur ſolium. Accepta ſint Regibus labia juſta, & loquentem recte Rex diligito.* Eandem expreſſit *Euripides* in Syleo apud *Stobæum* Serm. XLIV.

Amor juſtitiæ & odium impietatis affectus ſunt Regem decentes, & cipue Regem divina majeſtate pollentem.

Τοῖς μὲν δικαίοις ἔνδικος· τοῖς δ' οὐ κακοῖς
Πάντων μέγιστος· πολέμιος κ) χθόνα.

i. *Juſtis quidem æquus & juſtus : malis vero omnium maximus hoſtis in terra.* Sed præcipue ei conveniunt, qui in regno ſuo ſimul Deus eſt. Virtutum enim talium πρωτότυπος ipſe Deus eſt, vel ipſo *Homero* confitente Odyſſ. ξ.

Οὐ μὲν κακτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,
Ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.

i. *Haudquaquam ſceleſta opera Dii beati amant, ſed juſtitiam diligunt & bona opera hominum.* Et Demades apud *Stobæum:* Ὅσον τοῖς δικαίοις τὸ θεῖον συναγωνίζεται, τοσοῦτον τοῖς ἀδίκοις ἐναντιοῦται i. *Sicut Numen cum juſtis communionem habet, ita injuſtis contrariatur.* Unde non ſemel ſanctiſſimæ animæ Regis Meſſiæ hæc facies adſcribitur. Ante exaltationem in regnum, ſecundum Jeſ. VII, 15. 16. *ſpernere malum, eligere bonum* debebat. Et poſt occupatum thronum teſtatur Jes. LXI, 8. *Ego Jehova amo jus, odi rapinam conjunctam holocauſto.* Adde Pſ. XI. 5. 6. 7. His præmiſſis ſingula verba excutiamus brevibus.

Juſtitia triplex diſtingui poteſt, Dei, Meſſiæ, electorum.

XVI. Latiſſimo ſenſu JUSTITIA hic ſumi poteſt. Nam in ſacris paginis pro variis ſubjectis, quibus ineſt, etiam varie conſideratur. Subjecta illa potiſſimum tria ſunt, Deus, Meſſias, populus ejus. *Juſtitia Dei* eſt demonſtratio ſanctita-

tis

tis ejus. *Justitia* Regis *Messiæ* est non tantum illa, quam ut Deus possidet, sed etiam quam in opere mediatorio exercuit, ut *servus Dei justus* Jes. LIII, 11. ut Pontifex *sanctus*, *inculpatus*, *impollutus*, *a peccatoribus segregatus* Hebr. VII, 26. quem decebat *omnem justitiam implere*, Matth. III, 15. atque ita *justitiam æternam adducere* Dan. IX, 24. Porro in specie *justitia* illa innuitur, quæ ipsi ut Regi propria est. Unde *Rex justus* dicitur Jerem. XXIII, 5. de quo modo §. 14. Denique populus suus *sunt omnes justi* Jes. LX, 21. Hinc nomen *justorum* eis frequentissime attribuitur. Possident enim *justitiam* tum imputatam, quæ est meritum Christi, tum inhærentem per sanctificationem Spiritus iis infusam, quæ in cœlo consummabitur, unde beatæ animæ dicuntur πνεύματα δικαίων τετελειωμένων Hebr. XII, 23.

Amor justitiæ in Messia, ad omnia genera se extendit.

XVII. Quocunque sensu *justitiam* sumas, Messias eam AMAT. אהב designat non tantum propensionem animi in rem aliquam, sed etiam agnitionem excellentiæ ejus, & studium eam extollendi. Videatur *Sam. Bohlius* de formali significationis dis. I. §. 32. sq. quamvis hac verbi hujus notione, ut hypothesi suæ serviat, abutatur. Quis vero non fateatur, tali *amore* Messiam erga omne id, quod *justitiæ* nomine comprehenditur, fervere? *Amavit* justitiam *Dei*, *tum* quando in consilio pacis se obtulit, ut sanctitas Dei a peccatore inquinata severissime in se tanquam vade exerceatur, *tum* quando, ut *Doctor justitiæ* eam annuntiavit, ejusque celebrationem inculcavit Ps. XL, 10. 12. LXXI, 15. *Amavit* suam justitiam, in opere mediatorio, quando in mundum veniens ad implendam voluntatem Patris sui se promtissimum demonstravit Ps. XL, 7. 8. 9. *Amat* justitiam in administratione regni sui, quia eo omnia dirigit, ut hæc justitia reveletur. Præcipue *amat* justitiam in electis suis. *Amat* justitiam iis imputatam, qua ipse eos amixit, qui in ea radios omnisufficientiæ & glorioſæ suæ gratiæ agnoscit, per quam eorum Princeps factus est. *Amat* justitiam inhærentem, cujus primordia Spiritus in iis produ-

xit, quia ſua hæc imago, ſuæque ſanctitatis ſpeculum eſt. Hic *amor* exprimitur Pſ. XVI, 3. Proverb. VIII, 17. Jeſ. LXII, 3. 4. 5. Demonſtratur autem intenſio *amoris* hujus, dum 1) inquirit, an veſte hac nuptiali juſtitiæ amicti ſint Matth. XXII, 11. unde ei adſcribitur *odoratus timoris Domini* Jes. XI, 3. 2) cum iis, quos ornatos hoc veſtitu deprehendit, arctiſſime ſe unit Hoſ. II. 19. 20. 3) primordia juſtitiæ novis indies incrementis auget Apoc. XX, 11. 4) denique vi hujus juſtitiæ in gloriam introducit Jes. XXVI, 2.

Impietas juſtitiæ eſt oppoſita,

XVIII. Juſtitiæ opponitur רשע IMPIETAS. Oppoſitio hæc in ſacris frequentiſſima eſt. Gen. XVIII, 23. Exod. XXIII, 7. Eccl. III, 16. &c. Ex qua oppoſitione patet, vocem hanc excludere, quicquid ſub notione *juſtitiæ* comprehenſum eſt, & contrarium deſignare: atque adeo eam qualitatem exprimere, qua quis juſtitiæ regni Dei non tantum non particeps, ſed etiam ejus hoſtis eſt, quaque ita reatu & macula peccati & *impietatis* totus eſt inquinatus, ut inde, licet invitatus, expediri nec poſſit, nec cupiat. Hæc ſignificatio cum radice vocis bene congruit. רשע enim recte *deficere*, *rebellare* vertitur Pſ. XVIII, 22. Omnis namque *impietas* rebellio contra Deum eſt: & omne odium juſtitiæ eſt abnegatio juſtiſſimi dominii Meſſiæ, quod in hac juſtitia fundatum eſt. Poteſt autem ea iterum varie conſiderari pro variis ſubjectis. In ſumma emphaſi ineſt *impietas* Principi tenebrarum, & totum regnum ejus ἀδικία, quæ, ut tyrannus, cujus arma abjicienda ſunt, inducitur Rom. VI, 13. 2. Tim. II, 19. Imaginem *impietatis* ejusdem gerunt, quicunque ad ſemen ejus pertinent. Præcipue in ſcriptis propheticis *impietas* iis adſcribitur, qui publici & profeſſi juſtitiæ Chriſti hoſtes ſunt. Tales erant Judæi juſtitiæ ex lege præfracte adhærentes Jes. III, 10. LV, 7. Mal. III, 18. & Anti-Chriſtianismus, qui veſtigia ejusdem *impietatis* preſſit, indeque eadem voce deſcribitur. Pſal. IX, 17. X, 2. 3. XXXVI, 1. XXXVII, 37. Jes. IV, 4. LVII, 21. &c. Reliquiæ *impietatis* ſuperſunt in ipſis fidelibus, quatenus *cor-*

variisque itidem ſubjectis ineſt, Diabolo, impiis, & certatione ipſis piis.

pus

pus peccati restat, & *peccatum adhæret.* Rom. VII, 23. Hebr. XII, 1.

XIX. Ubi ubi vero impietatem deprehendit Rex Messias, ibi eam internecino ODIO persequitur. Quam *exosum* ei fuerit totum regnum impietatis, demonstravit, dum istud oppugnavit, expugnavit, ipsique Satanæ caput conculcavit Gen. III, 15. Nullos hic labores, nullas molestias detrectavit, donec funditus regnum tenebrarum erueret, & sanguine proprio inundaret, atque absorberet. Nec desistit reliquias per Spiritum persequi in fidelibus, donec omnis improbitas in cordibus eorum radicitus exstirpata est. Interea *odisse* pergit omnes & singulos, qui a partibus impietatis perstant Psal. V, 5. 6. 7. Habac. I, 13. Atque istud *odium* demonstrat 1) dum a sui suorumque beneficiorum per justitiam suam partorum communione eos quam longissime removet Ps. XVI, 4, CI. 7, 8. *Quæ enim* μετοχὴ *est justitiæ cum injustitia?* 2. Cor. VI, 14. 2) dum horrendis judiciis temporalibus & æternis eos exscindit. Ps. XI, 6. Mal. IV, 1. &c. *Ubicunque autem Messias eam deprehendit, ibi odio justissimo persequitur.*

XX. Est ergo Rex Messias in summa emphasi verus *Melchisedec* i. *Rex justitiæ*, vel eo nomine super omnes Reges terrenos evehendus. Quam rara eorum seges, qui totum suum regimen ad amussin recti componere sategerunt? Aut si pauci fuere, qui *discere justitiam moniti* non detrectarunt, ubi vel unus, qui ita justi lineam secutus sit, ut ab ea nunquam aberraverit? Solus Rex Messias & externe tenorem *justitiæ* constantissime conservat, & intimo animi motu ad eam exercendam fertur. Ita sceptrum ejus oppositum est *sceptro opprimentis* Jes. IX, 3. quin & *virgæ improbitatis*, ut graphice describitur Antichristianismus Ps. CXXV, 3. Et conferri possunt similes ejusdem descriptiones Jes. XIV, 5. Zach. X, 11. *Inde iterum Regii muneris Christi præstantia præ Regibus terrenis sequitur.*

XXI. Manifestum est ex hactenus pertractatis, omnes virtutes, proprietates omnes, quæ in tali Rege desiderari poterant, qui ad clavos universæ Ecclesiæ admovendus erat, in Messia locum pleniissime habere. Nil restat ad consum- *Transitur ad ordinationem Messiæ in Regem.*

Landesbibliothek Oldenburg

mandam fidem noſtram, niſi ut conſtet, quam rite ad iſtud faſtigium electus atque inauguratus ſit. Deus, cum prævideret regnum monarchicum lapſu temporis ſemini Jacobi arriſurum eſſe, id præcipue in mandatis dedit, *ut ſtatueret ſuper ſe Regem, quem elegerit Jehova Deus ſuus* Deut. XVII,15. Et hoc in Regibus primis ſancte obſervatum eſt, quos Deus tum per Prophetas, tum per conſultationem oraculi Urim & Tummim deſignavit. Sic Saulem delegit Deus 1. Sam. IX, 17. XII, 13. nec minus Davidem 2. Sam. VII, 8. *Sumſi te de caula, a paſcendo oves, & conſtitui te Ducem populi mei.* Ibid. XII, 7, *Unxi te in Regem & erui te e manu Saulis, & dedi tibi domum heri tui.* Hinc *Abenezra* ad l. cit. אשר יבחר · על פי נביא או משפט האורים והטעם לא אשר תבחר אתה i. *Quem elegerit Dominus ſcilicet per os Prophetæ, vel indicio Urim: adeoque ſenſus eſt, non quem tutemet elegeris ipſe.* Videri poſſunt de hoc ſtatuto *Altingius* l. cit. *Schickardus* de jure Regio cap. I. Theor. 2. p. 17. ſq. & *Carpzovius* in notis. *Scacchus* Arcan. Script. Myrothecio III. c. 10. *Gaulminus* ad vitam Moſis lib. II. c. 6. Apud gentes per κακοζηλίαν conſuetam idem aliquando obtinuit. Ita Heraclidæ ἔσχον τὴν ἀρχὴν ἐκ θεοπροπίου i. *imperium ex oraculo adepti ſunt*, ſecundum *Herodotum* in Clione cap. 7. Saltem per hypocriſin videri volebant, imperium cœlitus accepiſſe. Nota ſunt prætenſa ſæpiſſime oracula, efficta auguria, conſulti Vates, auſpicia regni a Deorum ſupplicatione facta, quale eſt illud quod *Plutarchus* de Numa: προσφερομένων δ' αὐτῷ τῶν βασιλικῶν παρασήμων, ὑπεχεῖν κελεύσας ἔφη, δεῖσθαι καὶ θεὸν τὴν βασιλείαν ἐνδιδόντα· αὐτῷ. παραλαβὼν δὲ μάντεις καὶ ἱερεῖς, ἀνέβαινεν εἰς τὸ καπιτώλιον i. *Proferentibus autem illi imperii inſignia, ſuſtinere jubens dixit, oportere Deum conſulere, qui ſibi imperium donaret; aſſumens autem Vates & Sacerdotes, aſcendit in Capitolium.* Ut jam præteream inaugurandi ritus a ſacrorum Miniſtris, in locis ſacris ipſisque Deorum templis perpetratos. Et eatenus non male, quia Reges terræ ſemper meminiſſe oportet, ſe quicquid ſplendoris majeſtatisque poſſident, Regi cœlorum debere

In populo Dei, Deus ipſe Reges inſtituit.

Apud gentes idem quodammodo creditum eſt.

Landesbibliothek Oldenburg

debere, eique gloriam & fructus omnes in solidum referendos. Hinc illud *Hesiodi* Theogon. v. 96. Ἐκ δ' ἦ Διὸς βασιλῆες i. *Ex Jove vero sunt Reges.* Ad populum tamen Dei quod attinet, sublimiora mysteria id Dei mandatum involvebat. Designatio Regis ab ipso Deo exspectanda triplici potissimum de causa. Nam 1) Respublica Israelis in eo ab omnibus mundi regnis diversa erat, quod non Monarchica, nec Aristocratica, neque Democratica, nec ex iis mixta, sed *Theocratica* erat. Unde si qui Regum nomen assumerent, ii tantum ut Pro-Reges habendi, quia summa rerum apud ipsum Deum in palatio sanctuarii jura dantem manebat. Pro-Reges vero nominandi jus non nisi penes ipsos Reges est. 2) Accedebat in fatis esse, ut e regio Israelis stemmate Messias oriretur, qui hoc pacto etiam secundum carnem regni Israelitici hæreditarium jus habere debebat. Prædictum hoc a Jacobo Gen. XLIX, 8-10. Impossibile vero erat, ut hoc Dei consilium impleretur, nisi ipse domum Virumque indicasset, cujus propagini hæc gloria secundum immutabile decretum servabatur. 3) Denique in hac re Israelem carnalem concernente, illustrioris cujusdam eventus in Israeli spirituali N. T. typus latuit. Ita enim adumbratum est, illum tantum a populo Dei pro vero Rege esse agnoscendum, quem constabat evidentissime a DEO electum, designatum, inauguratum esse. Hoc vero est illud κεχρῆσθαι, quod in Rege Messia agnoscitur, quando adjicitur: על־כן משחך אלהים אלהיך שמן ששון מחבריך i. *propterea quod unxit te, o Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Triplex ratio, cur Israël Reges a Deo acceperit:
1) quia regnum Theocraticum id exigebat:
2) quia e Regia familia Messias oriri debebat:
3) quia ita Reges Israëlis typus esse debebant cælestis Regis a Deo ipso instituendi & ungendi.

XXII. Nervosissima est appositio in repetitione nominis divini אלהים אלהיך O DEUS, DEUS TUUS: quam ut evidentissime exprimerent *Aquila* & *Hieronymus*, non dedignati sunt στοιχίζειν: Ille prius vertens θεέ, hic DEE, quamvis utrumque contra usum linguæ pugnet. Antecedens ergo ELOHIM iteratum ad Messiam alloquium est. Caussam

Nomen Elohim cum singulari emphasi bis ponitur.

hujus

hujus repetitionis jam §. 3. indicavimus. Per posterius Pater designatur, quod extra controversiam est. Quando vero uno halitu idem augustum divinitatis nomen & Patri & Filio tribuitur, in duabus veritatibus Theologicis ponderosissimis confirmamur. Altera est, plures personas reapse diversas & distinctas in essentia divina agnosci debere, quibus singulis seperatim nomen *Dei* competit, quod nervos Sabellianismo incidit. Altera, æqualem prorsus esse Filii cum Patre divinitatis gloriam, quia sine ullo minoritatis vestigio idem ei cum Patre nomen datur. Imitatus videtur hanc phrasin eodem respectu Johannes in principio Evangelii sui: ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος.

Pater potest spectari ut Deus Messiæ ex triplici fundamento:

XXIII. Qua emphasi Pater ELOHIM dicatur Exerc. IV. §. 8. explicatum est. Heic vero singulare illud additamentum invenimus, quod ELOHIM seu *Deus Messiæ* appelletur. Sæpiuscule Messias Patrem *Deum suum* nominat, Pſ. XVIII, 3. XXII, 2. XXXV, 23. XL, 9. LXIX, 4. CIX, 1. 26. Nullam hæc phrasis honoris divini imparitatem infert. Sunt, qui quoad humanitatem Patrem *Deum* esse Filii existumant, quia humanitas, qua creatura, fœderi operum subjecta & ad obedientiam Patris obstricta erat. Verum heic non est subsistendum, *tum* quia illa subjectio humanitatis Christi longe aliud fundamentum, quam fœdus naturæ habebat, *tum* quia in illo statu, quem Psaltes heic depingit, humanitas jam illis obedientiæ vinculis soluta, cœlestisque gloriæ consors est. Relatio Filii ad Patrem, qua Pater *Deus* Filii est, potissimum fluit ex singulari illo æterno fœdere, sive pacto inter Patrem & Filium, quo Filius libere se obstrinxit Patri ad illam obedientiam, per quam gloria sanctitatis & justitiæ divinæ manifestanda. Tum dixit ad Patrem: *Dominus tu es* Pſ. XVI, 2. & abinde *servus Dei* est appellatus Jes. XLII, 1. XLIX, 6. LIII, 11. Vicissim vero Pater se obstrinxit ad mercedem laboris Filio exhibendam, cujus potissima pars id ipsum regnum est in electos, quod heic describitur. Filius ergo demonstravit se Pa-

1) quia æternum inter eum & Patrem fœdus intercedit.

trem

trem pro *Deo ſuo fœderato* agnoſcere, quando δικαίωμα legis per exinanitionem ſuam implevit. Pater vero demonſtravit, ſe *Deum eſſe* Filii, obſtrictamque ei fidem ſervare, quando honore regio in exaltione Filii eum veſtivit. Ex quo patet, quia fœdus inter Patrem Filiumque per inaugurationem ejus in regnum conſummatum eſt, in hoc poſtremo actu fœderali Patrem potiſſimum meritum eſſe, ut tanquam *Deus* Filii conſideraretur. Atque ita ex ipſa hac denominatione fluit, quod jam in ſequentibus Vates perſequitur, ſcilicet, Patrem eſſe regni, quod Filius in Eccleſiam gerit, primum authorem. Poteſt tamen & alia de cauſſa Filius Patrem ut Deum ſuum conſiderare, quatenus ſcilicet vicem peccatorum geſſit. Sponſor enim induit perſonam & ſubit conditionem rei. Cum vero peccator Deum ut Legislatorem & Judicem conſiderare debeat ſupremum, quem cognoſcere, amare, colere obligatur, eandem merito obligationem ſubiit, qui loco peccatoris ſe Patri ſtitit. Hanc poſteriorem relationem latius exſequitur Celeb. *Roëllius* Epheſ. I. p. 457. ſeq. Denique myſtice quoque Filius poteſt Patrem ut Deum ſuum conſiderare, quatenus Caput eſt Eccleſiæ, cui in fœdere gratiæ Pater *in Deum* fit. Quia vero Filius cum electis unus eſt Spiritus, & in iis vivit,, hinc dum Pater eorum *Deus eſt*, ſimul pro Deo Filii agnoſci debet. Quomodocunque ſumas, quamvis hic priorem rationem præferendam putem, nihil hinc Photiniani lucrantur: nihil hic eſt, quod æqualitati officit. Libera eſt undiquaque & Oeconomica tantum Filii ſub Patre ſubjectio, & in majorem revelationem divinæ gloriæ Meſſiæ vergens, qui dum Patrem honorat, reciproce ab eo honoratur.

2) quia fidelium in obedientia ſua vicem geſſit.

3) quia Eccleſiæ caput & cum ea unum eſt.

XXIV. Ille enim, ait Eccleſia ad Meſſiam, UNXIT TE. Iliada nunc poſt Homerum non ſcribo, cum de officiis mediatoriis, ad quæ Filius Dei *unctus* eſt, deque ipſo *unctionis* ſymbolo generatim abunde tantum non in omnibus ſyſtematibus Theologiæ & præcipue ab iis, qui Symbolum Apoſtolicum, Catecheſinve Heidelbergenſem illuſtrarunt com-

Meſſias a Patre unctus dicitur, ut ejus in regnum a Patre ordinatio innuere-tur.

commentariis, actum ſit. Hic tantum *unctio* Chriſti ad munus Regium a nobis eſt tractanda. Illa opus Patris eſt, qui eum *unxit in Sione*, Pſ. II. 6. *conſtituit Dominum ſuper opera manuum ſuarum*, Pſ. VIII. 7. *coronam ei impoſuit*, Pſ. XXI 4. *altiſſimum fecit ſuper Reges terræ*, LXXXIX. 28. *poteſtatem & gloriam & regnum dedit* Dan. VII. 14. &c. Quam regni traditionem David præfiguravit, quando Salomoni adhuc dum vivus & ſuperſtes faſces tradidit, eumque inungi juſſit 1. Reg. I. 34. Unde frequenter Meſſias cum emphaſi *unctus Dei* vocatur Pſ. II. 2. XX. 7. LXXXIV. 10. CXXXII. 10. 17. Dumque ita *unctus a Patre* perhibetur, vel ec ipſo indigitatur, Meſſiam ad regnum ſuum rite a Patre electum & deſignatum eſſe. Unctio enim Regum eo potiſſimum fine fiebat, ut divinitus accepiſſe eos Regnum conſtaret. Hinc *Abarbanel* Comm. in 1. Reg. 1. היתה המשיחה לשתי תכליות האחד להיותה אות הבחירה האלהים לפי שהדבר או האיש אשר יבחר השם בו כדי להבדילו משאר הדברים ומאחיו היה ראוי שיעשה בו פעל ויובדל בו והוא היה מורה על היותו נבחר ולכן נמשח כאלו אותה המשיחה היא אות וסימן על הבדלתו לנבוה והמלך גם כן להיות בחירתו על פי השם חיה ראוי שנרע היותו נבחר וכן i. *Fuit unctio ob geminum finem. Unus erat, ut eſſet ſignum divinæ electionis. Propterea enim, ut res aliqua, aut perſona, quam eligeret Deus, diſtingueretur a rebus aliis & a fratribus ſuis, conveniens erat, ut fieret in ea quædam actio, qua diſtingueretur, & ea ipſa documento erat, electam eſſe. Atque idcirco ungebatur, ut illa unctio eſſet ſignum & indicium diſtinctionis ad exaltandum eam. Sic ergo & Regem, cujus electio juxta os Dei erat, decebat ungi, ut ſciremus, eum eſſe electum.* Nec iſtud prætereundum, quoniam cum iis, quæ in ſequentibus dicenda habemus, connexum eſt, tres a nobis *unctionis* Meſſiæ, ad inſtar Davidis ter ſimiliter uncti, periodos ſtatui. Prima reſpondet unctioni Davidis in domo Patris 1. Sam. XVI. & facta eſt per προθεσιν ab aeterno in conſilio pacis factam. Altera aliquatenus convenit cum priori unctione in Hebrone 2. Sam. II. & conſiſtit in colla-

Triplex unctioni Meſſiæ periodus diſtingui poteſt.

collatione illorum idiomatum & charismatum, per quae humana natura ad absolvendum opus redemtorium apta est reddita. Tertia conferri potest cum posteriori in Hebrone super totum Israëlem *unctione* 2. Sam. V. perque exaltationem Christi ad dextram in throno Dei implementum suum accepit. Ad ultimam *unctionem* hic potissimum respicitur, quae verus antetypus est *unctionum* in regnum Israëlis, rituumque variorum, qui circa eas observati. Potissimos breviter perstringere juvat. Literam illustrarunt praeter commentatores, *Pineda*, *Schacchus*, *Schickardus*, *Carpzovius*, *Menochius* atque alii. Ad mysterium praecipue sequentes circumstantiae referri debent. 1) *Unctio* fiebat a personis sacris. David *unctus* a Samuele 1 Sam. XVI. 13. Salomo à *Sacerdote* Zadoko & *Propheta* Nathane 1. Reg. I. 34. 38. In genere hoc praefigurabat sanctam & spiritualem regni faciem, quod Messiae destinatum erat. Porro & Prophetici atque Sacerdotalis muneris Christi cum Regio vinculum. Priora duo munera ante ab illo obeunda erant, quam regnare poterat, atque adeo ut caussa meritoria unctionis in regnum consideranda sunt. 2) *Ungendum* cingebant *satellites*, Crethi & Plethi, 1. Reg. I. 38. 2. Reg. XI. 11. Christus stipatus satellitio Angelorum & electarum animarum in gloriam introiit. Deut. XXXIII. 1. Ps. LXVIII. 18. Jes. VI. 2, 3. 3) Salomo ad *unctionem* deducebatur in *mulo* Patris sui Davidis. Dupliciter id in caelesti Salomone implendum. Simpliciter, quia nubem Pater missurus, tanquam signum gratiosi in Filio beneplaciti. Sed quia ipsa illa nubes figura erat rei alterius, nempe nubis testium veritatis, qui sunt *nubes cæli*, in quibus Christus venit, mysticae, hinc & mulus Davidis eodem respicit, designans Praecones verbi, e Judaismo oriundos, depictos per *asinam* Messiae Gen. XLIX. 11. Zach IX. 9. 4) *Unctio* fiebat ad *fontem*, & Salomonis quidem ad *fontem Gihon* 1. Reg. I. 34. In quo aliquid significativum ipsi Rabbini agnoscunt, volentes esse signum: שתמשך מלכותו ותתקיים ותחבשם i. *protrahendi atque confirmandi regni ejus.* Scaturi-

Circumstantiae unctionis Regum Israelis inaugurationem Messiae adumbrarunt.

1) *ungens erat Propheta & Sacerdos.*

2) *Ungendum cingebant satellites.*

3) *Salomo mulo Patris vehebatur.*

4) *Unctio ad fontem Siloah.*

turientes enim indefinenter *fontes* perennitatis inſtar habent. Sed plus tamen latet. Fons ille ipſius Chriſti regnum adumbrabat, qui in regno ſuo *fons vitæ* eſt, ex quo indefinenter *aquæ* chariſmatum Spiritus ſcaturiunt. Quae applicatio eo certior, quia *fons* ille *Gihon* idem fuit cum *fonte Siloah*, cujus aquae in templum deducebantur, indeque effluebant. Notiſſimum id in propheticis Spiritus Sancti Eccleſiae communicati & e throno Dei procedentis hieroglyphicum. Jeſ. VIII. 6. Ezech. XLVII. 47. Joel. III. 23. Zach. XIV. 8. Apoc. XXII. 1. 5) Poſt *unctionem corona* aliaque inſignia regni tradebantur. 2. Reg. XI. 12. 2. Paral. XXIII. 11. Quod itidem ſpiritualiter Meſſiae evenire debebat Pſ. XXI. 4. Cant. III. 11. Ezech. XXI. 27. Illius corona non tantum metonymice regiam poteſtatem, ſed etiam metaphorice, *tum* coronam vitae & gloriae immarceſcibilis, ut brabeum poſt victoriam obtinendum, *tum* idem quod thronus, Eccleſiam ipſam deſignat Jeſ. LXII. 3. rotunditate *coronæ* aeternitatem, perfectionem & univerſalitatem, auro ſanctitatem, *gemmis* eam diſtinguentibus gloriam & Miniſtros Eccleſiae N. T. reſpicientibus. 6) In manus Regis inter *unctionem* dabatur *teſtimonium*, ſeu exemplar Legis 2. Reg. XI. 11. Meſſias non tantum ſecundum praeſcriptum Legis & Prophetarum gubernacula regni adminiſtraturus, ſed ipſe etiam Legem obedientiae fidei prolaturus erat. Jeſ. II. 3. XI. 4. XXXIII. 22. 7) Homagium Regi poſt *unctionem* exhibebatur, quo pertinebat *oſculum* ei datum 1. Sam. X. 1. & *fædus* inter populum & Regem percuſſum, quo ſpontanea obedientia Regi promittebatur. 2. Sam. V. 3. 2. Reg. XI. 17. Idem Chriſto evenit, qui eſt *Filius oſculandus* Pſ. II. 12. *a populo ſpontaneitatum* Pſ. CX. 3. 8) *Tibiæ*, *tubæ*, *buccinæ* inflabantur 1. Reg. I. 39. 40. 2. Reg. XI. 14. quae cum in populo umbratili typus praeconii Evangelici fuerint, inde in hac quoque occaſione exprimebant, quomodo illud cum exaltatione Regis Meſſiae gentibus eſſet publicandum, & ubique proclamandum: *Deum eſſe Zionis Regem* Jeſ. LII. 7. Pſ. XLVII. 6-8. 9) *Uncto* Regi acclamabatur: *vivat Rex!* 1. Reg. I. 34.

5) *Corona imponebatur.*

6) *In manus lex dabatur.*

7) *Homagium oſculo & fœdere præſtitum.*

8) *Tibiæ, tubæ, buccinæ inflatæ.*

9) *Acclamatum vivat.*

2. Reg.

2. Reg. XI. 12. Nec deesse debebant vota fidelium & preces ardentes pro prosperitate regni Messiae Ps. XX. 2-4. LXXII. 1. 10) *Lætitia* generalis, *plaususque* & *epulæ* sequebantur, quin & holocausta & victimae pacificae secundum exemplum inaugurationis Saulis videntur oblatae 1. Sam. X. 8. 1. Reg. I 40. Initium regni Messiae in N. T. omnis laetitiae spiritualis initium fuit, & juncta sunt sacrificia justitiae & gratiarum actionis, quae populus Dei in Spiritu obtulit. Ps. XCVII. 8. C. 1-4. 11) *Munera* novo Regi offerebantur 1. Sam. X. 27. Messiae munera spiritualia, fructus fidei & obedientiae sistuntur. Ps. LXXII. 10. LXXVI. 12. 12) Post *unctionem* Salomo consedit in *throno Patris* sui Davidis 1. Reg. I. 35. 46. Messias quoque σὺν θρόνῳ Patris sui cœlestis evadere debebat, & pro vero successore Davidis agnoscendus erat.

10) *Lætitia generalis.*

11) *Oblata sunt munera.*

12) *In throno collocatus.*

XXV. Sed praecipuum coronationis adjunctum Psaltes memorat. Nam ad *unctionem* Regiam requirebatur OLEUM Quale illud fuerit, an idem cum *oleo unctionis* Exod. XXX. instituto, an diversum, de eo non exigua agitatur contentionis inter eruditos ferra. Ex professo de hac lite *Fortun. Schacchus* Myrothec. III. cap. XLV. seqq. Ego non diffiteor fuisse unctiones aliquas, quæ *oleo* illo *sacro* non potuere peractæ esse; quales illæ, quæ per Prophetas sunt collatæ, per Samuelem Sauli 1. Sam. X. 1. & Davidi in futuri regni præludium 1. Sam. XVI. 13. per Elisæum Jehu 2. Reg. IX. 1. 3. Sed ab his distinguendas puto illas *unctiones*, tanquam augustiores & solenniores, ad quas nonnisi Sacerdotes adhibebantur, qualis fuit *unctio* Salomonis per Zadocum. 1. Reg. I. 39. Joasi per Jojadam 2. Reg. XI. 12. & fors etiam ipsius Davidis per Abjatharem in Hebrone 2. Sam. V. 3. In tali enim casu *oleum sanctum* Sacerdotum etiam adhibitum esse, valde fit probabile 1) quia cornu *oleo* repletum, quo Salomo perfundebatur, ex tabernaculo petitum est 1. Reg. I. 39. quod a Zadoco factum, cui cura tabernaculi a Davide 1. Chron. VII. 39. demandata erat. Ubi conferri merentur, quæ habet *Lundius* de Sacerdot. Levit.

Oleum ad unctionem Regum, præcipue Judæ & typorum Messiæ adhibitum fuit oleum Sacerdotale.

id quod argumentis allatis defenditur.

vit. lib. I. c. 20. §. 3. 2) quia *oleum*, quo Davides unctus eſt, χρίσις *ſanctum* dicitur Pſ. LXXXIX. 21. *Inveni Davidſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.* 3) quia Judæorum Magiſtri ferme omnes conſentiunt. 4) quia res myſterio plena eſſe videtur, quod hæc ſingularis prærogativa fuerit Regum, qui e domo Davidis orti ſunt. Hoc innuiſſe puto *Gemariſtas*, de quibus *Abarbanel* Comment. in Exod. 30: אמרו בגמרא מלכי בית דוד נמשחים מלכי בית ישראל אינם נמשחים i. *Dicunt Gemariſtæ, Reges domus Davidis unguntur: Reges domus Iſraëlis non unguntur.* Quamvis enim objici poſſet exemplum Jehu, ipſiusque Saulis, qui etiam non fuit ex domo Davidis, difficultas tamen evaneſcit, ubi Doctores Talmudicos de ſolemniori illa unctione per manum Sacerdotis, quæ ſingulari modo beneplacitum Dei in Rege conſtituendo exprimebat, intelligimus. Quod cum *Abarbaneli* in mentem non venerit, fruſtra citato loco Gemariſtas ab erroris ſuſpicione liberare tentat. Perſpicacior fuit *Maimonides*, qui de Regibus Hebr. c. 2. §. 10. ex verſione Cl. Melch. *Leydekkeri* ita habet: *Non ungunt Regem Iſraëlis oleo unctionis, niſi oleo opobalſami, & nunquam ordinant in Jeruſalem Regem, niſi Regem Jeruſalemi, ex ſemine Davidis; non ungunt niſi ſemen Davidis.* Plures Rabbinos, notantes Prophetas *oleo* communiori unxiſſe, at Sacerdotes ſummos *oleo ſacro*, confert *VVeemſe* Exercit. Jud. c. 6. cui junge *VVagenſeilium* Telis Ignitis Satanæ Tom. I. p. 611. Ratio autem, cur hac prærogativa regium ſtemma Davidis ornabatur, haut dubie illa fuit, quia ex eo verus Iſraelis ſpiritualis Rex aliquando proditurus. Nec tanti eſt illud, quod ex interdicto Dei Exod. XXX. 32. 33. objicitur. Diſpenſatio enim de talibus præceptis in ſingularibus caſibus Deo libera fuit, præſertim cum per *homines*, quorum meminit v. 32. homines communis conditionis, non Reges, & illuſtres Meſſiæ typi, qui ipſi quoque pro perſonis ſingulari modo Deo conſecratis habendi, intelligi debeant: per *peregrinos* vero extranei, in quorum gratiam ne quidem comparari, multo minus adhi-

Difficultates in contrarium ſolvuntur.

beri

beri *oleum* ad instar *olei sancti* compositum sub pœna internecionis debebat. Cum ergo heic throni Davidici genuinus hæres *oleo* unctus introducatur, vix dubium est, quin ad *oleum* illud *sacrum* respiciatur: præsertim cum hæc invaluerit inter Judæos traditio, *oleum unctionis*, licet sub templo secundo non amplius superstes fuerit, temporibus Messiæ restituendum esse. Hinc *Abarbanel* comment. in Exod. XXX. supra citato: שלא נעשה שמן המשחה כי אם פעם אחת במדבר ועל ידי משה רבינו ולא יעשה עוד בעתיד שמן משחה אחר ולעתיד לבוא בימות המשיח עתיד הקבה להחזיר לעמו אותו שמן המשחה שעשה משה שנגנז עם הארון וצו ימשחו המלכים והכהנים הגדולים בימים ההם i. *quod confectum sit oleum unctionis duntaxat semel, nempe in deserto, idque per manus Mosis Magistri nostri, nec aliud conficiendum sit præterea in posterum, sed Deus, postquam advenerit Messias, restituturus sit populo suo oleum unctionis a Mose confectum, quod una cum arca fuit reconditum: quo quidem oleo inungendi sint Reges & Sacerdotes summi ejus ætatis.* In hoc saltem loco ad illud sacerdotale *oleum* respici, negari non potest, quia in sequenti versu clarissime talium aromatum mentio fit, quæ *oleo* sacerdotali erant immiscenda: & Jes. LXI. 3. per *oleum lætiæ* ad oleum sacerdotale alluditur, de quo infra §. 28.

Traditio Judæorum de oleo unctionis tempore Messiæ restituendo.

XXVI. Modum præparationis *olei sacri* Mosi præscribit Legislator, ajens Exod. XXX, 23—25. *Accipe tibi aromatum præstantissimum; myrrhæ ingenuæ quingenta pondo, & cinnamomi odorati dimidium ejus, ducenta quinquaginta: & calami odorati ducenta quinquaginta, & casiæ quingenta, prout est pondus sacrum, & olei olivæ hinem: Et parabis ex illo oleum unctionis sacræ, unguentum unguentariæ opere unguentarii: oleum unctionis sacræ esto.* In quæ verba commentarium non scribimus, post præstitam a Viris eruditissimis operam, inter quos consuli possunt *Scacchus* Elæochrismat. Myrothec. II. cap. 7. seqq. *Hottingerus* de jure Hebr. lege 107. sq. *Schickardus* de jure Regio cap. I. Theor. 4. p. 63. seq. & *Carpzovius* in notis: *Ursinus* Arboret. Biblic. Continuat. lib III. cap. 5. *Lundius* Sacerdotii

Quale fuerit oleum sacrum, paucis docetur.

dotii Levitici lib. I. c. 28. Et ſingularibus tractatibus de oleo unctionis *Balthaſar Scheidius*, Profeſſor Argentoratenſis, nec non *Georgius David Ziegra* diſſertatione inſerta Theſauri Philologici Tomo II. p. 900. ſeqq. Poſt quos omnes tamen fatendum eſt, in quibusdam inſuperabiles hactenus difficultates reſtare. De præcipuis aromatum ad *oleum* hoc ſanctum conficiendum adhibitis ſpeciebus ad verſum ſequentem quædam monenda ſunt. Sufficit heic obſervaſſe, tales fuiſſe, quas & pretium, & fragrantiæ ſuavitas præ aliis commendabat.

Oleum eſt ſymbolum commune Spiritus Sancti, idque tam commune, quam ſacrum.

XXVII. Iſtud certum eſt, *oleum* Spiritus ſancti commune ſymbolum in ſacris eſſe. Patebit hoc perpendenti loca Pſalm. XXIII. 5. XCII. 11. Jeſ. LXI. 3. Jerem. XXXI. 12. Matth. XXV. 3. 4. Apoc. VI. 6. Hinc Scriptura utriusque Teſtamenti oleis duabus comparatur Zach. IV. 3. Apoc. IX. 4. quia per eam dona Spiritus propagantur. Nec alio reſpiciebat *oleum*, quod ad ſacrificia Lev. II. 1. 2. VI. 15. 21. IX. 4. XIV. 10. 21. XXIII. 13. &c. & ad luminare tabernaculi Exod. XXV. 6. requirebatur. Neque prætereundum *oleum* a Jacobo lapidi infuſum in ſignum conſecrationis Gen. XXVIII. 18. XXXI. 13. XXXV. 14. adumbrans egregie Rupem illam ſalutis, *oleo* Spiritus olim inungendam: cujus reſpectu in Canaane cæleſti *oleum de petra fluit* Deut. XXXII. 13. Quin clariſſime *oleum unctionis* Pſ. CXXXIII. 2. eundem Spiritum adumbrat. Et vere, ſive *oleum* vulgare, ſive illud *unctionis* inſpiciamus, utrumque efficaciſſime Spiritum Sanctum, ejusque tum naturam & adjuncta, tum effecta depingit.

Oleum commune adumbrat Spiritum, tum in qualitatibus naturalibus, & adjunctis,

Naturam Sacroſancti Flaminis *oleum commune* deſignat: 1) quia inter liquores nobiliſſimum, pondere, vi, calore, duratione eos vincens, *pinguedine ſua honorans Deum & homines* Jud. IX. 9. Ita Spiritus S. divina eſt excellentia, potentia, ſanctitas & aeternitas. 2) *Oleum* eſt fructus oleae. Olea ſpiritualis Chriſtus eſt, & illius eſt Spiritus. Gal. IV. 6. 3) *Oleum* ex oliva per torcular exprimitur, & Spiritus in Oeconomia ſalutis ſupponit ſponſionem, & paſſiones Chriſti in *Gethſemane*, horto oleis inſtructo, cœptas. Simi-

Similiter comparari inter se effecta *olei* & Spiritus possunt. Effecta *olei*, quæ hic comparationem ingredi queunt, cumulavit *Eusebius* Demonstr. Evang. lib. IV. cap. 15. p. m. 173. quando in mysterio tale subinnui monet, quod καρπὸς τῆς φυτῆς παρέσηση, τὸ πάσης ἁμιγὲς ὑγρᾶς ὕλης, φωτὸς αὐξητικὸν, πόνον θεραπευτικὸν, καμάτων ἀπαλλακτικὸν, τὸ τῶν ἐπαλειψαμένων φαιδροποιὸν, φωτὸς δίκην ἀποστίλβον ταῖς μαρμαρυγαῖς, διαυγῆτε καὶ λαμπρὸν τῶν αὐτῷ χρωμένων ἀποτελοῦν τὴν ὄψιν, ὃ φησιν ἡ θεία γραφὴ, τῆ ἱλαρῦναι πρόσωπον ἐν ἐλαίῳ. i. *quod certæ plantæ fructus emittit, quod ex humida materia nihil habet admixtum, quod lumen auget, quod fessos sublevat, quod labores aufert, quod eos, qui ipso unguntur, hilares facit, quod instar luminis de se ipso vibrat splendores, nitidumque ac micantem eorum, qui ipso utuntur, comparat vultum: quod utique ipsum etiam divinæ literæ produnt in his verbis: ut exhilaret faciem in oleo.* Talia sane sunt effecta Spiritus. Non tantum enim in fidelibus, sed etiam in ipso Messia *olei* vicem gesit. 1) Sicut *oleum* ad lumina adhibetur, ita Spiritus in Christo fuit Spiritus *sapientiæ & intelligentiæ* &c. Jes. XI. 2. 2) *Oleum nitidam efficit faciem* Psal. CIV, 15. Vide *Gatakerum* Cinno II. cap. 17. *Stukium* Antiq. Conv. III. 15. p. m. 562. *Suicerum* in voce Ελαιον. Quod Messias pulchrior sit filiis Adami, istud quoque largiter in eum collatis Spiritus donis ex parte debetur. 3) *Oleum* membra penetrans occulta ratione iis robur, sanitatem & calorem ministrat. Hinc athletæ oleo perunctι: de quo consule *Mercurialem* Art. Gymnast. lib. I. c. 8. *Fabrum* Agonistic. II. cap. 2. & 5. *Spanhemium* in Callimach. p. 559. 560. p. 562. Ita quoque ad zelum & robur & constantiam Messiæ in consummando salutis opere Spiritus super eum requiescens auxilio fuit. 4) *Oleum* durissima emollit & solvit. Ita Spiritus & ratione Messiæ obices omnes regno ejus contrarios perrupit Zach. IV, 6. 5) *Oleum* a putredine conservat, & facit, ut res sint durabiles. Hinc merito pro symbolo æternitatis habetur ab Abarbanele ad Exod. XXX. c. 2. לכן היתה משיחתם בשמן להורות על נצחיות המעלה והקדושה ההיא: i. *idcirco unctio illorum*

tum in effectis quæ non tantum in fidelibus sed etiam Christo habet, illuminans, nitidum reddens, confortans &c.

peracta fuit oleo ad deſignandum æternitatem illam excellentiæ & ſanctitatis. Sane ſicut Spiritus æternus eſt, ita fas eſt, ut regnum illud durabile ſit, quod per illum gubernatur.

Oleum ſacrum eundem Spiritum ſignificavit.

Ulterius progredi poſſumus meditando, quando ſanctum *unctionis oleum* in cenſum vocamus. 1.) *Oleum* iſtud fuit ob admixta aromata *fragrantiſſimum.* Fragrantia hæc commodiſime celebritatem nominis deſignat, ſicut iterum *Abarbanel* l. cit. cap. 3. obſervavit: והסבה בו היא · שהבשמים מורים על השם הטוב ועל פעולות המעלה שיצא טבעם בעולם · כי כמו שהבשמים ריחם הולך למרחוק כן הוא השם הטוב וזה הוא לריח שמניך טובים שמן תורק שמך: i, *Cauſa hujus rei eſt, quia aromata bonum nomen deſignant & actiones laudabiles, quæ natura in lucem emanant. Sicuti enim aromatum odor longe diffunditur, ita & bonum nomen: quo illud pertinet* (Cant. I, 3.) *Ad odorem unguentorum tuorum optimorum, oleum effuſum nomen tuum.* Certe per Spiritum *bonus odor* gloriæ Meſſiæ latiſſime diffundendus erat, quod revera in loco, quem Judæus ex Cantico allegat, innuitur. 2) Sicut *aromata* iſta diverſi generis fuere, ita ingens eſt perfectionum Meſſiæ & regiarum ejus virtutum cumulus, quæ per Spiritum revelantur & in Eccleſia celebrantur Pſ. CXLV, 6-12. Jeſ. XVI, 5. &c. 3) Pleraque *aromata* erant guſtu amara: & nil magis Spiritus urget, quam ut pro merito paſſionum grates debitæ Chriſto perſolvantur. 4) *Oleum* ſoli Moſi conficere fas erat, qui Aaroni in Deum conſtitutus eſt Exod. IV, 16. Et in Meſſiam a nemine niſi a Patre conferri Spiritus poterat, qui Deus ipſius fœderatus erat. 5) Sicut vero idem erat *oleum*, quo ab antiquo Sacerdotes, & lapſu temporum Reges ex ſtirpe Davidis imbuebantur, ita regnum Chriſti eſt regnum Sacerdotale, in quo per Sacerdotium ſibi ad occupandum thronum regium viam paravit, inque ipſo regno vim Sacerdotii exſerit, uti in ſequenti exercitatione videbitur. Quin ulterius hic allegoriam urgere licet, ſimulque effecta in cenſum vocare, quæ Spiritus in fidelibus habet. Quando enim Meſſias ut *oleo unctus*

1) *quia fragrantiſſimum:*

2) *quia ex variis aromatibus compoſitum:*

3) *quia guſtu amarum:*

4) *quia oleum hoc a ſolo Moſe confectum:*

5) *quia Sacerdotibus & Regibus commune.*

Non dolent excludi effecta, quæ habet

ctus inducitur, spectandus est ut Caput fidelium, qui unus Spiritus cum ipso sunt 1. Cor. VI, 17. & in quibus ut ejusdem corporis membris per idem *oleum Spiritus* eadem effecta producuntur, per quæ imagini Messiæ similes evadunt, atque inde merito ut *uncti* considerantur. Deprehenduntur 1) in iis effecta *olei communis*: quia Spiritus eos illuminat, duritiem cordis frangit, pulcherrima Dei imagine animam vestit, amore divino pectus incendit, vitiorum morbos depellit, debilitatis robur addit, denique ut arrhabo hæreditatis in statu gratiæ electos constanter conservat. 2) Porro & in illis Spiritus se ut antitypum *olei* sacri demonstrat, *quando* efficit, ut bonus odor cognitionis & virtutum ab iis transeat ad alios: *quando* fructus varios sanctificationis alios aliis suaviores in iis excitat: *quando* patientiam in passionibus efficit: *quando* a nulla *hominis peccati* dispensatione, sed a solius Dei dispositione æterna operationes suas dependere ostendit: *quando* electos in Sacerdotium Regale Deo constituit. *Spiritus Christi in fidelibus.*

XXVIII. Peculiaris autem huic *oleo* tribuitur præstantia, quando *oleum* LÆTITIÆ nuncupatur. De hoc epitheto prolixe agit Fortun. *Scacchus* Sacror. Elæo-Chrism. Myroth. l. cap. 23. seqq. ubi evincere studet per שמן ששון intelligi *oleum susinum* sive *lileaceum*, quod apud veteres in summo pretio fuit. Inductus potissimum est in hanc sententiam per literarum in ששון & שושן *lilium* convenientiam, quæ ipsi pondus inde accipere visa est, quia conjiciebat, eodem totius Psalmi inscriptionem על שושנים alludere. Sed quamvis hæc erudite a Viro doctissimo excogitata sint, eique ansam dederint, haut proletariam eruditionis penum excutiendi, aliena tamen ab hoc loco sunt, non tantum quia diversa radix & forma vocis obstat, sed etiam quia in versu sequenti aromata exprimuntur, quibus oleum hoc conditum erat, inter quæ lilium non comparet. Subsistimus ergo in propria ששון *lætitia* significatione, quam etiam nimis operose a שמחה distinguit, cum hæ voces plerumque inter se commiscean- *Vocem* ששון *non designare oleum lileaceum contra Scacchum asseritur:* *sed potius communi notione accipiendam:*

tur, quin in verſu ſequenti per verbum שמח ad idem *gaudium* reſpiciatur, quod heic per ששון exprimitur. Saltem quod quidam cum *Scaccho* de ſolo gaudio rationali cordis noſtrum ששון explicent, id ſolide refutavit Celeberrimus *Bochartus* Hierozoic. I. lib. 2. p. m. 130. ſq. Id certum, binas potiſſimum notiones in hac voce connexas eſſe, *alacritatis* & *hilaritatis*, cujus utriusque inſtar eſt in equis, de quibus radix uſurpatur. Et utraque heic locum poteſt habere. *Alacres* ad opus reddit oleum, quibus illinitur, atque hanc *alacritatem* in Meſſia Spiritum operatum eſſe §. præcedenti innuimus. Sed potior tamen *lætitiæ*, *hilaritatisve* ſignificatio, quæ etiam hic præferenda, quia Jeſ. LXI, 3. qui ſolus extra hunc noſtrum locus eſt, ubi de שמן ששון mentio fit, iſtud triſtitiæ clariſime opponitur, ubi promittitur Zioni *ornatus loco cineris*, *oleum lætitiæ loco luctus*, *amictus laudis loco Spiritus confracti*: qui locus eo magis conferri cum hoc noſtro meretur, quia non tantum cum unctione indutio veſtium ſplendidarum connectitur, ſed & v. 16. indicatur, per hoc oleum ad oleum Sacerdotale alludi. Nam ibi ad unctos & indutos dicitur: *vos Sacerdotes Jehovæ vocabimini*, *miniſtri Dei noſtri dicemini*. Nec abſonum eſt, oleum aliquod dici oleum *lætitiæ*, tum quia in lætis occaſionibus, non tantum conviviis, quo noſtrum locum refert *Hammondus* in Matth. XXVI. ſed etiam nuptiis, inaugurationibusque illuſtrium perſonarum uſitatum; Ruth. III, 3. 2. Sam. XII, 20. XIV, 2. *tum* quia ad *lætitiam* excitandam adhibitum, tam in iis, qui eo perfundebantur, quam in iis, qui proxime accumbebant, gratosque ſimul odores percipiebant. Hinc profani Sapient. c. II. 7. *Vino pretioſo & unguentis nos impleamus*, *& non pertranſeat nos flos temporis*. Sic & Eccleſ. IX, 8. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida*, *& oleum ſuper caput tuum ne deficiat*. *Plinius* Hiſt. Nat. lib. XIII, 1, *Voluptas ejus*, *a noſtris quoque*, *inter laudatiſſima*, *atque etiam honeſtiſſima vitæ bona admiſſa eſt*, ubi voluptatem ex unguentis innuit. *Theophylactus* in Cap. VI. Marci p. 218.

quatenus alacritatem cum hilaritate junctam deſignat.

Oleum lætitiæ eſt, tum quod in lætis occaſionibus adhibitum, tum quod lætitiam cauſſatur.

p. 218. Ἐστι τὸ ἔλαιον καὶ πρὸς κόπους ὠφέλιμον, καὶ φωτὸς αἴτιον, καὶ ἱλαρότητος πρόξενον, καὶ σημαίνει τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, δι' ἧς τὸν κόπον ἀπαλλατόμεθα, τὸ φῶς, τὸ χαρὰν, τὸ ἱλαρότητα πνευματικὴν δεχόμεθα. i. *Oleum & ad labores utile est, & lucis fomentum, & hilaritatis effectivum, significatque misericordiam Dei, & gratiam Spiritus, per quam a laboribus liberamur, & lucem ad gaudium, hilaritatemque spiritualem accipimus.* Præcipue vero hic de oleo Sacerdotali istud memorandum, quod potissimum hujus denominationis fundamentum esse statuo, iis, qui eo uncti erant, luctum ejusque signa serio in lege vetari. Ita enim Lev. XXI, 10-12. *Sacerdos ille, qui maximus est fratrum suorum, cujus capiti infusum est oleum illud unctionis, & consecravit ministerium suum, induat vestes illas; caput suum ne retegito, & vestimenta sua ne rescindito: neque ad ulla cadavera mortui venito: ne pro patre quidem suo aut pro matre sua se polluito: neque e loco sancto exito, ut non profanet sanctuarium Dei sui.* Atque horum interdictorum hæc ratio a Legislatore additur: *Nam coronamentum & oleum unctionis Dei sui super ipsum est.* Et fors ex eodem fundamento quoque Reges fas erat a potioribus ingentis luctus indiciis abstinere, de quo videri possunt *Schikardus* de jure Regio cap. 6. Theor. 19. p 433. *Geierus* de luctu Hebr. c. IV. Nulla quidem rationis hujus consequentia in typo esse videtur: sed fortissima est in antitypo, quia *unctio* Regis Messiæ vera caussa *spiritualis lætitiæ* tum ipsi, tum universo populo ejus futura erat. Hinc in *Michlol Jophi* ad h. locum: שמן ששון · כי כל העולם שמחו כאשר משחך אלהים i. *Oleum lætitiæ, quia mundus universus lætatus est, quando unxit te Deus.* Et *Basilius* in hunc Psalmum Tom. I. pag. 258. Καλῶς ἡ ἀγαλλιάσεως ἔλαιον τὸ πνεῦμα προσαγορεύεται, ἐπειδὰν καὶ εἷς τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἀγίου γεωργουμένων καρπῶν ἐστιν ἡ χαρά. i. *Pulchre autem oleum exultationis Spiritus appellatur, quoniam unus hic inter fructus numeratur, quos in nobis operatur ac gignit Spiritus Sanctus, nempe gaudium.* *Oleum* Spiritus Messiam ipsum gaudio perfundit, quia per eum in Caput Ecclesiæ constituitur,

Oleum Sacerdotale est oleum lætitiæ quia Sacerdotibus omnis luctus interdictus,

ut & ex parte Regibus.

Spiritus Messiæ verus lætitiæ spiritualis in ipso & fidelibus fons fuit.

Landesbibliothek Oldenburg

quam ut peculium posſidere, & in qua perenni præconio virtutes ejus celebrari debebant. Unde dies inaugurationis ſuæ eſt *dies lætitiæ animæ ſuæ* Cant. III, 11. Pſ. XXI, 7. Nec diverſa eſt illa *lætitia*, in cujus *ſatietate* poſt adſcenſum ſuum in cœlos gloriatur Pſ. XVI, 11. Idem oleum populo ejus ingentem *lætitiam* cauſſatur, quia exaltatio Chriſti in regale faſtigium prærequirebatur, ut parta per ſanguinem ejus bona dividerentur, inter quæ bona *lætitia* ſpiritualis ſingulari modo eminebat. Vide de *lætitia* ſanctorum in Rege ſuo Pſ. II, 11. XLVII, 6. 7. LXVII, 5, LXXXIX, 16. 17. XCVII, 8. Cant. I, 4. Jes. IX, 3. 4. LII, 7. 9. &c. Ex profeſſo de ea tractamus Exerc. XI. §. 19 ſq.

Unctio Meſſiæ oleo Spiritus tres periodos habet: 1) facta eſt ab æterno per promiſſionem Spiritus:

XXIX. Cum vero ſupra obſervaverim, *tres* ſibi invicem ſuccedentes *unctionis* Meſiæ periodos poſſe ſtatui, id firmiter tenendum, nullam earum unctionum ſine *Oleo Spiritus* fuiſſe. 1) In ipſo æterno conſilio pacis, in quo ſe *unctum* teſtatur Proverb. VIII, 23. non dubitandum, quin *oleo Spiritus* unctus ſit, quia jam tum promiſſio Spiritus ipſi facta eſt a Patre, quodque illius comitatu & auxilio in ſuſcepto redemtionis opere gaviſurus, & illius opera ſucceſſum & fructum laboris ſui amplisſimum percepturus eſſet. Hæc promiſſio Spiritus in decreto Dei, quod Pſ. II, 9. enarratur, ubi *ſceptrum* Meſiæ addicitur, ſimul continetur: & eo magis noſtram attentionem requirit, quia inde patet, quas partes tertia Perſona SS. Trinitatis in conſilio pacis geſſerit. 2) Altera *unctionis* periodus eſt miſſio Meſiæ in mundum & collatio idiomatum mediatoriorum humanæ naturæ facienda. Ad eam *oleum Spiritus* in Meſiam effundendum erat. Sicut enim, quicquid ad ſanctificandum ſemen Dei pertinebat, huic Spiritui demandatum erat, ita illius quoque ſanctificatio, qui totius ſeminis ſpiritualis Caput erat, a Spiritu exſpectabatur. Non quaſi humana natura per hypoſtaticam ſuam cum Deitate unionem non ſanctiſſima, & ad opus ſuſceptum idonea fieri poſſet: ſed *tum* ut Œconomia ſalutis, quæ inter tres Perſonas

2) fieri debebat in nativitate per operationes Spiritus in humana natura:

sonas opus redemtionis sapientissime divisérat, observaretur: *tum* ut ad arctissimam Messiæ cum fidelibus unionem via sterneretur, quando idem Spiritus in Capite & in membris, in prototypo & ectypo operabatur. Hoc promissum ratione missionis in mundum Jes. XLVIII, 16. ubi Messias testatur: *nunc Dominus Jehova mittit me, & Spiritum suum.* Ita enim vertendum, & non cum quibusdam *& Spiritus ejus*, in nominativo. Missio enim Filii nusquam ut opus Spiritus consideratur: nec convenit id cum ordine operandi, qui circa opus redemtionis inter Personas divinas constitutus est. Sed Spiritus mittendus erat cum Filio, quia a primo incarnationis ejus initio super humanam ejus naturam quiescere, inque ea operari, sicut operatur in fidelibus, quamvis illustriori longe modo & mensura, debebat. Unde ex hac unione Spiritus cum Filio fluebat communicatio illa perfectionum, quæ Jes. XI, 2. percensentur. Postquam enim *ut surculus ex radice Jesse* descriptus erat Messias, additur: *Super quo quiescet Spiritus Jehovæ: Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & potentiæ, Spiritus scientiæ & timoris Jehovæ.* Perfectiones vero illæ in munere prophetico, quod Messiæ in terra adhuc degenti obeundum erat, demonstrari debebant. Hinc iterum Jes. LXI, 1. *Spiritus Domini Jehova est super me, eo quod unxit Jehova me ad evangelizandum mansuetis, misit me ad obligandum fractos animo &c.* 3) Luculentissime vero in tertia & consummata unctione, in ipsa inauguratione regia, Messias *oleo Spiritus* imbuendus erat: quia tum plena potestas ipsi danda, ad mittendum Spiritum, sicut ipse a Patre missus erat, ea fini, ut ii pro quibus satisfecerat, actu ipso e faucibus inferni liberarentur, omnibusque bonis a se partis cumularentur. Hic est *alter* ille *Testis*, *quem* Zioni *redditurus* Zach. IX, 11. Hæc sunt illa *dona*, quæ *in altum adscendens accepturus erat* Psal. LXVIII, 19. de quibus ad sequentem versum plura.

3) *Plenissime ungendus erat in exaltatione, per concessam effundendi Spiritus potestatem.*

Pro-

Eadem Spiritus communicatio per typos adumbrata eſt.

Prophetiis de Meſſia per Spiritum *ungendo* reſpondent typi. Talis eſt typus Schechinæ, ſive inhabitationis divinæ in ſanctuario, quæ non tantum Filii ſed etiam Spiritus Sancti fuit, uti colligi poteſt ex Jes. LXIII, 10. 11. Unde inter res, quibus templum ſecundum caruit, a Judæis quoque Spiritus Sanctus numeratur. Addi poſſunt Moſes, Joſua, Simſon, aliique illuſtres in Œconomia veteri Viri, qui ſingulari modo ad functiones ſuas typicas per operationem Spiritus Sancti idonei redditi ſunt.

Per conſortes Meſſiæ non ſoli fideles & Apoſtoli intelligendi, ſed

XXX. Excellentia hujus *unctionis*, quæ in ſe ſumma eſt, evidentior redditur a Pſalte per comparationem: SUPER CONSORTES TUOS. Vox חבר a חבר vertitur per μέτοχος, κοινωνὸς, φίλος, ἑταῖρος &c. Unde latiſſima ejus hic poteſt eſſe ſignificatio, quæ ſub ſe comprendendit omnes, quibus aliqualis cum Chriſto aut amoris aut officii intercedebat communio. Nec video cur poſt *Altingium Gouſſetus* in radice חבר ad ſolos fideles reſtringi velit eam. Argumentum enim quo utitur, quod Hebr. I, 9. ſervata ſit vox μέτοχος, non tantum ficulneum eſt, ſed etiam contrarium aſſerit, quia illa quoque generalis eſt, ſicut Cl. *Rivetus* ad h. locum docuit. Sic Hebr. VII, 13. dicitur de iis, qui ejusdem tribus participes ſunt: 1. Cor. XI, 21. qui menſæ &c. Multo minorem rationem habet *Wittichius*, ad ſolos Apoſtolos reſtringendi. *Socii* igitur ſive conſortes Meſſiæ poſſunt eſſe. 1) ii, qui typice eadem cum Meſſia officia in V. T. geſſerunt, Prophetæ, Sacerdotes, Reges. 2) Dominatores Iſraelis, qui metaphorice Elohim dicuntur Pſ. LXXXII, 1. 6. quique Cant. I, 7. tales *ſocii*, apud quos Chriſtus fruſtra quærebatur. 3) Angeli, quorum eſt Archangelus. 4) Apoſtoli, & Præcones Evangelii, qui erant *amici ſponſi* Joh. III, 29. XV, 14. 15. 5) Eccleſia triumphans. 6) Fideles omnes, qui ſunt ejus כוהנים i. amici intimæ admiſſionis, quibus סוד יהוה *arcanum Jehovæ* revelatur Pſ. XXV, 14. *Abenezra* in h. locum: אם המזמור על דוד יהיה מחבריך שאול ואם על המשיח חסידים אחרים ברורו: i. *Si*

1) omnes typi Meſſiæ:
2) Dominatores Iſraelis:
3) Angeli:
4) Apoſtoli:
5) Beati:
6) Fideles:

i. *Si canticum de Davide agit, tum hoc: super socios suos, ad Saulem est referendum: sed si de Messia, tum cæteri sancti in tempore ejus intelligendi.* Cavillationes, quas Judæi ex hac conjunctione sociorum cum Messia fabricant, non merentur, ut moram nobis faciant. Videsis, quæ contra R. *Lusitanum* disputat *Mollerus* Judaismi c. 18. §. 8. Nobis non hærebit aqua, si tantum modum comparationis perpendamus.

Cum his sodalibus ita per præfixum מ *confertur Messias, ut indicetur,*

XXXI. Præfixum מ indicat, quanta sit Messiæ inter hos omnes prærogativa. Sunt quidem, qui id vertunt, *propter*, ut sensus sit, unctionem Christi in commodum fidelium factam, inter quos *Flaccius*, *Waltherus*, alii. Sed recte observat *Geierus* obstare claram allegationem Ebr. 1, 9. ubi non est מִ, sed ἀπὸ τῶν μετόχων σου. Interea ipsum istud מִן varias patitur interpretationes, quæ hic apte conjungi possunt. 1) Frequentissime vertitur per SUPRA, sive PLUS QUAM. Et tum innuitur, esse quosdam inter *consortes suos*, qui etiam unctione aliqua tam literali, quam mystica gaudeant. Sic Sacerdotes & Reges populi Dei externo oleo uncti: quin ipsius *olei Spiritus* participes fiunt Doctores Ecclesiæ, & fideles singuli. Et habent suam unctionem Angeli, quatenus in veritate confirmati sunt. Sed *super* hos omnes unctione sua evehitur Messias, quod nimium hypothesi suæ inserviens absque omni ratione *Noldius* ad Concord. not. 1835. negat. Quomodo *super* unctiones typicas ejus unctio excellat, id per se patet. Et licet eodem Spiritu inungantur fideles, præstat tamen unctio Messiæ *tum* ob intimam Personæ Filii cum Persona Spiritus sancti unionem: *tum* ob majorem fructuum ex hac unctione redundantium mensuram. Sic *Hieronymus* Com. in Jes. 61. *Quando consortes nominantur, naturam carnis intelligit, quia Deus consortes substantiæ suæ non habet; Et quia erat unctio Spiritualis, & nequaquam humani corporis, (ut fuit in Sacerdotibus Judæorum) idcirco præ consortibus, id est, cæteris Sanctis unctus esse memoratur, cujus*

1) eum mensura unctionis consortes antecellere:

unctio illo expleta eſt tempore, quando baptizatus eſt in Jordane, & Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ deſcendit ſuper eum, & manſit in illo. De hac præcellentia latius diximus ad v. 3, Exercit. III. §. 15. quod heic conferendum eſt. Super ipſos Angelos hæc unctio eum provehebat, quia iſti tantum *ſtellæ* Job. XXXVIII, 7. ipſe vero eſt *Sol juſtitiæ* Malach. IV, 2.

2) ejus unctione conſortes reliquos excluſos:

2) Sed verti etiam poteſt PRÆTER, id eſt, excluſis ſodalibus. Hoc *Kimchio* & *Simeoni* de *Muis* non diſplicuit. Et fatendum, ſingulare pondus hanc verſionem accipere, ex obſervatione Judæorum, qui exiſtimant, non omnes Reges populi Dei unctos eſſe, ſed eos potiſſimum, quibus de regno a fratribus & aliis idem ambientibus lis movebatur. *Maimonides* Hilchot Melachim. c. 1. §. 12. ואין מושחין מלך בן מלך אלא אם כן היתה שם מחלוקת או מלחמה מושחין אותו כדי למלך המלחמה לפיכך משחו שלמה מפני מחלוקת אדוניה ויואש מפני עתליה ומשחו יהואחז מפני יהויקים אחיו: 1. *Non ungunt Regem filium Regis, niſi ſit aliquod diſſidium, aut bellum. Ungunt enim, ut ceſſet diſſidium. Ideo unxerunt Salomonem propter diſſidium cum Adonia, & Joaſum propter Athaliam, & Joachaſum unxerunt propter Jehojakimum fratrem ſuum.* Ad ipſos Reges Iſraelis hoc extendit *Abarbanel* in Exod. XXX. cap. 9. הני ביארו שכפי הדין אין מושחין למלכי ישר' ואם יביא ההכרח אליו מפני המחלוקת אז לא ימשח בשמן למשחה אלא בשמן אפרסמון: 1. *Ecce ſtatuunt, non fuiſſe oleo perfundendos Iſraelitarum Reges, ſed ſi neceſſitas id interdum poſtularet propter controverſiam de regno, tunc oleo balſami non autem oleo unctionis ſacro peractam fuiſſe unctionem.* Addi poſſet, eandem quoque rationem repetitæ Davidis unctioni adfuiſſe, propter ſuperſtites ex domo Saulis. Merito ergo Meſſias, ut antitypus, unctus dicitur *excluſis ſodalibus*, quia ei quoque de regno Iſraelis ab iis, qui faſces reipublicæ Iſraelis gerebant, lis

ubi confertur, quod apud Judæos illi tantum Reges ungebantur, quibus a fratribus lis mota:

moven-

movenda, cum partim *alium dotarent* Pſ. XVI, 4. partim ſe pro *Diis* venditarent, inter quos & Meſſiam lis diſceptatur Pſ. LXXXII, 1. 3) Denique nil abſonum facerent, qui verterent SUPER, ſcilicet ut *ſuper* illos *conſortes* ſuos dominaretur. Scilicet hic revera fuit finis unctionis Meſſiæ, ut ei faſces traderentur in populum ſuum, & in ipſos Angelos, ſecundum Pſ. CIII, 19-22.

3) *ipſum ſuper conſortes dominatum accepiſſe.*

XXXII. Atque hoc eſt, quod evidenter patet ex nexu hujus commatis cum præcedentibus per particulam עַל De ſenſu hujus particulæ Exercit. IV. §. 11. dictum eſt. Eandem emphaſin hic habet, ut non *propterea*, ſed QUANDOQUIDEM, *propterea quod*, vertendum ſit, & indigitet, unctionem Meſſiæ non fructum, ſed cauſſam deſcriptæ regiæ excellentiæ eſſe. Merito id urget Cl. *Noldius* ad Concord. not. 1791. Omnis enim excellentiæ in Meſſia, ut Mediatore, unctio ejus cauſſa eſt. Habuimus v. 3. exemplum excellentiæ ejus in Prophetico munere: heic illa quoque, quam in regio officio poſſidet, ex eodem fonte derivatur. Ex duplici titulo iſtud laudavit Hieropſaltes, ob æternitatem & ſanctitatem. Utrumque attributum fluit ex unctione. Quidni enim regnum illud æternum eſſet, ad quod Deus a Deo per Deum unctus, quod in teſtamento æterno legatum, cujus obſes ipſe Spiritus datus eſt? Quidni ſanctum eſſet, cum Spiritus ille Sanctus ſit, qui menſura largiſſima in Meſſiam effuſus, cumque per eundem Spiritum, quo ipſe pleniſſime ſanctificatus eſt, Eccleſiam quaſi ſceptro gubernet? Non potuiſſent ergo fluctuare, quam connexionis rationem præferrent, Interpretes, ſi tantum conſideraſſent, *tum* unctionem in latiſſimo ſenſu hic ſumendam eſſe, *tum* αἰτιολογίαν, quam proponit Vates, non modo cum præcedentibus verbis: *Amaſti juſtitiam & odiſti iniquitatem*, ſed cum integra de prærogativis Regni Chriſti agente pericopa connectendam eſſe.

Unctio Meſſiæ ut fons omnis excellentiæ, quam in regno ſuo habet, conſideratur.

præcipue æternitatis

& ſanctitatis.

XXXIII. Quantum vero ex ipſa hac *unctione* regno Meſſiæ accedat ſuper omnia regna mundi pondus, id facile col-

Novum argumentum in hac pericopa

continetur ad præſtantiam Meſiæ præ filiis Adami confirmandam.

ligitur. Talis enim per Spiritum Dei *unctio* aliquid prorſus inauditum eſt inter Reges mundi. Et quamvis Reges quidam fuerint in populo Dei, quibus dona Sancti Spiritus, non fuere denegata, tam illa, quæ nominari ſolent heroica, quam illa, quæ gratiæ ſalvificæ eos compotes fecere, eatenus tamen tantum inter *conſortes* ejus numerari poſſunt, *ſuper* quos Meſſiam *unctio* ſua infinitis modis evexit. Cum ergo Meſſias talis Rex ſit, qui ipſe verus *Deus*, qui regnum habet *æternum*, qui in exercitio *juſtitiæ* omnibus mundanis Regibus eſt præferendus, cujus *ſceptrum* potentia ſua omnes vires humanas antecellit, qui ſolus ita *unctus* eſt, ut ſimilis unctio in nullam creaturam cadat, Ecce heic iterum *pulcherrimum inter filios hominis*! I. Q. E. D.

Implementum Prophetiæ per partes demonſtratur. Chriſtus in Eccleſia Chriſtiana pro vero Deo agnitus eſt.

XXXIV. Ut hanc quoque Prophetiam in Jeſu Chriſto impletam eſſe demonſtretur, non opus eſt multis ambagibus.

1) Merito ab Eccleſia compellatur, ut *Deus*, quia illum eſſe verum & ſummum Deum longe evidentius, quam antea, a populo Dei poſt ſuam exaltationem agnitum eſt. Ex ſcriptis novi Teſtamenti res eſt notiſſima. Joh. I, 1-5. XX, 28. Act. XX, 28. 1. Tim. III, 16. Et alias *Deus* cum emphaſi ſumma compellatur, præcipue Rom. IX, 5. *Ex quibus eſt Chriſtus, quod ad carnem attinet, qui eſt ſupra omnes Deus benedictus in ſecula.* 1. Joh. V. 20. *Hic eſt verus Deus & vita æterna.* Strophas hæreticorum ab aliis jam abunde eliminatas nunc non moror. De unanimi Eccleſiæ primitivæ in eandem rem conſenſu jam monitum aliquid Exercit. præcedenti §. XXXIX. n. 10 & conſuli poſſunt, qui hanc rem ex profeſſo ex teſtimoniis Patrum probatam dederunt, *Forbeſius*, *Amandus Polanus* Symphon. Cathol. cap. 2. & uberrime *St. le Moyne* Var. Sacr. T. II. p. 142. ſeqq. Solum heic excerpere placet Gaji teſtimonium, qui apud *Euſebium* Hiſt. Eccl. lib. V. c. 27. contra Artemonis ſectatores Deitatem Chriſti impugnantes ita loquens introducitur: *Affirmant*, impii illi θεομάχοι, *omnes priſcos, & ipſos Apoſtolos,*

los, ea, quæ ab ipsis nunc dicuntur, & accepisse, & docuisse, ac prædicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad tempora Victoris, qui tertius decimus, a Petro, Romanæ urbis Episcopus fuit: a Zepherini vero temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem. Ac fortasse id quod dicunt credibile videretur, nisi iis refragarentur, primum quidem sacræ scripturæ, deinde fratrum quorundam scripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversus Gentes, & contra sui temporis hæreticos, pro veritatis defensione scripserunt. Justinum intelligo, & Militiadem, & Tatianum, ac Clementem, aliosque quamplurimos, in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Irenæi quidem, & Melitonis, & reliquorum scripta quis est, qui ignoret? In quibus Christum Deum simulac hominem prædicarunt. Psalmi quoque & cantica fratrum, jam pridem a fidelibus conscripta, Christum verbum Dei concelebrant, Divinitatem ei tribuendo.

2) Nec tantum pro Deo agnovit, sed etiam ut unicum REGEM suum salutavit Ecclesia Christiana. Regem se ipsum professus est Salvator noster Joh. XVIII, 37. Et de regno ejus passim. Quin talis Rex evasit, qui longe supra Reges terrenos evectus est, *Princeps Regum terræ* Apoc. I, 5. *Rex Regum & Dominus Dominorum* Apoc. XVII. 14. XIX, 16. cui omnia subjecta sunt Matth. XXVIII, 18. Ephes. I, 21-23. *& pro Rege unico,*

3) Utque magnificentia Regis nostri eo magis patesceret, THRONUS ejus cœlestis laudatur Hebr. XII, 2. Apoc. III, 21. *in thronum cœlestem evecto.*

4) Regnum, quod accepit, stabile & ÆTERNUM est. Hinc *Rex seculorum immortalis*, & *regnum* ejus *æternum* dicitur 1. Tim. I, 17 coll VI. 15.16, *Nam oportet eum regnare, usque quo omnes inimicos posuerit sub pedibus ejus* 1. Cor. XV, 25. *Regnum accepit æternum.*

Ante nativitatem ejus ida Gabriele promiſſum Luc. I, 32. 33. *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, dabitque ei Dominus Deus ſedem Davidis, patris ejus. Regnabitque in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.* Et propterea ſymbolo Nicæno in Concilio Conſtantinopolitano inſerta ſunt verba: οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος: quod neceſſum judicarunt Patres contra hæreſin Marcelli, qui videbatur æternitatem regni Chriſti negare. An tamen mentem ejus recte percèperint, dubitare licet. Confer quæ in hanc rem notavit *Pearſon* in Symb. p. 514. 515. Eventus hactenus ſtabilitatem throni Chriſti probavit, quia Eccleſia inter tot portarum inferni molimina inconcuſſa ſtetit, & quicunque contra hoc regnum ſurrexerunt hoſtes, Judæi, Gentiles, Hæretici, Barbari, Muhammedani, Antichriſtus, partim impietatem ſuam jam graviſſimis luerunt pœnis, partim contra imbellem, parvumque & brachio carnis deſtitutum gregem incaſſum fremunt.

Utitur in eo ſceptro Spiritus.

5) Atque hæc inconcuſſa regni Chriſti conſtantia majorem meretur admirationem, quia nullis carnalibus adminiculis ſed ſolo verbi & Spiritus SCEPTRO utitur. Spiritum effudit Act. II. Verbi miniſterium inſtituit & conſervat 2. Cor. V, 18. 19. Eph. IV, 11. 12.

Juſtitiam conſummatam in regno ſuo Chriſtus revelat.

7) Regnum hoc eſt REGNUM JUSTITIÆ, & ipſa *juſtitia* Rom. XIV, 17. quia juſtitia peccatoris coram Deo in eo revelatur, offertur, applicatur. Porro manifeſtat in viis ſuis, ſe AMARE JUSTITIAM, ET ODISSE INIQUITATEM, quia ſanctum requirit populum, omnesque impios a communione regni ſui excluſos vult. 1. Cor. VI, 9. 10. 1. Pet, I, 15. II, 9. Apoc. XXI, 8. 27. Quin unicuique rependit ſecundum opera ſua Apoc. XXII, 12. Quod præcipue patet in epiſtolis Apocalypticis internum univerſæ Eccleſiæ novi Teſtamenti ſtatum exprimentibus, Apoc. II. & III. in quibus Salvator noſter ſingulorum ſe opera comperta habere teſtatur, & pro eorum diverſitate his mercedem, illis pœnas minatur.

7) Fun-

7) Fundamentum regni ejus UNCTIO fuit PER SPIRITUM SANCTUM, cui illustre testimonium perhibet Petrus Act. X, 38. *Vos nostis, ut Jesum illum Nazarethanum unxerit Deus Spiritu Sancto & potentia.* Unctionem jam ab æterno factam involvunt loca, quibus *regnum illi testamento dispositum* Luc. XXII, 29. ipseque ut *præcognitus ante jacta mundi fundamenta* 1. Petr. I, 20. memoratur. Clarius Spiritu Sancto unctus est ab ipsa sua conceptione, cujus nuntium Gabriel, quem Spiritum Sanctum fuisse supra probabile fecimus. primus tulit. Hoc comprehensum in verbis Luc. I, 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi inumbrabit te,* Quamvis enim non repugnem iis, qui per *Spiritum Sanctum* in hoc loco æternum Spiritum Deitatis Christi intelligunt, cujus sane in assumtione naturæ, quæ ejus templum futura, primæ partes erant, per *Virtutem* tamen *Altissimi* tertiam personam designari non dubito. Non quasi formatio humanæ naturæ illi sit adscribenda: hoc enim opus œconomicum Filii erat; Sed quia ille, convenienter cum Œconomia salutis, in qua ipsi, quicquid ad opus sanctificationis pertinet, demandatum fuit, ab omni labe peccati originalis sanctissimum fœtum præservavit. Quamvis enim præter ordinem naturalem fœtus ille conceptus erat, ne sic tamen satis ab inquinatione securus fuisset, in utero peccatricis, a cujus sanguine impuro utcunque incrementa capiebat, nisi immediata Spiritus Sancti potentia intercessisset. Unctionis hujus effectus in successu patuit, cum adolescens ἐκραταιοῦτο πνεύματι Luc. II, 40. & πλήρης Πνεύματος ἁγίου inchoaret munus Propheticum Luc. IV, 1. qui sub symbolo columbæ super caput ejus conspiciebatur Matth. III, 16. & in tentationibus Satanæ ipsi aderat Matth. IV, 1. Accessit denique tertia unctio per & post exaltationem. Nam in ea *promissionem Spiritus Sancti a Patre nactus est* Act. II, 23.

Triplex quoque Salvatoris nostri unctio indicatur:
1) ab æterno:
2) a conceptione & nativitate:
3) post exaltationem.

8) Prærogativa vero ejus SUPRA CONSORTES SUOS ex amplissima Spiritus Sancti mensura sequitur. *Non enim*

Spiritus illius tanta mensura fuit, ut

omnibus consortibus præferendus.

enim ex mensura dat Deus Spiritum Joh. III, 34. Qui locus primario exprimit mensuræ omnis expertem modum, quo Spiritus ejusque dona in Filium a Patre collata sunt. Excellentiam unctionis Christi in Salvatore nostro per partes ostendimus Exerc. III. §. 18.

Miserrimi sunt, qui huic Regi regnum disputant.

XXXV. Eccum Regem regno cœlesti, amore Sponsæ, obedientia populi sui, honore creaturæ, timore hostium dignissimum, Regem æternum, Regem justissimum, Regem Spiritu Dei supra omnes Angelos & Filios Dei instructum, & ut uno verbo omnem spem, omnemque excellentiam complectamur, REGEM DEI, REGEM DEUM! Ah! miserrimam Judæorum cœcitatem, qui noluerunt, & etiamnum *nolunt*, *hunc super se dominari* Luc. XIX, 27. Intolerandam infaustorum Socini assectarum vesaniam, qui summum gloriæ ejus fastigium suis cavillis obtenebrare studeant! Ah execrandos Antichristi, Regumque veritatis hostium furores, qui fundamina hujus regni revellere arte, machinis, minis, tormentis, igne, sanguine incassum quærunt! *Quare tumultuantur gentes, & nationes meditantur inane? Sistunt se Reges terræ, & Proceres consultant simul contra Iehovam, & contra UNCTUM ejus. Dicentes: disrumpamus lora istorum, & projiciamus a nobis densos funes istorum. Sedens in cœlis ridet: Dominus subsannat eos. Tunc alloquetur eos in ira sua, & in æstu iræ suæ perturbabit eos.* Pſ. II, 1-5. Vide judicia in eos, qui contra hunc Regum Regem unquam & usquam insurrexerunt, effundenda graphice depicta Apoc. XIX.

Consideratio hæc regni Christi varia argumenta continet ad persuadendum.

XXXVI. Quod restat, agnoscamus unicum *Regem* Zionis vera fide, ejusque *regno* nos lubentes meritoque subjiciamus, quotquot de animarum nostrarum vera salute solliciti sumus. *Colite Jehovam cum reverentia, & exultate cum tremore. Osculamini Filium, ut non irascatur & pereatis in via.*

Pſ. II,

Pſ. II, 11. 12. Nusquam vera feliciras extra hujus regni termi- *dum ut re-*
nos deprehendetur. Hoc eſt illud regnum, quod contra *gno ejus*
regnum Diaboli, per lapſum invaleſcens, divina omniſuf- *nos luben-*
ficientia erexit. In catenis inferni perirèmus omnes, niſi *ter ſubjici-*
in hoc regnum lucis tranſeundi nobis anſa daretur. Quis *amus:*
poteſt felicitatem populi enarrare, qui *attendunt ad clangorem* ejus? Pſal. LXXXIX, 16. Quid poterit iis deeſſe, ſive ad plenam liberationem e manu hoſtium, ſive ad fruitionem ſummi boni, quorum Rex ipſe *Deus* eſt, qui ſuis eſt omnia in omnibus? Quomodo dubitari poteſt de æternitate ſalutis in regno, cujus *thronus æternus* eſt? Ingemiſcant alii ſub jugo & tyrannide Regum terrenorum, qui ad oppreſſionem ſubditorum poteſtate, quæ iis conceſſa eſt, abutuntur: quique id ſuperbe & injuſte eſſe ſui juris exiſtimant, quod Deus ad caſtigationem propter regnum ejus ſpretum ſub Œconomia duriori permiſit 1. Sam. VIII, 11--18. Nihil tale timendum ſub imperio Regis, cujus *ſceptrum* eſt *ſceptrum rectitudinis.* Et quid eſt æquius, quam cum abnegatione ſui ipſius & univerſæ creaturæ, huic Regi ſe permittere? Cedat creatura Creatori & Deo ſuo, qui quia *Deus* eſt, per naturam jam obedientiam poſtulat, ſed quia *a Deo unctus* eſt, ad regendam Eccleſiam in regno gratiæ, novis, multo fortioribus, æternis vinculis corda noſtra ſibi devinxit.

XXXVII. Qui in Regnum Meſſiæ tranſiere, ita ſe *& ſi nos ei*
gerant, uti regni hujus cœleſtis ratio poſtulat. Quia Rex *ſubjecimus*
eſt ipſe *Deus*, propterea tanto majorem præ Regibus terre- *ut in variis*
nis obedientiam, honorem, fidem poſtulat, quanto majus *officiis ſan-*
ejus faſtigium eſt. Et quis non in tanto Rege gloriaretur? *ctitatis ju-*
Si ſervi in ſplendore Dominorum ſuorum ſuperbiunt, quan- *giter nos*
to majori jure in Domino ſuo gloriantur, qui Dei ſummi *exerceamus.*
ſervi facti ſunt? Si excellentiſſima ingenia ſe ſæpe exhauriunt in magnificentia terreſtrium Dominorum deſcribenda,

quanto major hic campus in laudes ejus indefeſſo ſtudio exſpatiandi, qui divinis perfectionibus ornatus eſt, qui *æternus*, qui *ſanctiſſimus*, qui plenitudine totius Deitatis per *Spiritus unctionem* veſtitus eſt? Si regnum ejus *æternum* eſt, dediſcant ergo quærere caduca & viciſſitudine temporum rotata bona, quæ ad ſummum cum conflagrante orbe in cineres redigentur, quoscunque ſplendor hujus regni illuminavit. Si *thronus* ejus eſt ſpiritualis, qui in Eccleſia & cordibus fidelium erigitur, evacuemus ei corda noſtra, ejiciamus ſordes, permittamus Spiritui, ut perennem in iis ſedem Regi noſtro exſtruat, ornet, ſtabiliat. Si ſceptrum ejus eſt *ſceptrum rectitudinis*, ſanctitatem mandatorum ejus agnoſcamus, & contra ea, carni licet difficilia, ne hiſcamus. Et quia qualis Rex, talis Grex, hinc imaginem ejus in nobis excitemus, eodemque *juſtitiæ amore*, & *injuſtitiæ odio* flagremus, quo Rex noſter præcipue celebrari voluit. *Qui amatis Jehovam, odio habete malum* Pſ. XCVII, 10. Si *ſuper conſortes* ſuos unctus eſt, primas ei in omnibus demus. Si oleum, quo unctus eſt, eſt *oleum lætitiæ*, vera fide gaudii illius per Spiritum Sanctum participes fieri quæramus. *Lux ſatu eſt juſto, & rectis animo lætitia. Lætemini juſti in Jehova & celebrate memoriam ſanctitatis ejus.* Pſal. XCVII, 11. 12.

Præcipue in imagine regni Chriſti Magiſtratus Chriſtiani typum habent, cui conformari debent.

XXXVIII. Præcipue Magiſtratus Chriſtiani hic cogitent, formam Regni Chriſti illuſtriſſimum exemplar eſſe, ad quod ſua conſilia, ſuumque regimen componere fas eſt. Sufficiet id hoc loco, ne actum agam, ex *Muſculi* pia ad hanc pericopam admonitione diſcere: "Hoc loco, ait, vi-
"demus, quales debeant eſſe Magiſtratus, qui Chriſto, cu-
"jus Regnum eſt, ſerviunt: nempe amantes juſtitiæ & odio
"habentes malum, ut & ipſorum ſceptrum ſit rectum &
"omnis retorſionis expers. Tales viros exigit officium ju-
"dican-

dicandi, qui sint amantes justitiæ, malum vero oderint, " ac sine omni personarum acceptione puniant. Olim ma- " gna erat apud quosdam judicandi severitas, tantaque cau- " tio, ut nudæ caussæ absque personarum ac partium cogni- " tione proponerentur. Alicubi solenne erat, ut judices velo " essent obtecti, ne ad conspectum quidem admissis vel reis " vel actoribus. Hodie quæ sit judiciorum corruptio, quæ " personarum & quam impudens acceptio, videmus, dole- " mus, suspiramus, querimur. "

" Deinde videmus, unde sit stabilitas regnorum: ex eo " scilicet, si sceptrum sit rectum, si Reges sint amantes justi- " tiæ & osores impietatis. Itaque tyrannides persistere ne- " queunt. Atque stultissima eorum opinio est, qui putant " salutem Reipublicæ concernere, ut divitum ac potentum " in judiciis habeatur ratio: cum nulla sit major Reipub. " pestis, quam ista judiciorum corruptio, & nihil quod Deo " magis displiceat, a quo est omnis omnium sta- " tuum stabilitas. "

EXERCITATIO SEPTIMA
DE
ORNATU MESSIÆ REGIS SACERDOTALI.

1. Regnum & Sacerdotium *in* Iſraele *ſeparatum in Meſſia junctum eſt.* 2. *Analyſis commatis.* 3. *Per* veſtes *Meſſiæ poſſunt intelligi* Regiæ aut nuptiales. 4. *Sed magis* Sacerdotales. *Et quidem* aureæ. 5. *Varia de* veſtium *emblemate. Hic intelligitur tum humanitas, præcipue glorificata, tum Eccleſia.* 6. *Veſtes hæ Meſſiæ peculium.* 7. *Singulæ* veſtes Sacerdotis ſummi *ad antitypum transferuntur.* 8. *Amabilitas harum veſtium.* 9. 10. 11. Myrrha, aloe, caſia, *quid ſint, & adumbrare poſſint, indicatur.* 12. *Cur veſtes Meſſiæ his* aromatibus tinctæ? 13. *Quid denotent quoad ejus humanitatem.* 14. *& quoad Eccleſiam?* 15. *Quomodo ſingula in antitypo diſtingui poſſint?* 16. Ebur *olim ornamentum* palatiorum. 17. *Vocula* מן *explicatur.* 18. Palatium *ſymbolum Eccleſiæ.* 19. Ebur *variarum in ea perfectionum.* 20. *Cur* palatia *in plurali?* 21. Lætificant *Meſſiam.* 22. Ex iis prodit. 23. *Novum excellentiæ Meſſiæ argumentum detegitur.* 24. *Implementum indicatur.* 25. 26. *Solamina & officia piorum ex dictis breviter eruuntur.*

I.

Regium & ſacerdotale faſtigium ſemper in populo Dei diſtinctum fuit:

REgium faſtigium & Sacerdotalem dignitatem in Iſraele ab eadem perſona occupari nefas erat. An etiam in diebus promiſſionis diſtincta fuerint, dictu eſt difficile. Patriarchæ Sacerdotio vacarunt, regium tamen titulum & inſignia, quantum conſtat, nunquam uſurparunt. De Melchiſedeco res hactenus dubia eſt, & quamvis hypotheſis, ut vulgo dicitur, *Cunæi*, quia ille eam jam longe ante a pluribus defenſam renovavit, magnos nunc nuper nacta ſit adverſarios, nondum tamen debellata eſt. Ii ipſi, qui ad excogitandas novas hypotheſes adacti ſunt, & cum Cel. *Hulſio* Enochum e cœlo reducem, aut cum Cel. *Honerto* hominem glorificatum

tum fuisse statuunt, id saltem fateri debent, se aliquid augustius, quam quod in communem hominum sortem cadit, in Melchisedeco agnoscere. Quod nunc satis est, ad prohibendum, ne inde probetur, conjunctum aliquando in Ecclesia fuisse Regium & Sacerdotale munus. In Reipublicæ Israeliticæ primordiis clarius discriminatum erat, cum illud Mosi, hoc Aaroni cederet. Falsus est *Trogus* apud *Justinum* lib. XXXVI, c. 2. affirmans: *Post Mosen filius ejus Arruan Sacerdos sacris Ægyptiis mox Rex creatus, semperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem Reges & Sacerdotes haberent.* Nihil a veritate alienius, quanquam suffragetur *Sulpitius Severus* Hist. Sacr. ll. c. 26. Quod enim Moses ante institutum cultum Leviticum præsertim circa inaugurationem Aaronis fecit, id paucorum tantum dierum erat, & ex peculiari Dei mandato, ea fini, ut initiatio Sacerdotalis ordinis rite fieret: qua semel facta, impune nemo ea, quæ Sacerdotum erant, attrectavit. Num. XVI, 2. Sam. VI. Confer quæ jam dicta sunt Exerc. I, §. 5. n. 2. Præcipue vero Usiæ Regi Judæ male cessit, quod suffitus in sanctuario accensionem attentaverit, quia in ipso facinore insanabili lepra corrreptus est 2. Par. XXVI, 17-21. De aliis sequelis & miraculis, quibus perhibetur Deum audaciam Usiæ puniviss videri possunt *Josephus* Antiquit. lib. IX, c. 11. *Hornius* in not. ad Sulpit. Sever. Histor. Sacr. lib. I. c. 82. *Lundius* de Sacerdot. Levitic. lib. II. c. 2. §. 16. seq. Quamvis hoc exemplo parum territi Hasmonæi, qui postremis Reip. temporibus regnum & pontificatum jungere denuo ausi sunt. *Josephus* Antiq. Jud. XIII, 19. *Seldenus* de succes. Pontif. l. 13. Sed magno suo malo. Quin exitium Hasmonæorum exinde derivat R. *Bechai* in sect. ויהי cujus verba a *Jos. de Voisin* suis in Raym. observationibus pag. 331. inserta hac sunt: מלמד טענה, זו שלא היו החשמונים מזרע המלוכה עור יש בן טענה אחרת שלא היה להם למלוך לפי שהיו כהנים ונצטוו בתורה תשמרו את כהנתכם לכל דבר המזבח ולמבית לפרכת וכיון שכן הוא לא היו ראויים לבקש מלכות רק לעבוד את עבדת ה' ומפני זה נענשו כעונש זה וכן אמרי בירושלמי

& iis qui conjungere voluere attentatum male cessit.

אין מושחין מלכים מן הכהנים: i. *Hæc ratio docet, Hasmonæos non fuiſſe ſtirpis Regiæ. Præterea eſt alia ratio, cur regnare non debuerint: quia nimirum erant Sacerdotes, quibus imperatur in lege* (Num. XVIII, 7.) cuſtodietis ſacerdotium veſtrum in his omnibus, quæ pertinent ad altare & intra velum. *Quæ cum ita ſint, non eorum erat ambire regnum: ſed obire tantum miniſterium Dei: ideo ejusmodi pœna affecti ſunt. Sic dicunt in Talmude Hieroſolymitano:* Non ungunt Sacerdotes in Reges. Contraria videtur praxis apud gentes fuiſſe, quibus

Idem an apud gentes obtinuerit, dubitatur.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

uti habetur Æn. III. Et plura exempla congeſſit *Joh. Dougtæus* Anal. Sacr. I. excurs. 116. *Braunius* de veſtitu Sacerd. lib. II. §. 702. *Spanhemius* de præſt. numism. diſſ. VIII. p. 694. ſq. aliique bene multi, quos tamen ex profeſſo refutandos ſibi ſumſit eruditiſſimus Author diſſertationis in Pſ. CX. inſertæ Hiſtoriæ Criticæ Gallico idiomate Amſtelodami edi cæptæ p. 121. ſq. Namque contendit probare magno eruditionis apparatu, inter ipſas gentes Reges Sacerdotes dictos eſſe, non quod ſacrificandi actum unquam exercuerint, ſed quia religioni & ſacris præerant. Inquirendum id nunc aliis relinquimus. Saltem non ſat feliciter ad praxin Judæorum hoc, quicquid eſt, retulit, dum ſimili modo Moſen, Davidem, Melchiſedecum Sacerdotes dici cenſuit. De Moſe & Melchiſedeco jam monitum. An vero Davidi hic titulus ſecundum literam Pſ. CX, 4. datus ſit, id μέγα λίαν αἴτημα manet. Pauca quædam Exerc. I. §. 4. 5. monita ſunt. Sufficit ergo, hactenus inconcuſſam manere inter infulam & coronam in populo Dei diſtinctionem. Habuit ſine dubio Deus conſilii hujus ſapientiſſimas rationes, *tum* ut hoc tanquam typo abſterreret eos, qui ad exemplum Ephraimi Anti-Chriſtiani infulam cum diademate commiſcere auſuri erant, *tum* ut ſubinnueret, unum eſſe Meſſiam, cui conjunctio ambarum dignitatum in ſumma excellentia ſervabatur: ante eum neminem ne in typo quidem id

Inſtituti potiſſima ratio, ut hunc honorem ſoli Meſſiæ competitu-rum adumbraretur.

jus

jus habuisse: & post eum pro Antichristo habendum, qui id sibi vindicaret. Hinc de illo Ps. CX, 4. *Juravit Jehova & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in seculum, secundum dignitatem Melchisedeci* i. qualiter decet verum Melchisedecum, qui solus est *Rex pacis* & simul *Sacerdos* æternus *Altissimi*. Et Zach. VI, 13. *Sedebit ac dominabitur in solio suo, eritque Sacerdos in solio suo.* Et hanc utriusque muneris in Sponso Ecclesiæ combinationem agnoscit sacer Vates, non tantum, quando *oleo unctionis* eum esse perfusum testatur, quod huc collimare Exercitatione superiori §. XXVII. docui, sed etiam quando in versu nono vestitum ejus ita collaudat, ut ad vestimenta Sacerdotum Hebræorum alludat: quod nunc demonstratum imus. Id tantum in antecessum monendum, functionem Messiæ sacerdotalem duas diversas periodos habere, alteram, quam per oblationem sacrificii pro peccato exinanitus in obedientia & passionibus suis præstitit, alteram, quam per intercessionem pro populo suo & benedictionem ejus exaltatus in cœlo præstat. Ad posteriorem non tantum adducta loca, sed etiam encomium Psaltis nostri referendum esse, nexus & scopus suadet.

quod Psaltes in peri-copa nostra innuit, describens Sacerdotium Christi, quod in cœlis obit.

II. Est ergo in versu nono emphatica descriptio suavissimi inter Regnum & Sacerdotium Messiæ æternum connubii, in qua observanda:

Analysis hujus commatis.

aa. subjectum: *omnia vestimenta tua.*

bb. prædicatum describens excellentiam horum vestimentorum

αα. ab odoris fragrantia: *Sunt myrrha, aloe & casia.*

ββ. ab odoris lata diffusione, ita ut locus, ubi & unde diffunditur, describatur

אא symbolice: *ex eburneis palatiis.*

בב. proprie: *ex* (iis sc. palatiis) *quæ lætitia te afficiunt*, v. 9.

III. VE-

Veſtimenta Meſſiæ ſplendida ſecundum Judæos.

III. VESTIMENTA *ſplendida Meſſiæ, quem exſpectant, Judæorum* Magiſtri tribuunt. Sic in *Peſikta rabbetha* f. 63. c. 2. מלביש הקבה לאפרים משיח צדקנו לבוש שזיו הולך מסוף העולם ועד סופו וישראל משתמשין לאורו: i. *Deus Sanctus benedictus veſtiet Meſſiam Ephraim, juſtitiam noſtram, veſte, cujus ſplendor diffundet ſe ab uno termino mundi ad alterum, & Iſraelitæ fruentur luce ejus.* Sed faceſſant eorum nugæ. Nobis extra omne dubium eſt, non poſſe heic alia *veſtimenta*, quam ſpiritualia & ſymbolica intelligi, quia nulla alia glorioſo humanitatis Meſſiæ in cœleſti regno ſtatui conveniunt. Atque in genere quidem non diffitendum eſt, ad amplificandum majeſtatis Regiæ ſplendorem pretioſiſſima *veſtimenta* jam antiquitus in uſu fuiſſe. Salomonis regium ornatum laudat Salvator noſter Matth. VI, 29. Luc. XII, 27. Ei inter alia regia dona etiam *veſtimenta* apportata ſunt. 2. Reg. X, 25. 2. Chron. IX, 24. Videri etiam poteſt de regio ornatu Joſaphati & Achabi 1. Reg. XXII, 10. 2. Chron. XVIII, 9. Herodis Act. XII, 21. *Plutarchus* auctor eſt in Artaxerxe, περικείμενον ἀεὶ τῷ βασιλέως σώματι κόσμον fuiſſe τῶν μυρίων καὶ διχιλίων ταλάντων i. *ornatum corporis, quem Rex aſſidue geſtat, duodecim millibus talentorum æſtimatum.* Et plura legi poſſunt apud *Briſſonium* de regno Perſico lib. I. §. 55. ſeq. *Scacchum* Myrothec. III. cap. 42. Atque ita *veſtes Regiæ* Meſſiæ totam illam majeſtatem, omnesque regias virtutes, quas in regimine ſuo exſerit, & per quas ſui venerationem excitat, deſignare poſſent, uti mox docebitur. Alii tamen exiſtimant, non minus apte *veſtes nuptiales* heic deſignari poſſe, quibus ſponſi ornabantur: & ad quas alluditur Pſ. XIX, 6. Jes. LXI, 10. *Ariſtophanes* in Pluto v. 529. 530.

Alludi hic quibusdam non male videtur ad veſtes Regias, aliis ad veſtes nuptiales.

Οὔτε μύροισιν μυείσαι σακτοῖς, ὁπόταν νύμφην ἀγάγησθον,
Οὐθ' ἱμαπώνβαπτῶν δαπάναις κοσμῆσαι ποικιλομόρφων

i. *neque item unguentis olim pretioſis delibuti, neque ſumtuoſe tinctis gradiemini amicti veſtibus, ubi domum duxeritis ſponſam.*

Con-

Confer quae hic habet Celeb. *Spanhemius* editionis Kusterianae p. 256. Talis est γαμικὴ χλανὶς apud eundem *Aristophanem* in Avibus v. 1692.

Ἀλλὰ γαμικὴν χλανίδα δίδοτω τις δεῦρό μοι ἰ.

Nuptialem chlamydem aliquis mihi huc afferat. *Plautus* Casinae Act. IV. Sc. 1.

Villicus hic autem cum corona candide
Laute vestitus, exornatusque ambulat.

Et de velaminibus Sponsorum apud Hebraeos consuli potest *Carpzovius* dissert. Academ. X. §. 5. *Euripides* Alcestidis Act. IV. *vestes* nuptiales *candidas* fuisse innuit:

Νῦν δ' ὑμεναίων γόος ἀντίπαλος
λευκῶν τε πέπλων μέλανες στολμοί.

i. *Nunc vero pro hymenæo ploratus, pro veste candida pulli amictus.* Colludit *Nonnus* Heroem in nuptiis *vestes candidas* induentem introducens, Dionys. lib. XXXV.

Κάτθεο σὸν θώρηκα σιδήρεον, ὅτλι χορεύει,
Εἰς γάμον ἀβροχίτων - - -
Εἱμάτι χιονέῳ πεπυκασμένος, ὥσπερ Ἀπόλλων.

i. *Depone tuum thoracem ferreum, quod saltat, in nuptias mollem tunicam habens, vestimento candido tectus ut Apollo.* Apud alios tamen floridae erant vestes nuptiales. Sic *Plutarchus* Quaest. Graec. 57. quaerit, cur apud Coos Sacerdos Herculis fœmineam vestem indutus rem divinam faciat, & allata fabula subjicit: quia *Hercules Alciopi filiam uxorem ducens induit floridam vestem*: hinc factum, ut ejus Sacerdos & sponsi muliebri veste induantur. Et tum significarent vestes Christi, quicquid eum amabilem in oculis Sponsae suae, Ecclesiae, reddit. Ita sumtum est emblema Cant III. 11. *Spectate Regem Salomonem cum corona, quam curavit ei mater ejus die sponsaliorum ejus.* Quae corona non tantum pro Regia, sed etiam

nuptiali habenda. Ea enim inter cultum Sponſorum eminebat. De coronis nuptialibus Hebraeorum videri poſſunt *VVagenſeilius* in Sota p. 962. ſq. & *Seldenus* Uxor. Hebraic. ll. 15. Easdem quoque ſponſos apud alias gentes uſurpaſſe abunde docent *Seldenus* l. cit. c. 23. *Paſchalius* de coronis lib. ll. c. 16. 17. & ſingulari de coronis nuptialibus tractatu *Maderus*.

Probabile autem redditur potiſſimum ad veſtes ſacerdotales in loco noſtro reſpici, quarum regius fuit ſplendor.

IV. Et hæc quidem ſufficere poſſent, niſi anſa eſſet conjectandi, Spiritum ſanctum ad *veſtes* quoque *ſacerdotales* alluſiſſe. Ita enim habemus continuationem allegoriæ, quæ ab oleo unctionis, quod ſacerdotale fuit, uti ſupra probatum, concinne tranſit ad *veſtes*, quæ oleo illo irrigabantur. In his quoque locum habent unguenta, quæ ſtatim memorantur. Sic ſenſus longe auguſtior redditur. Hæ apprime conveniunt cum gloria Chriſti regia in cælis, præſertim cum in iis ipſis regii cultus quædam imitatio fuerit. Unde recte *Maimonides* in Hilcoth Kele Hammikd. cap. 8: בגדי כהונה מצותן שיהיו חדשים נאים ומשולשלים כדרך בגדי הגדולים שנאמר לכבוד ולתפארת i. *Mandatum eſt, ut veſtes Sacerdotii novæ ſint, elegantes & demiſſæ, ſicut veſtes Magnatum, quia dicitur, in gloriam & decus.* Addimus *Philonem Judæum* lib. de Sacerdotum honor p. m. 832. Ἐξ ὧν ἁπάντων ἐστὶ δῆλον, ὅτι βασιλέως εἰς σεμνότητα καὶ τιμὴν περιάπτει τοῖς ἱερεῦσιν ὁ νόμος· i. *Ex his omnibus manifeſtum eſt, legem Sacerdotes honore & gloria pares facere Regibus.* Nec male quidam Interpretes illud Zach. VI. 13. *ipſe portabit gloriam* explicant de cultu ſacerdotali, quo vir Zæmach in obitione duplicis muneris tam ſacerdotalis quam regii induendus. Alluditur enim ad Exod. XXVIII. 2. ubi veſtimenta illa dicuntur facta fuiſſe *in gloriam & decorem*. Nec dubito *Philonem* eandem phraſin in oculis habuiſſe. Id certum eſt, Meſſiæ in faſtigio ſuo regio ſacerdotalem ornatum aptiſſime convenire. Unde Celeberrimus *Vitringa* non dubitavit ad Apoc. I. 13. per ſtolam longam Chriſti ſtolam ſacerdotalem intelligere. De myſterio harum veſtium multi ex profeſſo egerunt. Conſulantur Thom. *Tailorius* Chriſti revel. c. 14. p. m. 125. ſeqq. *Jac. Altin-*

Altingius Orationibus de mitra, ſtola, & pectorali Sacerdotis ſummi Opp. Tom. V. *Herminkhuyſen* libro Belgice conſcripto de lege ceremoniali Parte II. H. D. *Benderus* commentario typico in cap. XXVIII. Exodi, *Braunius* de veſtitu Sacerd. Hebræorum lib. II. cap. 27. Quamvis optandum eſſet, obſervatam a viris doctiſſimis ubique fuiſſe eam συμμετρίαν, quæ explicationum typicarum ſolidum fundamentum & ſummum ornamentum eſt.

Praeterea duo fuiſſe *veſtium* ſummi Pontificis genera notum eſt: quorum unum ſub *veſtium albarum*, alterum *aurearum* nomine ſolet comprehendi. Illae deſcribuntur Levit. XVI. 4. hae Exod. XXVIII. Illae nonniſi in die expiationis induebantur, quando S. Sacerdos intrabat in adytum, adeoque ſtrictiſſime deſignant habitum Meſſiae in extrema ejus exinanitione, & praecipue in die mortis. Quare huc nihil faciunt, ubi Meſſias, ut exaltatus, conſideratur. De *veſtibus* ergo *aureis* hic proxime cogitandum. *Præcipue veſtes aureæ ſummi Sacerdotis hic ſunt conſiderandæ.*

V. Ut vero *veſtium* Meſſiæ emblema eo rectius intelligamus, aliquanto preſſius videndum, quid ſub hac figura in ſacris & prophanis monumentis proponi ſolitum ſit. Quinque potiſſimum ſunt, quorum *veſtes* Meſſiæ emblema eſſe poſſunt, 1) humanitatis 2) virtutum 3) gloriæ 4) Eccleſiæ 5) beneficiorum. *Veſtium Meſſiæ quintuplex emblema eſt.*

1) Symbolum ſunt *humanitatis*. Corpus ſane ſuum *veſti* artificioſe textæ comparat Davides Pſ. CXXXIX. 15. quando ait *Textus ſum* (רקמתי) *in inferioribus partibus terræ*. Quocum ingenioſe a Cl. *Patrick* in præfat. Menſ. Myſt. §. 8. confertur locus *Homeri* Odyſſ. antrum Nympharum deſcribentis: *1) Veſtes adumbrant humanitatem & præcipue corpus. Pſ. 139: 15. & 2. Cor. V. 2, 4. illuſtrantur.*

- - Ενθατε Νύμφαι
Φάρεα ὑφαίνουσι ἁλιπόρφυρα, θαῦμα ἰδέσθαι.

i. *Illic Nymphæ intus veſtes texunt purpureas, mirabile viſu. Sicut enim* Pſaltes *inferiores partes terræ* memorat, ita apud *Homerum* profundi antri mentio fit. Purpureas vero *veſtes Porphyrius* περὶ ἄντρ. νυμφῶν cum corpore confert, quod ei dici-

tur ἡ ἐξ αἱμάτων ἐξυφαινομένη σάρξ i. *caro contexta ex ſanguine.* Alias quoque corpus ut *veſtis* conſideratur, quod exuitur per mortem, & induitur denuo per reſurrectionem 2. Cor. V. 24. Sic apud *Lucretium* lib. III. v. 611:

> - *Quod ſi immortalis noſtra foret mens,*
> *Non jam ſe moriens diſſolvi conquereretur:*
> *Sed magis ire foras, veſtemque relinquere, ut anguis,*
> *Gauderet, prælonga ſenex aut cornua cervus.*

Seneca ſimiliter Ep. 92: *Quod de veſte dixi, idem de corpore me exiſtima dicere. Nam hoc quoque natura, ut quandam veſtem, animo circumdedit. Velamentum ejus eſt.* Confer *Gatakerum* in notis in Antonin. lib. X. §. 1. p. m. 288. Humanitas Meſſiæ eadem ratione ut ejus καταπέτασμα, *velum* quo tegi voluit Hebr. X, 20. conſideratur. Digna ſunt lectu, quæ ad emblema hoc illuſtrandum attulit Cl. Theologus, noſtri ordinis decus, *A. Schumacherus* de vindice Eccleſ. §. 45. ſq. Et hinc eleganter *Syrus* Hebr. V. 7. ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς, vertit: אף בר בסרא לביש i. *etiam cum carne eſſet veſtitus.* Nec dubito huc referendum eſſe locum Phil. II. 8. σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος: ubi σχῆμα eſt vox theatralis deſumta ab iis, qui aliorum perſonas aſſumto earum veſtitu repræſentant. Quæ obſervatio indicat, id Paullum intendere, ut doceat, Salvatorem noſtrum una cum natura humana etiam vicem hominum ſubiiſſe. Nec inconcinne humanitas Chriſti per *veſtes* adumbratur: 1) quia artificioſiſſime in utero virginis contexta: 2) quia ſicut veſte corpus tegitur, ira carnis humilitate radios divinæ gloriæ ad tempus texit: 3) quia eam arctiſſime veſtis inſtar aſſumſit & ſecum univit: 4) quia in ea efficaciſſime operatur.

Humanitas Meſſiæ ejus veſtis eſt. Nota adlocū Phil. II. 8.

Analogia indicatur.

2) *Virtutum* quoque emblema *veſtes* gerunt. In Scriptura hoc ſatis frequens Zach. III. 3. Gal. III. 27. Epheſ. IV. 24. 1. Tim. II. 9. 1. Petr. III. 3. Apoc. III. 4. Ipſa, quæ Diis ſuis appingebat vetuſtas, *indumenta*, hieroglyphicum variarum vir-

Veſtes depingunt certas qualitates & virtutes. Peplus Minervæ & Iſidis.

virtutum & perfectionum habuere. Sic *peplus* Minervæ ab *Orpheo* & *Homero* adscriptus, quo bellum giganteum expressum erat, ipsas virtutes, quas huic idolo gentiles adscribebant, exprimere debebat. Nam & ipsa ars ὑφαντικὴ τῆς ποικιλίας hujus Deæ virtute ἔνωσιν, adeoque φιλοσοφικὸν ejus χαρακτῆρα: expressum autem in ipsa textura bellum φιλοπόλεμον ejus clare satis arguunt, uti recte notat Cl. *Eschenbachius* de poes. Orphic. p. 50. præeunte *Proclo* qui, in Timæum Platonis lib. I. hæc habet: τὸν μὲν πέπλον ὧν αὐλὴ ποιεῖ, καὶ ὑφίσησι ταῖς ἑαυτῆς νοήσεσι, τὴν νοερὰν αὐτῆς σοφίαν ἀκάστου· τὸν δὲ τῆ Διὸς χιτῶνα τὸν πολεμικὸν, τὴν δημιουργικὴν πρόνοιαν, τὴν ἀτρέπτως προμηθουμένην τῶν ἐγκοσμίων καὶ τὰ θειότερα τῶν ἐν τῷ κόσμῳ περιλεῖν ἀεὶ παρασκευάζουσαν. Nec longe abludit vestis variegata Isidis, de qua *Pignorius* mens. Isiac. p. m. 19. *Vossius* de idol. l. IX. c. 12. Et quando illi, qui sacris initiabantur aut vacabant, novis candidisve vestibus induebantur, innocentiam, sanctitatem aliasque convenientes cultui divino virtutes adumbrare voluere. *Tibullus* lib. II. El. 1. v. 13. *Vestes sacris operantium mysticæ.*

Casta placent Superis: pura cum veste venito.

ubi consule *Bruckhusium* & *Lomejerum* de Lustrat. c. 34. Adde *Stukium*, *Saubertum*, & qui de sacrificiis scripserunt. Apud *Prudentium* quoque contra Syrum lib. I. v. 545. legitur:

— *Niveus pietatis amictus.*

Quo sine dubio respexit *Philo* de Cherubim p. 124. Καὶ λευχειμονοῦντες μὲν εἰς τὰ ἱερὰ βαδίζειν σπεδάζουσιν, ἀκηλιδώτους ἐσθῆτας ἀμπεχόμενοι, διάνοιαν δὲ κεκηλιδωμένην ἄχει τῶν ἀδύτων εἰσάγοντες ἐκ αἰδοῦνται i. *Et ut candidati templa subeant, dant operam, diligenter emaculatis amicti vestibus: mentem vero maculosam in ipsa sacraria penitissima inferre non verentur.* Tale quid supponebat Stilpo apud *Diogenem Laertium* lib. II. ad Cratetem, hyeme algentem, fallacia quadam accentus dicens: Ὦ Κράτης, δοκεῖς μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ, ὅπερ ἔστιν, νοῦ καὶ ἱματίου i. *O Crates, videris mihi indigere nova veste, quasi diceret, mente & veste.* Recte *Lucianus*

Imagin. p. 9. Οὐ τοίνυν ἀπόχρη τὸ κάλλος, ἂν μὴ κεκόσμηται τοῖς δικαίοις κοσμήμασι. λέγω δὲ οὐκ ἐσθῆτι ἀλυργεῖ, καὶ ὅρμοις, ἀλλ' οἷς πρόσθεν ἐκείνοις, ἀρετῇ, καὶ σωφροσύνῃ, καὶ ἐπιεικείᾳ, καὶ φιλανθρωπίᾳ, καὶ τοῖς ἄλλοις, ὁπόσοις ταῦτα ὅρος ἐστίν i. *Proinde corporis forma non ſufficit, niſi juſtis exornetur ornamentis. Non autem dico purpura & monilibus, ſed iis quæ prius dixi, virtute, temperantia, æquitate, atque aliis quæcunquē his terminis comprehenduntur.* Multæ quoque paſſim virtutes & perfectiones Meſſiæ ſub *variarum veſtium* emblemate paſſim exprimuntur Jeſ. XI. 5. LIX. 17. Dan. X. 5. Apoc. I. 13. ut & Spiritus ſancti Ezech. IX. 2. 3. Non male igitur per *veſtes* Meſſiæ non humanitatem ſolam, ſed etiam virtutes, in ea oſtenſas, ſanctitatem, humanitatem, manſuetudinem, amorem, patientiam licet ſimul comprehendere. Nam 1) ſicut *veſtis* eſt ad tegendum, ita immaculata illa Meſſiæ ſanctitas eum texit & contra omnes tentationes Satanæ munivit: 2) quin & pretioſæ *veſtis* inſtar ornatum inſignem ei conciliavit: 3) eousque, ut ex ſuis virtutibus & perfectionibus, veluti ex *veſte* officio ejus mediatorio congrua, pro vero Mediatore eſſet agnoſcendus.

Virtutes Meſſiæ ejus veſtes ſunt.

3) Majeſtatem & *gloriam* per *veſtes* adumbratam vel ex iis patet, quæ Exercit. V. §. 11. notata ſunt. Unde reperti, qui per *veſtes* cæleſtem gloriam imitari & venditare auſi ſunt. Talis erat *veſtis* Regia Herodis, cujus ſplendore perſtricti non mortalem, ſed Deum ſe cernere credebant, deſcripta a *Joſepho* Antiq. Jud. lib. XIX. c. 7: Στολὴ ἐξ ἀργύρου πεποιμένη πᾶσα, ἡ τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων ἐπιβολαῖς καταυγασθεῖσα θαυμασίως ἀπέστιλβε, μαρμαίρουσά τι φοβερὸν, καὶ τοῖς εἰς αὐτὸν ἀπενίζουσι φρικώδες. i. *Stola tota ex argento facta, quæ incidentibus ſolaribus radiis illuſtrata, mirum in modum refulgebat, ſplendorem emittens metum incutientem, atque in eum intuentes terrore percellentem.* Nec ab iſto more abludit, quod Imperatores Romanorum, cum inaugurarentur, Deorum ſuorum, Dearumve palliis purpureis aut togis palmatis ſolebant conſecrari. Cujus ſuperſtitionis non tantum in Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus, ſed etiam nummis

3) veſtes ſymbolum ſunt gloriæ.

Veſtis ſplendida Herodis.

Imperatores Deorum veſtibus induti.

mis exempla passim obvia conspiciuntur. Certe symbolum cælestis gloriæ in *veste candida*, *sicut nivis* agnoscendum est, qua Matth. XXVIII. 3. Angelus indutus apparet, quamvis etiam tum puritas naturæ, tum nuntii sui lætitia eodem indumento depicta videatur. *Vestes* quoque *albæ* Ecclesiæ triumphanti promissæ Apoc. III. 5. VII. 14. ad cælestem beatorum gloriam præcipue referendæ: quibus non tantum eos justificatos plenissime, victoresque, sed & felicitate summa induendos indigitatur. Hinc *Hippocrates* de insomniis cap. 31: καὶ ἐσθῆτα λευκὴν ἐνδεδύσθαι, καὶ ὑπόδεσιν τὴν καλλίστην, ἀγαθόν i. *Et vestem candidam induere, & calceum pulchrum, bonum est.* Idem cap. seq: τὰς ἀποθανόντας ὁρᾶν καθαρὰς ἐν ἱματίοις λευκοῖσιν, ἀγαθόν· καὶ λαμβάνειν παρ' αὐτῶν καθαρὸν, ἀγαθόν. i. *Mortuos videre puros in vestibus albis, bonum; accipere aliquid purum ab iis, bonum est.* Merito ergo Messiæ quoque gloria, quam post exaltationem, qua Mediator, adepturus erat, vestitus splendidi instar habet. Unde Ps. XCIII. 1. describitur ut talis, qui *altitudinem induit.* Eodem non male refertur, quod Jes. VI. 1. Dominus conspicitur *sedens in solio excelso & elato, cujus fimbriæ implebant templum.* Ubi per *fimbrias* seu diffluentem inferius vestem οἱ ὁ intellexerunt *gloriam* cælestis Regis: καὶ πλήρης ὁ οἶκος τῆς δόξης αὐτοῦ. Idem sensit *Paraphrastes Chaldæus* ומזיו יקריה אתמלי היכלא i. *Et fulgore gloriæ ejus impletum est templum.* Et mystice ad regnum gratiæ a Messia erigendum transferri debet initium Psalmi CIV. 1. 2. *Jehovæ, Deus mi, magnus es valde; majestatem & reverentiam induisti. Operiens se luce instar togæ.* Prope accedit, quando Apoc. X. 1. Angelus fœderis pingitur, ut *amictus nube.* Utrobique enim respicitur ad lucidam illam nubem, quæ olim *vestis* typica Filii Dei fuit, quæque simul *gloria Jehovæ* appellabatur, quia divinam gloriam illius, qui spiritualis Israelis olim Rex & Dux futurus erat, excellenti modo adumbrabat. Unde sine dubio suffurati sunt Poëtæ figmentum de Diis suis luce, nubéve *vestitis.* Sic *Horatius* lib. I. od. 2. v. 30.

Vestes albæ angelorum & beatorum. Apoc. III. 5. VII. 14. illustrantur.

Gloria Messiæ in exaltatione obtenta vestis instar habet Jes. VI. 1. illustratur. Nubes vestis Filii Dei.

Tan-

- Tandem venias, precamur,
Nube candenti humeros amictus,
Augur Apollo.

Non autem præteriri hic debet veſtium Meſſiæ metamorphoſis in monte : Τὰ ἱμάτια αὐτῦ ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς Matth. XVII. 2. Splendore enim harum *veſtium* itidem gloriæ ejus, quæ præforibus erat, præluſum. Poteſt autem hæc *gloria* dupliciter conſiderari, *vel* ut gloria *humanæ naturæ* in corpore glorioſo & anima ſummæ beatitudinis compote; *vel* ut gloria totius *Perſonæ mediatoriæ* in faſtigium promiſſum evectæ, quæ ſignificatio latior eſt & priorem includit. Utraque Meſſias ut *veſte indutus* fuit, *tum* quia hac gloria omne opprobrium exinanitionis ſuæ tectum, *tum* quia per eam ornatus ſummus & Deo decens ei collatus, *tum* quia in ea ut verus Rex & Sacerdos Eccleſiæ manifeſtatus. Et huc potiſſimum collimarunt *veſtes aureæ* ſummi Sacerdotis, quæ (ſicut *veſtes albæ* exinaniti Meſſiæ innocentiam) ita exaltati Meſſiæ gloriam potiſſimum adumbrabant. a) Ingens earum regiisque opibus æquipollens erat *pretium*. Sed quanti æſtimanda illa gloria, quam pretio incomparabili, proprio ſanguine, Dei Filius unigenitus acquiſivit? b) *Splendorem* verendum emittebant. Et gloria Meſſiæ in altum evecti reverentiam erga eum omnibus fidelibus incutit. Radii divinitatis & majeſtatis ejus animas pias colluſtrantes aciem intellectus percellunt. c) *Veſtium aurearum* indutio cum *unctione* juncta erat. Glorificatio Chriſti & unctio ejus in Regem Sionis ultima in idem tempus incidit. d) In *veſtibus ſacris* quotidie *ſacrificiis* & *precibus* vacabat Sacerdos Aaronicus. Chriſtus quoque glorificatus jugiter pro Eccleſia intercedit & ſacrificii ſui meritum Patri offert. e) Præcipue id notabile eſt, *in die expiationis*, poſtquam ſacrificia expiatoria in *veſtibus albis* eſſent oblata, *holocauſta* in *veſtibus aureis*, prioribus depoſitis, addita eſſe Levit. XVI. 23. 24. quæ non tantum ex juvenco & ariete, ſed etiam ſeptem

Veſtes aureæ ſacerdotales gloriam Meſſiæ effinxerunt.

ptem agnis constabant. Sic enim fas erat, ut Sacerdos noster cælestis post expiationem peccatorum consummatam corpus mortale deponeret, gloriaque indutus per omnes Ecclesiæ periodos absolutissimam obedientiæ suæ perfectionem Patri commemoraret.

4) *Vestium similitudinem regna & populi habent. Vestes Deorum Jovis, Junonis, Cybeles, Panis &c.*

4) *Vestes* sunt quoque symbolum regnorum, quæ aliquis occupat. De Rege Babylonis dicitur: *amiciet terram Ægypti, quemadmodum pastor vestimentum suum* Jerem. XLIII. 12. *Indumenta* Deorum, qualia antiquitus pingebantur, regionum, quæ ipsorum imperio subesse credebantur, naturam adumbrabant. Sic de vestitu Jovis *Martianus Capella* Nupt. Phil. lib. I. *Vesti admodum candidæ obducit amictus hyalinos, quos stellantibus oculis interstinctos crebri vibratus ignium luminabant*, quod erat pictura aetheris. Idem mox de Junone: *Vestis ejus hyalina, sed peplum fuerat caliginosum: quo tamen si appulsu cujusdam luminis tangeretur, inter obumbrantes nebulas sudæ perspicuitatis gratia præniteret. Ejusdem genua zona quidem diversicolor ambiebat, quæ nunc perfulgido resplendebat orbe, nunc vanescentis gratiæ tenuata varietas ita penitus obliquabat, tanquam nihil habuisset ante discolorum.* Quibus verbis ad aërem respici facile agnoscitur. De Cybele *Albericus Philosophus* de Deor. Imagin. cap. 12: *Erat virgo fœmina in curru sedens: lapidibus pretiosis & metallorum varietate vestita.* De Pane *Servius* in Eclog. Virgil. II. v. 31. *In pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem.* Et sic porro. Quin cœlum totum Graeci veteres πέπλον appellarunt, οἷον Θεῶν ἔργων περίβλημα, ut ait *Porphyrius* lib. de Nymph. antro. Eadem ratione cœlum quoque mysticum, Ecclesia, quae est regnum Messiae, *vesti* comparatur. *Cœlos extendens tanquam aulæum* Ps. CIV. 2. introducitur, & Ps. CII. 27. eosdem alio respectu *ut vestimentum convolvens.* In V. T. *vestis Jehovæ* erat Ecclesia Israëlis. Eo provocatur, & rationes hieroglyphici adduntur Jerem. XIII. 11. *Quemadmodum adhæret cingulum lumbis viri, sic feci adhærere mihi totam domum Israel & totam domum Judæ, ait Jehova, ut fieret mihi populus, & nomen, & gloriatio, &*

Cœlum vestis Dei. Ecclesia vestis Messiæ

ornamentum. Hoc *veſtimentum* ἀπενδυσάμενος introducitur Col. II. 15. quia evaſerat ἱμάτιον παλαιὸν Matth. IX. 17. quod ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου non patiebatur. Succeſſit ergo ſub *veſtium novarum* & meliorum ſymbolo populus ſpiritualis, Eccleſia N. T. quae ut *indumentum* Meſſiae deſcribitur Gen. XLIX. 11. Jeſ. LXII. 3. LXIII. 1. 2. Rationes in promtu ſunt. Eccleſia in genere *veſtis* Meſſiae eſt. a) Sicut *veſtis* prope *adjacet* corpori, ita Eccleſiam arctiſſimo amoris vinculo Meſſias ſecum univit. b) Sicut in *veſte* movetur corpus & *operationes* variae eliciuntur, ita in Eccleſia per operationes gratiae praeſens eſt Chriſtus. c) *Veſtes proportionem* cum corpore habent: & in Eccleſia imago Chriſti relucet. d) Sicut *veſtes* ſunt *ornatui*, ita in conjunctione ſua cum Eccleſia Meſſias ſummum ornamentum ponit, quia per hanc unionem perfectiones ſuas revelandi occaſionem ſumit. e) Sicut victores *veſtiuntur ſpoliis* hoſtium devictorum, ita fideles ſunt ſpolia infernalis gigantis, quae ei erepta Luc. XI. 21. 22. Meſſias ſibi vindicat. Praecipue autem *veſtes Sacerdotales* aureae hic in comparationem veniunt. a) *Pretium* earum ingens depingit pretioſitatem Eccleſiae Jeſ. XLIII. 4. quam pretio ſanguinis comparare Meſſias in peculium dignatus eſt. b) *Splendor* earundem exprimit ſplendorem charismatum Spiritus iis communicati. c) *Materia & colores* diverſi ad diverſas virtutes in Eccleſiae membris conſpicuas pertinebant. d) *Artificium* ſummum admirabile Spiritus opus in aptandis Meſſiae cordibus repraeſentat. e) *Veſtimentis aureis* indutus Pontifex quotidie ad Deum *appropinquabat.* Sic Meſſias populum ſuum coram Patre ſemper ſiſtit, ut illi gratum & acceptum reddat. f) In *unctione* Aaronis deſtillabat oleum in oram togae talaris ejus Pſ. CXXXIII. 2. Sic quoque Eccleſiam Spiritus Meſſiae participem eſſe ex continuata Pſaltis allegoria ſtatim docebitur.

Analogia elegans tum quoad veſtes generatim,

tum quoad veſtes Sacerdotales oſtenditur.

5) Denique *beneficiorum* emblema *veſtimenta* gerunt, praecipue protectionis. Unde Jupiter alis *veſtis* ſuae Trajanum protegens eſt apud *Rubenium* in nummis Caroli Ducis Ar-

Veſtium alae protectionis ſymbolum

Arschottani Tab. XXXIV. num. 24. & Tab. XXXVI. num. 13. In aliis numismatibus Clementia pingitur, ut vestem aperiens miseris. Tale quid simul videtur respici in specie Jesaiæ objecta cap. VI. 1. ubi *fimbriæ vestis Domini replebant templum*, quod commode refertur ad dona, quibus omnia implere Messias debuit, & præcipue ad expansionem alarum *vestis* justitiæ æternæ, sub quibus filii Adami refugium habent. Quanquam etiam includi possit significatus majestatis & gloriæ Messiæ, cujus extremæ tantum partes in Ecclesia conspicuæ sunt, uti jam occupatum est num. 3. hujus paragraphi. In priori tamen significatu convenit quoque illud Ezechielis c. XVI. 8. *Expandi oram meam super te.* Quod quia cum Ruth. III. 9. conlatum actum quoque sponsalitium exprimit, hinc talis *vestium expansio* simul communicationem amoris, & inumbrationem Ecclesiæ mysticam includit. Hoc mysterium videtur subfuisse *vestium* Christi inter quatuor milites divisioni Joh. XIX. 23. 24. *Tunica* inconsutilis typus erat justitiæ perfectæ, quæ nullam divisionem patitur, sed tota vera fide est recipienda. Cæteræ vero *vestes* in quatuor partes distributæ respondent variis charismatibus Spiritus omnibus mundi cardinibus distribuendis. Malunt tamen alii ad corpus Christi horum vestimentorum symbolum restringere. Sic *Cyrillus* lib XII. in Joh. c. 32: *In quatuor partes vestimenta Christi divisa sunt, & tunica sola indivisa mansit, quod mysticæ cujusdam rei signum esse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem redactæ indumentum verbi, id est, carnem ejus impartibiliter inter se partitæ sunt. In singulos enim partibiliter transiens unigenitus & animam atque corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atque integre in omnibus est, cum ubique sit nullo modo divisus.* Eadem *Theophylactus* in c. 19. Joh. Eodem tamen hoc redit cum nostra hypothesi, quia Christi *corpus* non aliter dividitur Ecclesiæ, quam per beneficia, quæ in corpore acquisivit. Hæc vero ultima significatio *vestium* Messiæ eo magis meretur notari, quia in ea fundamen-

& ratione Messiæ justitiam & amorem ejus adumbrat.

Typus divisionis vestium Christi sub cruce.

tum eſt nervoſiſſimæ reciprocationis, in Scripturis obviæ, per quam Chriſtus, illiusque *veſtes* ſimul ut *veſtes* fidelium in Eccleſia ſæpenumero conſiderantur, quas infra Exerc. VIII. §. 18. ſq. luſtrabimus.

Tertium & quartum emblema heic præcipue conjungendum.

Quamvis autem omnia hæc emblemata in noſtro loco jungi poſſint, putem tamen potiſſimum reſpici ad tertium & quartum, quia ad ea tempora prophetia collimat, in quibus humanitas Chriſti glorificata, & vinculum amoris Meſſiæ cum Eccleſia conſummatum erat.

Quomodo hæ veſtes ut ſingulare peculium Meſſiæ conſiderentur? Veſtes præmii loco.

VI. Hæc *veſtimenta* Meſſiæ appropriantur ut ejus peculium, quando dicitur TUA. Eodem jure, quo *gladius*, *ſagittæ*, *ſolium*, *regnum* SUA dicta ſunt. Sive enim per veſtes gloriam humanitatis ſuæ in cælis, ſive Eccleſiam intelligimus, utriusque poſſeſſio ipſi ex pacto debita erat. *Si animam ſuam poſuerit in ſacrificium pro reatu, videbit ſemen* (Eccleſiam) *& prolongabit dies* (æterna gloria veſtitus) Jeſ. LIII. 10. Sane præmium laboris, fidei, victoriæ ſæpe veſtes fuere. Gen. XLI. 42. Jud. XIV. 13. Eſth. VI. 8. Sic Scipio Maſiniſſam apud *Livium* XXX. 15. *toga picta & tunica palmata donat*: quod & alias præmium virtutis atque fidei erat a Romanis dari ſolitum. Hieronicæ apud Graecos pura & ſplendida veſte donabantur, uti poſt *Fabrum* notat *Lydius* Agon. Sacr. c. 37. Et *Virgilius*, quando praemia ab Ænea propoſita deſcribit Æn. V. ait:

Ipſis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum &c.

Merito ergo & illæ veſtes Meſſiæ debitum præmium erant, poſt conſummatum ſalutis opus. Quin has ut æſtimatum cariſſime peculium ſtudioſe conſervat.

Quando omnia veſtimenta memorantur reſpectum

VII. In latiſſimos autem campos ſe ſuumque lectorem diffundit Pſalmiſta, quando *veſtimenta* OMNIA Meſſiæ laudat. Ita enim libertatem dat intelligendi, quicquid per *veſtes* Meſſiæ intelligi poteſt. Ita fors ſimul ad varietatem *veſtium*

ſtiam ſacerdotalium alludit, quæ ſingulæ ſuam δήλωσιν habent. Octo numero erant: *feminalia, tunica, balteus, pallium, Ephod, pectorale*, & *tiara* cum *lamina aurea*, de quibus tam abunde egit *Braunius* laudato libro, ut ad literam vix quicquam addi poſſit. Senſum myſticum ita apte digeri poſſe putem. *eſſe poteſt ad ſingula veſtimenta Sacerdotalia.*

1) Bracchæ ſeu *feminalia* ratione Chriſti deſignant ſanctitatem ejus intimas facultates animæ ejus poſſidentem: ratione Eccleſiæ membra ejus ſeu viliora, ſeu abdita coram mundo, quæ tamen in occulto Chriſto adhærent. 2) *Tunica* totum corpus tegens, texta non conſuta, teſſellis tamen diſtincta, ratione Chriſti glorificati exprimit ejusdem ſanctitatis ſummam perfectionem & integritatem in variis virtutibus ſe exſerentem: ratione Eccleſiæ, membra ejus univerſim conſiderata, mutui amoris vinculo cohærentia, quamvis ſuis donis diverſis diſtincta. *Preſſius indicatur ſymbolum braccharum, tunicæ,*

3) *Baltheus* tunicam adſtringens, quid ratione Chriſti innuat, nempe majeſtatem & virtutes regias, dictum eſt Exerc. V. §. 11. In Eccleſia balthei vicem gerunt tum Reges, qui eam defendunt, tum Miniſtri, qui diſciplinam eccleſiaſticam exercent. *balthei,*

4) *Pallium* ratione Meſſiæ ſymbolum eſt juſtitiæ ejus prævaricationes omnes tegentis, cujus ſuave præconium tintinnabulis, fructus excellentes malogranatis aſſimilantur: ratione Eccleſiæ veros confeſſores adumbrat, qui confeſſionis tinnitum cum fructibus bonorum operum conjungunt. *pallii,*

5) *Ephod* in Chriſto exprimit amorem & fidem ejus, qua univerſam Eccleſiam in humeris ſuis portat: in Eccleſia demonſtrat eam ex duabus partibus conſtare, quarum poſterior veteris, anterior novi Iſraelis imago eſt, qui duplici ſardonyche Scripturæ V. & N. T. criteria veri Iſraelis deſcribentis connexi ſunt. *Ephodi,*

6) *Pectorale judicii* cum Urim & gemmis ratione Chriſti ſignificat poteſtatem ejus judicialem, quam per Spiritum in fideles exercet, per quem talibus virtutibus eos exornat, quæ eos amore ſuo dignos reddunt: in Eccleſia illos, qui eodem Spiritu acti a Chriſto in Judices XII. tribuum Iſraelis conſtituti ſunt, Apoſtolos nempe, easque virtutes, *pectoralis judicii,*

tiaræ, quæ in iis emicuerunt. 7) *Tiara* ratione Chriſti cœleſtem ejus majeſtatem : ratione Eccleſiæ ſpiritus conſummatorum juſtorum repræſentat. 8) Unde ſequitur *laminam auream* cum inſcriptione *ſanctitatis Jehovæ* in utrisque indicare, quomodo nomen Jehovæ ab utrisque in ſua conſummatione pleniſſime ſanctificetur.

laminæ aureæ.

Amabilitas harum veſtium ſub emblemate aromatum proponitur.

VIII. Quicquid autem per *veſtes* Meſſiæ intelligitur, iſtud *omne* ut amabile obverſatur Pſalti noſtro. Si de perfectionibus humanitatis ejus in cœlo glorificatæ cogites, *quicquid ei ineſt, deſiderabile eſt* Cant. V. 16. Si de Eccleſia, illa quoque *tota pulchra eſt* Cant. IV. 7. Atque ut hanc amabilitatem ſub elegantiſſima allegoria depingat, comparat has *veſtes* MYRRHÆ, ALOE & CASIÆ, unguentis fragrantiſſimis, de quibus tum ſingulis, tum conjunctis aliquid monendum.

Myrrha ex Dioſcoride deſcribitur, & duplex eſſe notatur, liquida & arida, quæ ſtacte dicitur.

IX. Primum unguentum מור, MYRRHAM eſſe, dubitantibus licet Judæis, apud noſtros Interpretes pro certo habetur. Suadet id tum convenientia literarum, tum proprietatum quæ myrrhæ in ſacris adſcribuntur, analogia. Eſt autem illa, ſecundum *Dioſcoridem* δάκρυον δένδρου γεννωμένου ἐν Ἀραβίᾳ ὅμοιον τῇ αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ, ἧς ἐγκοπτομένης ἀπορρεῖ τὸ δάκρυον εἰς ὑπεστρωμένας φιάθους. τὸ δὲ ἐπὶ τῷ σελέχει περιπήγνυται καὶ λέγεται αὐτῆς ἡ μὲν τις πεδιάσιμος λιπαρά, ἧς πιεζομένης, ἡ σταχὴ λαμβάνεται. Ἡ δέ τις γαβιρέα λιπαρωτάτη, ἐν εὐγείοις καὶ λιπαροῖς τόποις γεννωμένη· ἡ καὶ πολλὴν ἀνίησι τὴν σταχήν. πρωτεύει δὲ ἡ τρωγλοδιτική. I. *lachryma arboris, quæ in Arabia gignitur, Ægyptiæ ſpinæ non diſſimilis: e cujus vulnere defluit lacryma in ſubjectas tegetes, alia circum caudicem concreſcit. Dicitur ex his alia pediaſimos præpinguis, qua expreſſa, ſtacte emittitur. Alia gabirea pinguiſſima & pingui ſolo naſcens, ea copioſam ſudat ſtacten. Omnium nobiliſſima eſt Trogloditica.* Ita ille lib. I. c. 67. Ex quo loco id cumprimis obſervandum, *myrrhæ* duas partes conſtitui, alteram liquidam, quæ exprimitur, unguentisque inſervit, alteram remanentem aridam, quæ ſuffitui adhibetur. Prioris, quam *ſtacten* vocant, heic habenda eſt ratio. Clare rem expreſſit *Baſilius Magnus* in noſtrum

Hic liquida intelligenda eſt.

strum locum: Ἡ δὲ σακτὴ καὶ αὐτὴ σμύρνης ἐστὶν εἶδος τὸ λεπτότατον. Ἐκθλιβέντος γὰρ τοῦ ἀρώματος, ὅσον μὲν αὐτοῦ ῥυτὸν εἰς τὴν σακτὴν ἀπομερίζεται. τὸ δὲ παχὺ ἀπομένον, σμύρνα προσαγορεύεται. i. *Et ipsa stacte est myrrhæ species tenuissima. Expresso enim aromate, quantum quidem illius est fluidum, in stacten seponitur. Crassum autem illud, quod remanet, myrrha nominatur.* Qui plura de myrrha cupiunt, adire possunt *Plinium* l. XII. c. 15. *Theophrastum* Hist. Plant. lib. IX. c. 4. *Isidorum* lib. XVII. c. 8. & ex recentioribus præter Botanicos *Schacchum* Sacror. Elæochr. Myrothec. I. c. 52. *Ursinum* in passionali de fasciculo Myrrhæ & Horti Aromat. lib. III. c. 5. *Bochartum* in Phaleg. lib. II. c. 22. & Hierozoic. P. I. lib. II. c. 26. & P. II. lib. 5. c. 9. Joh. *Bodeum a Stapel* in Theophrast. l. cit. *Salmasium* Exercit. Plin. p. 512. sqq. *Spanhemium* ad Callimach. p. 69. 70. *Jac. Meierum*, collegam meum honoratissimum in dissertatione de suffitu §. 12. sq. *Ziegra* de oleo unct. §. 3. sq. Nos ea tantum attingemus, quæ emblematica explicatio supponit. 1) *Myrrha* potest symbolum esse rei præstantissimæ, quia inter aromata primarium locum obtinet. Hinc Hebræi in *Midrasch Esther* II. 5. ajunt מור ראש לכל הבשמים i. *Myrrha est præstantissimum omnium aromatum.* Omniaque aromata sub nomine *myrrhæ* comprehendi *Bochartus* docet. Nec de nihilo est, quod in descriptione olei unctionis Exod. XXX. æque ac hic, *myrrha* primum locum occupet. Idem conspicitur Proverb. VII. 17. 2) significare potest rem amœnissimam, ob fragrantissimum, quem spargit, odorem. Hinc Σμύρνης αἰθερίας κατανόν i. æthereæ myrrhæ *nidorem* laudat *Euripides* Troad. Act. IV. Et *Lucretius* lib. II. describit:

In emblemate myrrha exprimere potest
1) *rem præstantissimam*
2) *rem amœnam:*

- *Amaracini blandum stactæque liquorem.*

Et unguenta odoratissima ex myrrha potissimum confecta, de quibus præter citatos videatur *Perizonius* ad Ælian. Var. Hist. XII. 31. Unguenta autem rerum suaviissimarum emblema sunt. Hinc apud *Apulejum* Metam. lib. VI. *Gratiæ spargebant balsama.* Et *Crates* in vicinis apud *Athenæum* lib. XV.

c. 16.

c. 16. ait: *multo dulcius, o Jupiter, regio unguento. Menandri* quoque in Reticulo dictum est: *Suave unguentum, suavis puer.*

3) rem constantem: 3) Porro depingit rem constantem: quæque in se vim conservatricem habet. Hinc in condiendis mortuorum corporibus *myrrha* potissimum habebat locum. *Anshelmus* in Matth. fol. 28. b. *Corpora mortuorum myrrha condiuntnr, quia ex nimia amaritudine per eam vermes exstinguuntur.* Ex ipsa Salvatoris nostri sepultura id videri potest Joh. XIX. 39. Atque idem aliis gentibus in usu fuisse notarunt *Kirchmannus* de funerib. Roman. I. c. 8. *Queensted* de sepult. veter. c. 5. *Nicolaus* de luctu Græcor. VI. §. 3. *Dietericus* Antiq. Biblicar. ex Gen. L. p. 145. 4) Inest quoque *myrrhæ* virtus sanans & vim antidoti habens. *Galenus* jam id notavit de antidotis lib. I. c. 14. εἰδέναι δεῖ ἐπιτήδειον ὄσαν εἰς τὰς ἀντιδότους τὴν τρωγλοδύτην λεγομένην σμύρναν i. *Sciendum est, ad antidota commodam esse myrrham, quæ Troglodytis dicitur.* Quare de talibus usurpari potest, quibus vis sanandi animas inest. 5) Denique & sapor *myrrhæ* habet aliquid hieroglyphicum, qui tam amarus est, ut inde quoque nomen trahat. מור enim est a מרר. Unde ad res carni duras merito transfertur.

4) vim sanantem animæ:

5) rem carni amaram.

Secundum aroma conjicitur esse aloe. X. Difficilior est de secunda specie aromatica, quæ אהלות dicitur, inquisitio. Mentio ejus fit Cant. IV. 13. ubi itidem cum myrrha conjungitur: *Myrrha,* אהלות, *cum omnibus præcipuis aromatibus.* Eadem terminatione masculina occurrit Num. XXIV. 6. & Proverb. VII. 17. in quo postremo loco itidem myrrhæ nexa est: *Perfudi cubile meum Myrrha,* אהלים & *cinnamomo.* Unde certissimum, simile aroma in utroque loco signari. Nec difficulter me persuaderi patior, ob soni vicinitatem, idem aroma intelligi, quod apud profanos authores sub ALOES nomine notum est. Ejusdem enim fere cum myrrha usus, sæpeque cum ea conjunctam fuisse, vel ex Joh. XIX. 39. patet. Sed quid apud antiquos per *aloën* intellectum sit, istud obscurius. Nam nomen hoc duabus diversissimis plantis datur: alteri arbori aromaticæ, ad thymia-

Duplex potissimum aloes apud

Landesbibliothek Oldenburg

miamata vulgo usurpatæ: alteri herbæ, ex qua succus catharticus amarissimus eliciebatur. *Isidorus* cap. de arboribus aromaticis: *Aloa in India atque Arabia gignitur, arbor odoris suavissimi ac summi. Denique lignum ipsius vice thymiamatum adoletur altaribus.* At c. seq. de Herbis: *Aloe, herba amarissimi succi.* Arborem *aloes* quod attinet, per eam intelligitur eadem, quæ ab antiquis *agallochum*, a recentioribus *xylaloe* nuncupatur. In Arabia tamen eam gigni negant alii, & herbæ potius hoc proprium esse putant. *Galenus* lib. VI. simplic. Ἀλόη αὕτη μὲν ἡ πόα παρ' ἡμῖν ἔ πάνυ τι φύεται, καὶ ἡ φυομένη ἢ κατὰ Συρίαν τὴν μεγάλην, ὑδαλωδεστέρα τε καὶ ἀσθενεστέρα τὴν δύναμιν ἐστίν. ἅχρι μέν τοι τοσούτου ξηραίνειν πέφυκεν, ὡς κολλᾶν τραύματα. κατὰ ἢ τὰς θερμοτέρας χώρας, ὧν ἐστιν ἡ κοίλη Συρία καὶ Ἀραβία, πολὺ βελτίων ἐστίν. ἀρίστη ἢ καὶ κατὰ τὴν Ἰνδίαν, i. *Aloe hæc herba non admodum apud nos provenit, & quæ nascitur in magna Syria, aquosior est, & facultatis imbecillioris: attamen usque adeo desiccari potest, ut vulnera glutinet. At in regionibus calidioribus, qualis est Cœlesyria & Arabia, multo est melior: optima autem Indica.* Indicæ tamen præfertur ab aliis quæ in Leria insula quadam Archipelagi crevit. Plura de his plantis videri possunt apud *Salmasium* Exercit. Plin. p. 1153 sqq. *Heinsium* Aristarch. Sacr. p. 518. sq. *Ursinum* Arboreti Biblici c. 3. & 43. & Horti Aromatici lib. III. c. 2. *Joh. Bodæum a Stapel* comment. in Theophrast. lib. VII. p. 903. seqq. *Hofmannum* Lexico voce *Aloe* & *Xylaloe*, & singulari tractatu, quem *Aloedarium* inscripsit, *Abrah. Muntingium.* Quænam autem *aloe* hic a Psalmista indigitari credenda est? Si certum esset, quod Plinius de herba aloe scribit H. N. lib. XXVII. c. 4. *Non ea utuntur nisi ad vulnera*, inter unguenta locum non haberet. Et certe multam insumsit *Salmasius* operam, ut ex eorum numero hanc herbam expungeret, cujus authoritate commentatorum multi commoti sunt. Sed defendit contrarium feliciter *Bodæus* l. cit. & ex *Aetio*, *Suida*, *Oribasio*, *Nic. Myrepso*, *Avicenna* probat, *aloem herbam* utique inter unguenta veterum locum habuisse. *Avi-*

Hic postremam speciem intelligi, fit verosimile.

cemæ verba addo, quia cum myrrha jungit: *Illud quod melius eſt, ſuccutrinum eſt cujus aqua ſicut aqua croci, & odor ejus ſicut odor myrrhæ, ſplendidum, friabile, frangibile, mundum a gypſo.* Quæ cum ita ſint, ego non video rationem ullam, cur *lignum aloes* præferatur *herbæ*: præſertim cum nomen *Xylaloes* ante *Aetium* ignotum fuerit, & apud vetuſtiores probari nequeat, nomen *aloes* ligno cuidam datum eſſe. Unde vel ex hoc argumento patet, *Paraphraſin Chaldaicam* in Pſalmos & Canticum recentioris Judæi opus eſſe. Iſtud enim אקסיל אלואין, quod heic & Cant. IV. 14 in *Targumim* reperitur, ipſa vox *Xylaloe* eſt, quæ veteribus phyſicis & medicis incognita. Quod autem quidam objiciunt Num. XXIV. 6. cum *cedris* conjungi, adeoque ad arborum genera pertinere, nullius momenti eſt. Jacobi tabernacula ibi horto irriguo comparantur, in quo herbæ arboribus permixtæ ſunt. Habet autem hæc *aloe* multa cum myrrha communia, quare hieroglyphicum ferme idem gerere poteſt. 1) Inter unguenta adhibitam jam indicavimus. 2) Ad pollincturam cadaverum cum myrrha fuiſſe conjunctam ex hiſtoria Evangelica Joh. XIX. jam citata abunde patet, adeoque vim quoque conſervatricem habebat. 3) Præcipuus ejus eſt in medicina uſus. Quare *Geographus Arabs* Part. 7. Climalis 1. a *Salmaſio* citatus, *plurimas ejus & præſtantiſſimas virtutes* prædicans, *non eſſe perfecta medicamina absque illa* addit. 4) Sapore quoque amarulenta eſt, unde ἀπογευομένῳ πικροτάτη i. *guſtu amariſſimæ Dioſcoridi* lib. III. c. 25. audit.

Emphaſis ejus in ſenſu emblematico indicatur, quæ fere cum myrrha incidit.

XI. Reſtat tertia aromatum ſpecies קציעות dicta. Vox ex ἅπαξ λεγομένων. *Bucerus* poſt *Abenezram* vertit per *plicas, angulos omnium veſtium*: quia ſine conjunctione ad מור & אהלות ſubjectum eſt: cui tamen obſervationi merito ipſe non multum fidit. Repugnat ejus hypotheſi communis antiquiorum interpretum aroma aliquod intelligentium ſenſus, & accentuatio Tipcha anterioris, cujus ſemper ea vis eſt, ut cum præcedente voce Munachata conjungat, & a ſequentibus diſtinguat.

Tertium aroma caſiam Græcorum indicat, arborem odoratam, cujus cortex aromaticus.

Landesbibliothek Oldenburg

guat. Conveniunt plerique, soni quadam iterum vicinitate inducti, idem esse quod Græci CASIAM nominarunt. Græci inquam: apud Latinos enim *casia* quoque nomen floris est, qui ad unguenta adhibitus non legitur. Græci autem hoc vocabulo arborem in Arabia nascentem & Ægypto indigitarunt, cujus cortex odoratus magni usus unguentariis est. Quod etiam cum radice Hebrææ vocis convenit; quae est הקציע *tectorium detraxit.* Decorticatur enim planta, prout murus tectorio nudatur. Apud Hebraeos eadem existimatur cum קדה, quae in oleo unctionis adhiberi debebat. *Aruch* scribit eam vocari בלשון יון קסיעה ובלשון קדש קידה i. *in lingua Græca casiam, & in lingua sancta Kidda.* Et *Chaldæus Paraphrastes* Exod. XXX. 34. Kidda vertit קציעתא. Conveniunt *Abenezra* & *Jarchius* l. cit. Ex descriptione hujus fruticis, quae est apud *Dioscoridem* lib. I. c. 12. *Prosperum Alpinum* de plantis Ægypti c. 2. *Plinium* lib. XII. c. 19. patet, eam licet non eandem, in multis tamen odore, sapore, usu cinnamomo esse similem. Unde *Salmasio* videtur *cinnamomum* interiorem, *casiam* vero exteriorem corticem ejusdem fruticis esse. Sane Proverb. VII. 17. in simili recensione aromatum, loco *casiæ cinnamomum* reperitur. Authores etiam frequenter *casiam* & *cinnamomum* jungunt. V. *Theophrastum* Hist. plant. l. IX. c. 5. *Plinium* lib. XII. c. 19. *Persium* Sat. VI. Quin *Galenus* lib. de antidotis, *casiam usque adeo cinnamomo proximam esse* ait, *ut ex ipsa quandoque cinnanomum oriatur.* Hinc *isocinnamos Plinio* lib. XII. c. 20. Inter odoramenta myrrhae saepe, ut hic, fuit addita. *Martialis* lib. XI. Epigr. 55. in Zoilum:

Quidam pro Kidda Hebræorum habent:

cinnamomo non valde dispar.

Unguenta & casias & olentem funera myrrham,
Thuraque de medio semicremata rogo.

Et lib. X. Ep. 97. de Numa:

Dum myrrham & casiam flebilis uxor emit.

Plura qui cupit, adeat *Salmaſium* Exercit. Plin. p. 540. & 1304. ſeqq. *Urſinum* Horti Aromat. III. c. 9. §. 10. *Salmuthum* ad *Pancirollum* lib. II. Tit. 4. *Scacchum* Sacr. Elaeochriſm. lib. II. c. 11. *Bodæum* ad Theophraſt. Hiſt. Plant. lib. IV. p. m. 558. & lib. IX. p. 984. ſeq. *Verwey* de unction gener. cap. 1. *Morinum* Not. in Steph. Byzant. ap. Bochart. p. m. 795. 796. *Spanhemium* Miſcellan. Sacr. Antiq. I. cap. 15. *Meierum* de ſuffitu §. 15. ſeq.

Hieroglyphice adumbrat aliquid pretioſum, ſuave, conſtans, ſanans, dulce.

In hieroglyphicis haec planta haud exiguum uſum habet. 1) Adumbrare poteſt rem pretioſam, quia in magno pretio apud antiquos fuit. Hoc innuit *Paraphraſtes Chaldaicus*, quando rationem, cur filia Jobi ſecunda c. XLII. 14. Ketzia dicta ſit, hanc reddit קציעה היה קרי לה דהוות יקירא כעין קציעתא: i. *Et appellavit eam Ketzia, quod eſſet pretioſa inſtar caſiæ.* 2) Nec dubium eſt, ſuaviſſimo ſe odore *caſiam* commendare. *Servius* ad Georg. II. *Herba eſt*, inquit, *ſuaviſſimi odoris, de qua fit unguentum.* In eo tamen errat, quod arborem cum herba confundat. *Theophraſtus* quoque inter aromata ἐυοσμα recenſet lib. IX. c. 7. Hinc *incertus Author* ad Mecaenatem:

Hic tibi corycium, caſias hic donat olentes.

3) Pollet etiam vi conſervatrice, atque ideo apud Ægyptios in condiendis corporibus ſimul adhibita. *Herodotus* in Euterpe §. 86. Επειτα τὴν νηδὺν σμύρνης ἀκηρήτε πετριμμένης καὶ κασίης, καὶ τῶν ἄλλων θυμιαμάτων, πλὴν λιβανωτῦ, πλήσαντες συῤῥάπτεσι ὀπίσω i. *tum alvum complentes contuſa myrrha pura, & caſia, & aliis (excepto thure) odoribus, iterum conſuunt.* 4) Vim quoque medicam in *caſia* laudant authores, & inter antidota eam numerat *Galenus* de antidotis lib. I. c. 14. 5) Guſtu vero a myrrha & aloe differt, quia cum acrimonia mixtam habet dulcedinem. Idem *Galenus* lib. de Theriacis ad Piſonem: Ως ἥγε καλλίστη κιννάμε καὶ ῥοδίζουσα ὥσπερ καὶ ἡδὺ τὸ γευστικὸν ἐν τῇ γεύσει ποιυμένη, συριγγώδης τε ἔσα καὶ οἰνίζουσα· καὶ πολὺ τὸ ἀρωματίζον ἔχουσα, ζιγγιβερ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων ἔπο λεγομένη i. *Nam optima laudatiſſimaque* (varia caſiæ genera recenſet) *rubeſcit & roſam exſpirat, ſicut etiam dulcem guſtum præfert, fiſtu-*

fistulis plena & vinum obolens, & aromatum modo vehementer odorata, atque hæc Zingiber ab indigenis appellatur.

XII. His unguentis vestes Messiæ madent. Ita solitum in nuptiis ut docet *Verwey* de variis unct. gen. c. III. *Spanheimius* Not. in Plutum Aristophanis v. 529. p. m. 256. Idem consuetum in conviviis veterum, de quibus *Stuckius* Antiq. Conv. III, 15. *J. C. Bulengerus* Conviv. III, 26. seq. *Paschalius* de coron. II, 4. *Ursinus* ad *Ciacconium* de Triclinio p. 132. seq. &c. Coronæ quoque Regiæ Persarum unguento ex myrrha & Labyzo delibutæ sunt, uti ex *Athenæo* & *Hesychio* probat *Brissonius* de regno Persar. lib. I. §. 53. Sed potissimum tamen hic cogitandum de unctione summi Pontificis, quæ ea mensura fiebat, ut non tantum guttæ quædam capiti illinirentur, sed etiam destillarent e capite in reliquas vestes. Adi *Schickardum* de jure Reg. cap. I. Theor. 4. p. 73. sqq. & *Carpzovium* in notis, *Seldenum* de Succeff. in Pontif. lib. II. c. 9. *Scheidium* de unct. p. 12. *Voisin* ad *Raimundi* Pugion. Fidei P. II. c. 3. fol. 247. sq. Hic enim unctionis ritus a Spiritu Sancto in emblema est adhibitus Ps. CXXXIII, 2. *Est ut unguentum illud optimum, superfusum capiti, descendens super barbam, barbam Aharonis, quod descendit* על־פי מדותיו *i. super os vestimentorum ejus*: per quod *os* non fimbrias seu inferiores, sed superiores *vestium* partes intelligo, & præcipue *duos sardonyches*, qui aperturam vestium in humeris fibularum instar claudebant, & per guttas destillantes in barbam humectari poterant. Hoc enim sufficiebat ad unctionem, & cum descriptione, quam Judæorum Magistri apud citatos authores de unctione Sacerdotum faciunt, optime convenit. Quin accurate exhaurit hæc expositio scopum sacri Vatis, qui erat, ut describeret amœnitatem communionis sanctorum in Ecclesia, cujus communionis hi sardonyches elegantissimus typus erant. Ex quo tamen simul patet, ita ad hanc unctionem alludi in nostro Psalmo, ut simul præcellentia unctionis Messiæ innuatur. Cum enim vestium Sacerdotis summi tantum extimæ

Quando vestes Messiæ bis unguentis madent, ad vestes nuptiales, seu convivales, seu regias, sed potissimum ad vestes Sacerdotales alludum est.

Psal. 133:2. explicatur.

oræ unguenti ſacri odorem ſpargerent, Meſſiæ *veſtes omnes* eo imbutæ ſunt.

Veſtes gloriæ Meſſiæ poſſunt in genere conſiderari ut unguentis delibutæ.

XIII. Et ſane quicquid per unguenta ſecundum datam deſcriptionem præfigurari poteſt, id in veſtibus Meſſiæ locum habet. Si cogitamus de *veſtibus* glorioſæ ejus humanitatis 1) *pretioſæ* ſunt, tum quia pretioſo ſuo ſanguine ſibi viam ad hos honores aperire debuit, tum quia in ea tanquam arca omnes theſauri cognitionis & omniſufficientiæ Dei repoſiti ſunt. 2) *Amæniſſimum* odorem ſpargunt, primo ratione Patris ſui cœleſtis, qui ſe in Filio glorificatum agnoſcit, ſuumque beneplacitum in ejus obedientia, quam jugiter per interceſſionem pro ſuis Meſſias Patri offert, eam exaudiendo declarat: denique in Filio fideles acceptos facit, quia fœtor peccatorum per fragrantiam meriti Chriſti ſupprimitur. Porro & bene fragrant veſtes gloriæ Chriſti ratione fidelium, qui inde cum Sponſa teſtantur Cant. I. *Secundum fragrantiam unguentorum tuorum bonorum, ut oleum effuſum eſt nomen tuum: propterea puellæ amant te.* Quid enim jucundius, quam conſummatam Chriſti in tota perſona gloriam intueri ut teſſeram adductæ æternæ juſtitiæ, & ut pignus propriæ in cœlis gloriæ? 3) Sunt etiam veſtes *perennes*: quia vitam æternam ſecundum totam perſonam Pater Meſſiæ promiſit Pſ. XVI, 11. Jes. LIII, 10. & interceſſionis ejus vis ſemper perdurat. 4) Vis quoque *ſalutifera* his *veſtibus* ineſt. Nam per interceſſionem Chriſti vulnera conſcientiæ obligantur, debilitas animæ in fide & precibus ſublevatur, venenati ictus infernalis ſerpentis extinguuntur, ipſe mortis aculeus frangitur.

Nec minus veſtes Eccleſiæ ſuæ unguenta hæc.

XIV. Si vero per *veſtes* Meſſiæ Eccleſia Chriſti intelligitur, ea iisdem quibus Chriſtus, *unguentis* delibuta eſt, quia imago Chriſti in ea ſplendet, præcipue in iis perfectionibus, quas *unguenta* hæc adumbrant. 1) Illa quoque *pretioſa* eſt, utpote *emta pretio*, 1. Cor. VI, 20. & *cara in oculis Domini* Jeſ. XLIII, 4. 2) Eadem de ſe *ſuavitatem* odoris ſpargit per virtutes, quibus ornata eſt, de quibus recte locum noſtrum expli-

plicat *Clemens Alexandrinus* Pædagog. lib. II. c 8. χρὴ δὲ μάλα, τὰς μὲν ἄνδρας τὰς παρ' ἡμῖν, μὴ μύρων, ἀλλὰ καλοκαγαθίας ὄζειν. γυνὴ δὲ ὁσπουδείλω χρίεσθαι καὶ ἐλαίῳ καὶ βασιλικῷ· μὴ ἀλλοτρίων καὶ μύρων, ἀεὶ δὲ τῷ σωφροσύνης ἀμβροσίῳ χείσματι σωαλείφεσθω, ἁγίῳ περιμένη μύρῳ τῷ πνεύματι· τοῦτο σκευάζει χρίσις ἀνθρώποις γνωρίμοις, εὐωδίας ἄλειμμα, ἐκ τῶν ἐφημίων σωτιθεὶς ἀρωμάτων τὸ μύρον. Τούτῳ καὶ αὐτὸς ὁ κύριος σωαλείφεται τῷ μύρῳ ὡς διὰ Δαβὶδ μεμήνυται. Διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ θεὸς, ὁ θεός σου. σμύρνα, καὶ κασσία, καὶ κασία, ἀπὸ τῶν ἱματίων σου. i. *Oportet autem viros imprimis apud nos non unguenta olere, sed vitæ probitatem. Spiret autem fœmina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta & diapasmata: divinæ autem semper ungatur pudicitiæ unctione, sancto delectata unguento, nempe Spiritu. Hanc suavis odoris unctionem hominibus notis suis Christus comparat, ex aromatibus cœlestibus hoc unguentum componens. Hoc autem unguento ipse quoque Dominus tingitur. Sicut per Davidem meminit: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis, myrrha & stacte & casia a vestimentis tuis.* Suavis hic Ecclesiæ virtutibus & fructibus Spiritus ornatæ *odor* commendatur Cant. IV, 11. *odor vestium tuarum est velut odor Libani.* Suavis autem est Ecclesia odore virtutum *tum* respectu Christi, qui suum opus in suis perfici, atque ita suum honorem promoveri videt: *tum* respectu aliorum, tam fidelium, qui gaudent gratiam Dei in aliis quoque abundare, quam infidelium, qui exemplo lucrifieri possunt. 3) Nec minus gaudet Ecclesia perenni *constantia* ex æterno Testamento Dei fluente. 4) Et munita est antidotis contra morsus venenatos Draconis infernalis, quem per Christum ipsa quoque *sub pedibus suis conculcat.* Rom. XVI, 20.

XV. Hæc generatim per *aromata oleo immixta* designantur. Sed specialius quoque in singulis aromatibus potest aliquid emblematicum observari. Istud evidens est, plura eorum & diversa genera, perfectionum & qualitatum tum in glorificati Sacerdotis humanitate, tum in Ecclesia diversarum picturam continere. De Ecclesia in Cantico IV, 13. 14. *Propagi-* *Specialius singula aromatum genera suam propriam significationem habere probatur:*

Landesbibliothek Oldenburg

pagines tuæ ſunt mali punicæ, tanquam pomarii, cum fructu rerum pretioſarum, cypri cum nardis. Nardus & crocus, calamus odoratus & cinnamomum, cum omnigenis arboribus thuriferis: myrrha & aloe, cum præſtantiſſimis aromatum. Hæc qui absque ſpeciali ſcopo, quo per ſingula *aromata* ſingulæ quædam perfectiones innuuntur, cumulari putat, ille caveat, ne ex verbis Spiritus inanes ampullas faciat. Nos putamus cum catalogo hoc aromatum, catalogum fructuum Spiritus aptiſſime conferri, qui habetur Gal. V, 22. *Fructus Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, iræ cohibitio, benignitas, bonitas, fides, lenitas, continentia.* Quanquam fatear in ſingulorum enarratione multiplici difficultate rem implicitam teneri; idque inde ortum trahit, quia plurimorum apud veteres *aromatum* nunc nobis non tam genera quam nomina incognita ſunt. In noſtro loco quidam ratione Chriſti ſub tribus aromatibus tria officia ejus, Propheticum, Sacerdotale & Regium; ratione Eccleſiæ tres virtutes ejus primarias fidem, charitatem, ſpem intellexere: ſed invita Minerva, quia hic tantum in numero & non in re ipſa oſtendi poteſt analogia. *Theodoretus* in noſtrum locum per myrrham intelligit τὸ πάθος, νεκροῖς γὰρ αὐτὸ προφερόντως ἐπιφέρεται· σταχὺν δὲ τὴν κασσίαν τὴν ἀπὸ τοῦ πάθους εὐωδίαν i. *paſſionem: hæc enim mortuis potiſſimum applicatur; guttam autem & caſiam, ſuavem odorem, qui e paſſione emanat. Mollerus* in h. l. per *myrrham* & *aloem* crucem & calamitates Eccleſiæ ſalutares, per *caſiam* doctrinam de juſtitia & æterna ſalute per Filium parta ſuaviter recreantem exprimi putat. Ego donec meliora edoceor, haud inepte per *myrrham* & *aloen* obedientiam paſſivam, per *caſiam* activam deſignari poſſe puto, quæ utraque tum in Sacerdotio Chriſti, tum in exercitio Eccleſiæ conjuncta ſunt. Ita ſervo emblema *myrrhæ*, quod conſtanter in ſacris habet, quodque per guſtum ejus amarum indigitatur. Paſſiones Chriſti per *myrrham* intelliguntur Cant. I, 13. V, 13. quod emblema eleganter illuſtrat. *Theod. Daſſovius* de emphaſi vocum Sacr. Diſſ. III. §. 1. & paſſiones Eccleſiæ

& recenſitis aliorum ſententiis, myrrham & aloen obedientiam Chriſti & Eccleſiæ paſſivam, caſiam vero activam adumbrare potuiſſe indicatur.

siæ itidem Cant. III, 6. V, 5. Et hinc quoque clarum est, cur *myrrha* primum locum occupet, quia id quod Christum Ecclesiæ & Ecclesiam Christo summe amabile reddit, utriusque passiones sunt. *Aloen* vero ad easdem passiones refero, quia proprietates ejus & præcipue amaritudo proxime ad myrrham accedit. *Casia* ergo, quæ dulcedine gustus prioribus opposita est, dulce legis divinæ, quæ *favo mellis* assimilatur Psal. XIX, 11. implementum designet. Hoc fuit cibus Messiæ, & est simul perpetuum desiderium Ecclesiæ, quæ fructibus sanctificationis studet? Nec obstare debet, quod obedientia Christi ad exinanitionem potissimum pertineat, cum hic exaltatio ejus respiciatur. Exaltatus enim perfectionem obedientiæ suæ potissimum demonstrat, & Patri eam repræsentat, fructusque per illam acquisitos populo suo distribuit. Nec tamen hæc cuiquam obtrudi velim. Id certum est, nonnisi spirituales hic commendari *odores*, & ridiculos se præbere illos ex Pontificiis, qui ex his verbis prætextum quærunt, quando diebus festis thymiamata incendunt, deque altari in altare discurrentes Ecclesiam terresti odore replent. "Offundendus erat, " ut bene hic monet *Musculus*, bonus odor, odor vitæ, non " naribus, sed mentibus fidelium: non ex argenteo thymia- " sterio, sed ex ore Evangelico: non ad mortuas ac nihil odo- " rantes imagines, sed ad vivas imagines Dei & animas cre- " dentium." Sed fors hæc fumivenduli patientius ab *Eusebio* discent, qui Demonstr. Evang. lib. IV. c. 15. p. 172. ubi de unguento sacro, cum quo nostrum locum etiam confert, inter alia ait: οὐκοῦν τὸ ἡδὺ τῶν σωμάτων ἔλεξο, ἀδ' αὐτὸ καθ' αὐτὸ προύκρινεν ἂν τὸ θεῖον τῶν αἰσθήσεων προσηνές, χαμαὶ γὰρ καὶ ὑπὸ σωμάτων ἡδονὴν πεισθεὶς ἔτ' ἂν εἴη τὸ πάθος ψυχῆς. μυρίοι γοῦν τῶν τὰ σώματα πεθηλυμμένων, ἐμπαθεῖς ἄκλως καὶ ἀκόλαστοι, μύρων καὶ ποικίλων προσεργίαις χρώμενοι, πάσης αἰσχρᾶς καὶ ῥυπώσης δυσωδίας τὰς ψυχὰς προσφέροντες, ὡς ἐμπαλιν οἱ θεοφιλεῖς, ἀρετῆς ἐμπνέοντες, τὴν πολὺ κρείττονα τῶν ἐκ γῆς ἀρωμάτων τὴν ἐκ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, καὶ πάσης εὐσεβείας ἀναδιδομένην εὐωδίαν ἐπαγόμενοι, τὴν τῶν ὑλικῶν σωμάτων ὀδμὴν ἐν οὐδενὶ τέθεικε λόγῳ. i. *Non igitur, quod suave esset, in corporibus elegit, neque ipsum per se, quod sensus ipsos demulceret,*

prætulit: hoc namque animæ vitium fuisset, quæ in humum & ad corporum voluptatem declinaret: etenim innumerabiles effæminata corpora habentes, & alioqui vitiis obnoxii & intemperantes, qui unguentorum operosa varietate uti solent, animus interim omni fœditate omnibusque sordibus male olentes circumferunt. Sicut e contrario, qui Dei amici sunt, ipsam virtutem olentes, & multo præstantiorem a modestia atque a justitia & ab omni pietate halantem fragrantiam, quam de terræ odoramentis trahentes, odorem corporum, quæ materia constant, nihili prorsus faciunt.

Ebur & dentis & cornu similitudinem habet.

XVI. Exaggeratur excellentia horum aromatum, quando additur: מן-היכלי שן i. EX PALATIIS DENTIS sive EBURNEIS. An *ebur* cornu sit, an dens, disputant authores, de quo *Geierus* ad h. l. *Cyprianus* ad Frantz. Hist. anim. P. I. c. 4. p. m. 502. Scriptura utrumque jungit Ezech. XXVII, 15. ubi קרנות שן *cornua dentis*, quia materia eboris ad cornu, situs e proboscide prodeuntis ad dentem propius accedit. Eboris hujus apud antiquos ingens fuit pretium, uti docet *Gesnerus* de Quadrup. lib. I. p. 397. *Majus* Hist. Animal. lib. II. c. 1. p. 140. seq. *Lipenius* Navigat. Ophirit. c. 8. Th. *Bartholinus* de unicorn. c. 36. Cum ergo in Regum *palatia* præsertim a luxurioso oriente conferretur, quicquid pretiosum & splendidum videretur, uti demonstratum est a *Brissonio* de regn. Persico lib. I. §. 67, sqq. *Bocharto* Hieroz. P. II. lib. V. c. 8. *Salmasio* ad Solin. p. 475. 829. *ebur* quoque non tantum sceptris, sellis, mensis, thronis, sed etiam conclavibus & domibus ipsis exornandis atque inducendis est adhibitum: quæ non quod ex solido *ebore* constarent, sed quod parietes, tecta, columnæ, laquearia *eborè* tessellata, obductave essent, *eburneæ* dicebantur. Talem Achab exstruxit 1. Reg. XXII, 39. Et Amos III, 15. *Peribunt domus eburneæ.* De Persarum, quæ Susis & Ecbatanis exstructæ fuere, regiis *Aristoteles de mundo*: θαυμαστὸν ἐπέχων βασιλέων οἶκον, καὶ περίβολον χρυσῷ καὶ ἠλέκτρῳ καὶ ἐλέφαντι ἀφράπτοντα, *Apulejus* de mundo hunc locum reddidit: *Circumseptus*

In palatiis exornandis ebur usum multum apud veteres habuit.

septus admirabili regia, cujus tecta fulgerent eboris & argenti luce flammea, auri vel electri claritate. Tales domos habuit Menelaus apud *Homerum* Odyss. δ. v. 72. 73.

- - δώματα ἠχήεντα
χρυσοῦ τ', ἠλέκτρου τε, καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος.

i. *domus resonantes auro, electroque, & argento, atque ebore.*

Ad quem locum alludens *Lucianus* de domo pag. 452. ait: τὴν Μενελέω οἰκίαν ὑπερεκπεπλῆχθαι, καὶ πρὸς τὰ ἐν οὐρανῷ καλὰ τὸν ἐλέφαντα, καὶ τὸν χρυσὸν αὐτῆς ἀπεικάζειν i. *Menelai domum summa cum admiratione contemplari & cum iis, quæ in cœlo pulchra sunt, ejus ebur & aurum comparare.* Ejusdem ἐλεφαντοδέτων δόμων i. *eburnearum domuum* meminit *Euripides* Iphig. in Aulid. Act. 2. Et apud *Bacchylidem* citatum ab *Athenæo* Deipnos. lib. ll. Cei insulæ proceribus χρυσῷ δ', ἐλέφαντί τε μαρμαίρουσιν οἶκοι i. *auro & ebore fulgent domus.* Talem luxum innuit quoque Horatius Carm. lib. ll. od. ult.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Nam apud ipsos Romanos ligna pretiosa ebore distinguebantur & operiebantur, teste *Plinio* lib. XVI, 43. Et apud *Strabonem* lib. XVI. Arabum *portæ & parietes & tecta ex ebore, auro & argento & lapidibus ornatus caussa distincta* fuisse memorantur. Confer *Bochartum* Hieroz. P. I. lib. ll. c. 24. *Sanctium* ad Amos III *Ravanellum* in voce *ebur.*

XVII. Istud autem potissimum inter Interpretes controversum, quo scopo *eburnea palatia* a Psalte heic memorentur. Interpretum haut exigua pars, & inter eos *Raschius, Geierus, Coccejus, Lutherus* quoque in priori psalterii versione מן vertunt *præ.* Sed hoc nimis mihi catachresticum videtur, & sensum esse tum faciliorem, tum ampliorem, si reddatur: *ex palatiis.* Ita enim innuitur *sive* cum *Duporto* odorem

In schemate Prophetico Messias concipiendus est cum vestibus benè olentibus ex palatiis eburneis prodire.

rem aromatum, *sive* ipsum Regem Messiam cum vestibus undequaque odorem spargentibus, quod placet *Hopfnero*, *Junio*, *Piscatori*, ex palatiis ebore ornatis prodire, ut ab iis qui extra *palatia* subsistunt & olfieri & conspici possit. Et tum nova emblemata hic excutienda veniunt.

Palatium Regis Messiæ symbolum est Ecclesiæ.

XVIII. *Palatium* Regis Messiæ est Ecclesia. Idque eo majori jure, quia templum & præcipue illa ejus pars, quæ *sanctum* dicitur, sub nomine היכל designatur 1. Reg. VI, 3. allusione facta ad Theocratiam Dei in Israele. Consulatur *Coccejus* in voce היכל. Quare *Aquila* & *Symmachus* in hoc loco phrasin Hebræam per ναὸς ἐλεφαντίνης *templa eburnea* reddidere. Inde ad antitypum templi Ecclesiam transfertur, quæ est היכל יהוה i. *palatium Jehovæ* Zach. VI, 13. Animas sane piorum *habitacula* Deitatis esse posse ipsi gentiles perspexerunt. Hinc *Hierocles* in Carm. Pythag. p. m. 25. Ὡς γὰρ οἱ αὐτοὶ ἄνδρες φασὶ, ψυχῆς καθαρᾶς τόπον οἰκειότερον ὑπὸ γῆς θεὸς οὐκ ἔχει. οἷς καὶ ὁ Πύθιος συμφέρεται λέγων.

Animas sanctas domum Dei esse credidit antiquitas.

Ευσεβέσιν ἦ βροτοῖς μάνυμαι τόσον, ὅσον ὀλύμπῳ.

i. *Nam ut iidem viri asserunt, locum non habet Deus in terra, pura anima domui aptiorem, quibus & Pythius ipse adstipulatur, cum ait:*

Ipse piis tantum, quantum delector Olympo.

Nihilque consuetius, quam *templo* divinitatis animam comparare. Hinc apud *Senecam* citante *Lactantio* lib. VI. c. 25. *Non templa illi, (Deo) congestis in altitudinem saxis, exstruenda sunt: sed in suo cuique consecrandus est pectore.* Et apud *Statium* clementia lib. XII. Theb.

- *Mentes habitare & pectora gaudet.*

Plura collegit *Barthius* Adversſ. lib. LV, 5. & LX. p. 2981 Non spernendam emblematis hujus exegesin dat *Philo* de resipisc. Noe p. 282. Τίς γὰρ οἰκῷ πόλιν γενέσει δικαίᾳ ἂν ἀξιοπρεπέστερον εὐρεθῆναι θεῷ πολὺν ψυχῆς πλείως κεκαθαρμένης &c. *Gelenius* Latine vertit:

Quæ

Quæ enim domus in omni creatura invenitur dignior, quam Deus inhabitet, præter animam perfecte purgatam, quæ solum honestum bonum existimat, cætera censet rationi subdita, & huic debere obsequium. Dicitur autem in domo habitare, non ut in loco: continet enim omnia, ipse a nulla re continetur: sed tanquam illius loci curam gerens præcipuam. Quisquis enim domum possidet, necesse habet, ut ei provideat. Proinde in quemcunque bonum illud Deo carum impluit, petat ut Omnipotens in ipso habitare dignetur: ut parvum hoc ædificium, mentem videlicet, in altum sublatum a terra extremo cœlo inferat. In sacris non tantum singuli fideles ut habitaculum Dei & Spiritus ejus considerantur Joh. XIV. Rom. VIII, 11. 1. Cor. III, 16. 17. VI, 19. 2. Cor. VI, 16. sed etiam universa Ecclesia Ps. LXXXIV, 1. CXXVII, 1. Prov. IX, 1. XXXI, 21. Cant. VIII, 9. 10. Luc. XIV, 23. 1. Tim. III, 15. Hebr. X, 21. 1. Petr. II, 5. IV, 17. & collatio ampla hic institui potest, tum cum *domo* in genere, tum cum *domo regia* seu proprie dicto *palatio*, tum cum *templo* seu *palatio* divino, quale Regem decet, qui simul Deus est.

In sacris Ecclesia tripliciter potest considerari ut habitaculum Dei:

Qui cum *domo* in genere Ecclesiam comparare volet, is multiplicem deprehendet prævia Scriptura similitudinem. 1) quod habeat *architectum* Deum ipsum 1. Cor. III, 9. & speciatim Messiam Jes. XV, 32. Matth. XVI, 18. 2) quod *cooperarii* sint Apostoli & Ministri Evangelii Jes. XLIX, 17. 1. Cor. III, 9. Ephes. IV, 12. succedentes cathedræ Mosaicæ Ps. CXVIII. 22. 3) quod *delineatio* mystici hujus ædificii in æterno pacis consilio præcesserit Jes. XLIX, 16. 4) quod singulæ *partes* domus partibus Ecclesiæ respondeant. *Lapis fundamenti* & *anguli* est ipse Messias Jes. XXVIII, 16. Matth. XVI, 18. 1. Cor. III, 11. *Tectum* justitia ejus Prov. XXXI, 21. Idem & *janua* Psal. CXVIII, 19. 20. Joh. X, 7, 9. *Lapides* singuli fideles coagmentati in unitate Spiritus per gluten amoris 1. Petr. II, 5. Jes. LIV, 11. *Muri* designant *tum* fortitudinem ex amoris unione nascentem, tum disciplinam Ecclesiasticam Cant. VIII, 9. Jes. XLIX, 16. *Trabes* & *columnæ* tabulata & lacunaria fulcientes desi-

1) quatenus cum domo in genere comparatur, quod per partes potiores deducitur:

Landesbibliothek Oldenburg

gnant viros in Ecclesia spectabiles, quorum est ex singulari sua vocatione eam protegere & suo robore firmare Hab. II, 11. Gal. II, 9. Iidem sunt *paxilli* Jes. XXII, 23. *Fenestræ* sunt media gratiæ, per quæ lux cognitionis Ecclesiæ communicatur Jes. LIV, 12. Nec desunt *cisternæ* domui Davidis Jes. LIV. 12. 5) *Forma domus* ut plurimum *quadrata* divisam Ecclesiam in quatuor mundi partes exhibet, quæ itidem in *altum* & *profundum* extensa, quatenus ex abysso æternitatis emergens in cœlum porrigitur Eph. III, 18. 6) *Calamus mensorius* & *lapis stanni*, ad quem mensuratur atque adæquatur, est verbum Dei & judicium sanctorum Ezech. XL, 3 Zach. IV, 10. 7) *Claves* domus idem symbolum gerunt Jes. XXII. 22, Matth. XXI, 19. Apoc. III, 7. 8) *Suppellex* varia *aurea*, *argentea*, *testacea*, *lignea* ad diversa genera eorum, qui nomen Christi profitentur, transfertur a Paullo 2. Tim. II, 19. 9) *Conclavia* & *contignationes* diversæ diversos cœtus Ecclesiam constituentes exprimere possunt. 10) *Habitatores* domus hujus itidem varii a) ipsa SS. Trinitas Joh. XIV, 23. Rom. VIII, 11. Hinc Deus sæpe ut *Paterfamilias* inducitur in parabolis Evangelicis. b) *Familiam* ipsam constituunt tum *filii*, tum *servi* Joh. VIII, 35. Illi sunt veri fideles, domestici Dei Eph. II, 19. Hi vero, qui merum nomen gerunt. 11) Denique regimen totum Dei in Ecclesia est mere *Oeconomicum*, unde viæ ejus sub dulci Œconomiæ nomine veniunt Eph. III, 2. Col. I, 25. 1. Tim. I, 4. Siquidem leniter suos tractat Deus, de omnibus necessariis prospicit, & pro varietate ætatis & status varie gubernamen suum sapientissime exercet. Confer. *Ben. Keach* in Key to open Script. Metaph. T. II. In specie *domus regia* Ecclesiæ instar est. Nam 1) sicus *palatia* sunt domus, quas Reges inhabitant, ita Ecclesia est domus Messiæ, in qua habitat, id est præsentiam suam per providentiam singularem & opera illustria manifestat. 2) In *palatiis* majestas Regum conspicitur: Ecclesia vero est theatrum virtutum Regis cœlestis. 3) *Palatia* ab amicis Regum frequentantur, & in Ecclesia cum Christo Re-

Quatenus pingitur ut domus Regia seu palatium. Hic iterum ostenditur analogia tum

ge

ge electi familiariter consueſcunt, præſertim in N. T. Unde Sponſa gloriatur *introduci ſe in* חדרי i. *penetralia ejus* Cant. I, 4. 4) *Palatia* ſunt domus in altum provectæ, quin in locis excelſioribus tum ſplendoris, tum munitionis gratia ædificantur. Ita Eccleſia ſuper alia regna mundana evecta eſt, & contra portas inferni munita. 5) Ad ſtructuram *palatiorum* theſauri ſæpe regii exhauſti, ne quid deeſſet, quod magnificentiam & divitias regni oſtendere poteſt. Ad ornandam digne Eccleſiam theſauri omniſufficientiæ divinæ impenduntur. Pretioſiſſima ejus exſtructio promittitur Jes. LIV, 11, 12. *Ecce ego collaturus ſum cum ornamento lapides tuos & fundaturus te ſapphiris. Et diſponam pyropo ſpecularia tua & portas tuas lapidibus carbunculi, denique totum terminum tuum lapidibus ſpecioſiſſimis.* Duo præcipue *palatia* in ſacris memorantur, quæ illuſtris *palatii* Meſſiæ typus fuere. Alterum eſt Davidis opera Hirami ex cedris Libani & lapidibus pretioſis exſtructum in monte Zion 2. Sam. V, 11. VII, 2. 1. Chron. XV, 1. 2. Chron. II, 3. Quod cum Eccleſia N. T. collatum deſignat 1) Reges gentium ſuas opes ad ornandam Eccleſiam impenſuros; 2) Membra Eccleſiæ ſimilia futura cedris Libani altitudine, duratione, fructibusque pinguibus Spiritus Sancti. 3) Statum Eccleſiæ fore excelſum, ſupra regna mundi inſtar montis Dei evectum, contra hoſtium impetus munitum: 4) Habitatorem *domus* fore verum Davidis antitypum. Alterum *palatium* majoris molis erat, a Salomone exſtructum 1. Reg. VII, 1. ſq. in quo præter ea, quæ ex ſuperioribus transferri poſſunt, itidem varia occurrunt, quæ Eccleſiæ varias proprietates exprimunt. 1) *Palatium* hoc *palatio* Davidis erat magnificentius: ita Eccleſia incrementum gratiæ habitura perpetuum, ſemperque ſe ipſa major exſurgere debebat. 2) Tredecim *anni* huic ædificando impenſi cum decurſu ſeculorum conferendi, in quibus per gradus ædificium Dei abſolvendum. Sane *tredecim in* mundo ætates ſub Promiſſione & Lege oſtendi poſſunt effluxiſſe, antequam Eccleſia in illo ſplendore

in genere cum palatio:

tum in ſpecie cum palatio Davidis & Salomonis.

dore fuerit conſpecta, qui *R*egem Meſſiam exaltatum decuit. Quæ fors ratio quoque fuit, cur non ante XIV. diem menſis Niſan paſcha comedendum. 3) *Lapides pretioſi, quadrati ſecti ſerra* intrinſecus & extrinſecus, ſibique invicem *ſimiles* virtutes fidelium deſignant, qui pretioſi in oculis Domini, undiquaque ſinceritatem & juſtitiam ſpirantes, *ſerra verbi* per veram circumciſionem cordis adaptati, eodemque Spiritu in eundem finem eadem gratia imbuti, parietes *palatii* Jehovæ conſtituunt. 4) Porticus tribunalis & domus filiæ Pharaonis ſplendidiſſimæ hujus ædificii partes erant; atque eadem ratione Rex Meſſias tum judicium tum amorem erga Sponſam ex gentibus exercens quam maxime præſentiam inhabitationis ſuæ in Eccleſia manifeſtat. 5) Habitator hujus palatii cœleſtis Salomo eſt. 6) Luſus quoque inſignis in numeris non eſt negligendus. *Centenarius longitudinis cubitorum* omnigenæ perfectionis totius Eccleſiæ typus fuit. *Quinquagenarius latitudinis* in oculos appropinquantium ad domum potiſſimum incurrens adumbrat, dimidiam tantum Eccleſiæ partem in terris eſſe conſpicuam, quæ nempe militante abſolvitur. *Triginta cubitorum* altitudo, tres contignationes exhibens, non male ad tres partes generales Eccleſiæ ſub Promiſſione, Lege & Evangelio transfertur. 7) Nec fruſtra *columnas quadraginta quinque in tres ordines* diſperſas, quorum ſinguli *quindecim* columnarum aſpectum exhibebant, Spiritus Sanctus memorat. Parum id noſtra intererat ſcire, niſi altius aliquid ſubfuiſſet. Scilicet *quindecim* gradus erant, in quibus Levitæ Muſicæ templi operam dabant, quibus *quindecim* cantica המעלות reſpondent, qui expreſſere gradus, per quos Eccleſia ſub ſeptem periodis V. & totidem N. T. in cœleſtem beatitudinem ad ſupremum & quaſi decimum quintum Halleluja decinendum pergit. Quod vero *tres* in ſingulis quaſi gradibus columnæ eſſent, id SS. Triadem verum Eccleſiæ omnium temporum fulcrum, & laudum uniuscujusque tem-

poris

poris objectum esse debere, repræsentare potest. Hæc quasi per transennam, alio loco prolixius diducenda.

Restaret, ut *palatium domus Dei* ipsum in censum vocaremus, sed ne nimis diffundamur, neque id quod ex professo aliquando, si Deus volet, erit tractandum, hic occupemus, adire suademus *Wolfg. Sedelium* de Templo Salomonis Mystico, *Hafenrefferum*, *Coccejum*, *Vitringam*, *Horchium* & alios de Templo Ezechielis, qui mysticam ejus significationem simul illustrarunt. Quibus addi possunt, qui ex professo tabernaculi typum illustrarunt *Witsius*, *Conradus Mell*, & nunc nuper *Tillius* opere posthumo, ac *Doutreinius*. Cum enim partes tabernaculi & templi sibi invicem in plurimis respondeant, rectus mysterii intellectus, quod sub tabernaculo latuit, ad intelligendum mysterium templi facem præferet. Quæ generatim pro fundamento exegeseos ædificiorum Dei mysticorum in V. T. substerni debeant, infra Exerc. XI. §. 23. 24. monebo. *3) Quatenus est antitypus palatii divini seu templi.*

XIX. *Ebur*, quod heic ut præcipuum palatiorum ornamentum laudatur, varias Ecclesiæ perfectiones exprimere potest. Hinc thronus quoque Salomonis *ex ebore* 1. Reg. X, 18. Et collum Ecclesiæ Cant. VII, 4. comparatur *turri eburneæ*. 1) *Eboris* ingens fuit apud antiquos pretium. Erat inter pretiosa Indiæ, quæ naves Salomonis advehebant 1. Reg. X, 28. Hinc cum auro & argento sæpe jungunt antiqui scriptores: & simulacra ipsa Deorum sæpe ex *ebore* fabrefacta. De Jove *eburneo* *Plinius* lib. XXXVI. de Apolline *eboreo* idem lib. VII. de Pallade & Venere *Pausanias*. Videri potest *Gesnerus* de Quadrup. lib. I. p. 397. 398. *Figrelius* de stat. c. 16. Nihil pretiosius Deo & Messiæ, quam Ecclesia, uti passim in hoc Psalmo docetur & præcipue seq. dissertatione videbimus. 2) *Eboris* quoque durities laudatur. *Virgilius* Georg. III. *Ebur adumbrat varias perfectiones Ecclesiæ, pretium, constantiam, puritatem, castitatem.*

In foribus pugnam ex auro, solidoque elephanto.

Et Ecclesiæ propria est in fide firmitudo inque amore con-

ſtantia. 3) Præcipue tamen commendatur ab inſigni candore. *Virgilius* VI. Æneid.

Altera candenti perfecta nitens elephanto.

Ovidius Metamorph. III.

- Impubesque genas & eburnea colla.

Apud *Homerum* Odyſſ. Σ Minerva Penelopem reddit λευκοτέρην πρόσθε ἐλέφαντος i. *candidiorem ſecto ebore*. Hic *candor* ſymbolum eſt puritatis & ſanctitatis, quæ præcipuum Eccleſiæ ornamentum eſt. *Domum tuam decet ſanctitas, o Jehova, in longitudinem dierum* Pſ. XCIII, 5. 4) Addi poteſt alluſio *Arnobii* in h. locum: *Eburnea domus eſt corpus caſtum, in quo tinea non facit ullam libidinem peccati.*

Palatiorum in plurali mentio ad Eccleſiæ N. T. naturam pertinet.

XX. Quod vero *palatia eburnea* in plurali memorentur, iſtud pertinet ad Œconomiam N. T. Olim *unum* & ſingulare *palatium* Deus inhabitabat in monte Zionis. Sed eo ſublato tot *palatia* habet Rex Meſſias, quot ſunt per orbem univerſum diſperſi cœtus, immo quot ſunt corda fidelium, in quibus regnat. Nec fors a vero abluſerit, qui per palatia reſpici putaret ad illum Eccleſiæ ſtatum, quando ii, qui in *palatiis* habitant, Principes & Magiſtratus terræ Chriſto quoque nomen daturi erant. Hi ſunt *pingues in terra* Pſ. XXII, 30. *portæ ſeculi* Pſ. XXIV, 7. 9. *Voluntarii populorum & protectiones terræ* Pſ. XLVII, 10. *Reges nutricii & Principes nutrices* Jes. XLIX, 23.

Sequentium vocum ſitus naturalis defenditur.

XXI. Verba quæ reſtant, ut antecedentium exegetica poſſunt conſiderari מני שמחוך i. EX IIS (ſcilicet *palatiis*) QUAE LAETIFICANT TE. Sunt qui orationem turbatam ſic in ordinem putant redigendam: מני שמחוך מן היכלי שן i. *ex quo tempore exhilaratus es ex palatiis eburneis*. Hos ſequitur *Horchius*. Sed non opus eſt transpoſitione verborum & mutatione activi in paſſivum, quia ſecundum noſtram verſionem omnia recte fluunt. Defendit eam, ut communiter rece-

Landesbibliothek Oldenburg

receptam & cum genio linguæ convenientem *Noldius* ad Concord. part. not. 1664. Nihil hic nisi consuetissima ellipsis relativi, de qua consuli potest *Hillerus* Syntagm. Hermeneut. p. 380. 381. Et de integro versu sententiam nostram eleganter expressit *Duportus* in Metaphrasi:

Σμύρνης ἀμβροσίης ἀλόης κασίης τ' ἐρατεινὸς
Πάντα μάλ' εἵματά σε ὀδμὴν ἡδεῖαν ἱεῖσιν,
Ἐκ μεγάρων πύκα ποιητῶν περιῤῥὲ ἐλέφαντος,
Καλῶν, τοῖσί τε σὺ φρένα τέρπεαι ἔνδον ἰανθείς.

i. *myrrhæ fragrantis, aloes, casiæque amabilis omnia omnino vestimenta tua odorem suavem emittunt, ex ædibus perite exstructis ex secto ebore, pulchris, quibus tu in animo oblectaris intus lætitia perfusus.* Sane hoc proprium est *palatiorum*, quæ Ecclesiam constituunt, & in quibus illa habitat, quod *lætificent* Christum. *Gaudium*, quod ille capit ex suorum consideratione, graphice describitur Ps. XVI, 11. XXI, 2-7. Cant. III, 11. Jes. LXII, 5. LXV, 19. Zeph. III, 17. Luc. XV, 5. 9. 24. *Gaudium* vero hoc, quod Messiæ causantur *palatia* sua, symbolice exprimit 1) acquiescentiam, quam habet in eorum structura & ornatu, quæ cum eum solum authorem habeant, ad manifestandas virtutes ejus & conciliandum ei honorem summum momentum afferunt. Unde dicitur *lætari in operibus suis* Ps. CIV, 31. 2) Beneficentiam, qua fructibus hujus suæ acquiescentiæ Ecclesiam ditat. Ita explicatur Deut. XXX, 9. *Jehova lætabitur de te, benefaciendo tibi, quemadmodum lætatus fuerat de majoribus tuis.* Et Jerem. XXXII, 41. *Gaudebo de ipsis, benefaciendo ipsis.* Hinc beneficia, quæ confert Deus in populum suum Nehem. VIII, 10. *gaudium Dei* dicuntur. 3) Denique *lætatur* Messias, quando populus ejus lætatur, quia ipse hujus lætitiæ per Spiritum suum in iis causa est Jes. LX, 15.

Palatia Ecclesiæ trifariam possunt ut lætificantia Messiam considerari.

XXII. *Ex his* lætificantibus palatiis prodeuntem cum odore vestium suarum Messiam contemplatur Vates, respiciens ad talia tempora, in quibus odor cognitionis Jehovæ, post-

Exitus Messiæ & Ecclesiæ ex palatiis

ſuis myſticus.

poſtquam *palatia* Principum eo repleta, adhuc latius diffundi cœpit. In genere Chriſtus ab initio N. T. ut *exiens* cum Eccleſia ſæpe conſideratur: *tum* quia ſolis orientis inſtar ex tenebris elapſi temporis emergebat Pſal. XIX, 5. 7. *tum* quia ex angulo Canaanis Eccleſiam ſuam relictis ejus terræ prærogativis in hæreditatem mundi producebat, ut paſtor *educens oves ſuas* Joh. X, 4. quæ eum ſequentes ipſæ quoque *exeunt* Cant. I, 6-8. Mal. IV, 2. *tum* quia tempus illud initium erat diei gratiæ, in qua orto ſole *exibit homo ad opus ſuum, & ad culturam ſuum usque ad veſperam* Pſ. CIV, 23. Sed egreſſus Meſſiæ ſuos gradus habent, quatenus magis magisque in terra gloriam ſuam revelat, & in regiones mundi hactenus extra Eccleſiam ſitas pergit. Quare poſt primum exitum in Cantic. l. c. deſcriptum alius deſignatur c. II, 16. iterumque alius c. III, 11. qui potiſſimum hic conferri debet. Filum enim Prophetiæ eo ducit, ut in noſtro commate potiſſimum reſpiciamus eam Eccleſiæ periodum quæ Cant. III, 6. ad usque V, 18. deſcribitur: ubi inter alia cœtus fidelium ut *hortus aromatum* depingitur, qui inter varias afflictiones tamen longe lateque fragrantiam ſpargit.

Novum argumentum ad aſſerendam præſtantiam Meſſiæ præ filiis hominum.

XXIII. Ecquis vero non agnoſcat heic novi argumenti pro adſtruenda excellentia Meſſiæ vim? Sacerdotis ſummi in populo Dei ingens erat præſtantia. Quod Sol in mundo, id ille erat in Rep. Judaica. Sed multis nominibus eo præſtantior erat Meſſias, *tum* quia antitypus nobilior typo, reapſe juſtitiam æternam adducens, cujus in Sacerdotio Aaronico tantum umbra fuit, & propterea ordinem Sacerdotalem de gradu dejiciens: *tum* quia Sacerdos eſt Regius, ſecundum ordinem non Aaronis ſed Melchiſedeci: *tum* quia omnia veſtimenta inunxit cœleſti unctione: *tum* quia latiſſime extra Canaanem per orbem univerſum odorem unguenti diſſipavit. Patet igitur denuo, Meſſiam eſſe *pulcherrimum filiorum Adæ*, I. Q. E. D.

XXIV.

Landesbibliothek Oldenburg

XXIV. Implemento sane tantæ exspectationis nihil defuit, ut patebit analogiam historiæ cum Prophetia meditantibus.

Implementum Prophetiæ indicatur, tum quoad Ecclesiam N. T. generatim,

1) Sacerdotium Christi, quamvis in terris cœptum in cœlo tamen demum consummatum est. *Nam si esset in terra, ne quidem Sacerdos* esset Hebr. VIII, 4. *Talis enim nos decebat Pontifex, qui sublimior cœlis factus est* Hebr. VII, 26. Atque ea fini ipso suæ humanitatis *indumento* in cœlis vestitus manet, quæ ut Sacerdos æternus esset, ipsa quoque æternitatem induit Rom. VI. 9. Hebr. VII, 3. 16. 24. Apoc. I, 18. In hac humanitate vim lytri sui perpetua intercessione jugiter tanquam suavem *odorem* sistit, quo Patrem electis suis placatum reddit Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25. 1. Joh. II, 2. &c. Et quia semper a Patre exauditur, hinc facultatem quoque habet, unguenta fructuum Spiritus sui in *vestimenta sua*, quæ in terris habet, Ecclesiam scilicet, destillandi, quam *donis implet* Ephes. IV, 10. unde *bonus odor cognitionis suæ* undique spargitur 2. Cor. II, 14. Quamvis nunquam defuerint passiones & persecutiones, quæ *myrrham* & *aloem* oluerunt Act. X, 22. Quæ tamen non impediverunt, ut Ecclesia tanquam *domus Dei vivi* adornaretur 1. Tim. III, 15. 1. Petr. II, 5. in qua relicto quin destructo palatio templi Christus habitavit.

tum quoad illam temporis periodum, quæ a Constantino ad Carolum M. effluxit.

2) Præcipue tamen respici videntur illa tempora Christianismi, quæ a Constantino ad Carolum Magnum effluxere. Non quod in iis templa ad instar *palatiorum* erecta sint, ut quidam apud *Viccarsium* in Decaplis Psalmorum putat, qui splendida ædificia Ecclesiæ S. Petri in Vaticano, S. Johannis de Laterano, S. Pauli in via Ostiensi 120. passus longam, latam 85. columnis marmoreis 114. ornatam &c. recenset. Et nollem ipsum doctissimum Patrem *Theodoretum* huc transtulisse. Nugæ hæ sunt, & fastus seculi, qui Deum *Mausim* redolet, Ecclesiamque dedecet. Talis ornatus verum suppresit. Melius notamus, non defuisse his temporibus multa illustria Spiritus dona, sed mixta *myrrha* passionum, quo referendræ crebræ Gothorum, Hunnorum &

Vandalorum in orbem Romanum irruptiones. Habitavit tamen Dominus in *palatiis* Principum, & ex iis propagavit odorem Evangelii sui. Quis enim nescit, quanta instrumenta Dei ad propagandam veritatem fuerint Theodosius, Justinianus, Carolus Magnus? Et ex his *palatiis* prodiit odor ad alios. Seculo quinto accessio facta Burgundionum & Francorum, sexto Herulorum & Abasgorum, septimo Anglorum mediterraneorum, octavo variorum Germaniæ populorum, Westfalorum, Saxonum, Frisonum, Ungarorum, Venedorum, Bavarorum. Quamvis eo quoque nomine Christus sub finem hujus periodi prodiisse ex palatiis his videri potest, quia ea iterum deseruit, postquam Reges terræ Antichristo dare nomen incipiebant. Et in talibus vicissitudinibus vis Sacerdotalis intercessionis Christi singulari modo emicuit, quia ea mediante Ecclesia non tantum in iis conservata est, sed etiam propagari potuit.

Solamen uberrimum ex hac Messiæ consideratione in fideles profluit.

XXV. Ecquid autem dulcius est animæ de salute sua anxiæ, quam hæc de Sacerdotali intercessione Regis sui meditatio? Quantum hoc est in omnibus tentationibus Satanæ & morsibus conscientiæ solamen, talem Paracletum apud Patrem habere, cujus suavis *fragrantia* fœtorem peccatorum nostrorum supprimit, & nos acceptos Patri reddit! Huic intercessioni in solidum referendæ omnes benedictiones spirituales, quibus cumulantur fideles. Quod tanquam *vestes* Christi unguentis donorum Spiritus imbuantur, quod pro splendido *palatio* decoris sui habeantur, quod in afflictionibus omnibus conserventur, unde hoc, nisi quia *Christus hic est, qui ad dextram Dei sedet, & intercedit pro nobis*? Rom VIII, 34.

Sed & singul officia observan-

XXVI. Nil ergo æquius, quam ea Capiti nostro persolvere, quæ fides illi ut perfectissimo Sacerdoti debet. Facessat

ceſſat falſum Sacerdotium & vere Baaliticum, quod adultera Romana prætendit, quæ gloriatur itidem, quaſi ſupremæ Sapientiæ eſſet vicaria: *Suffivi cubile meum myrrha, aloe & cinnamomo* Prov. VII, 17. Faceſſant oblationes incruentæ, & interceſſiones ſanctorum: faceſſat vana omnis de propriis meritis præſumtio, quæ eſt *ut panniculus abjectiſſimus* Jes. LXIV, 6. Ubi talis Sacerdos cauſſam noſtram agit, nullius alterius indigemus. Quotquot autem ejus ſufficientiam agnoſcimus, utamur jure, quod nobis per ejus oblationem datum eſt. *Habentes Pontificem magnum, qui tranſivit cœlos, Jeſum Filium Dei, retineamus hanc profeſſionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter, absque peccato. Accedamus igitur cum parrheſia ad thronum gratiæ: ut conſequamur miſericordiam & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium* Hebr. IV, 14. 16. *Habentes Sacerdotem magnum, præfectum domui Dei, accedamus cum vero corde, per certioratam fidem, aſperſione purgatis cordibus a conſcientia mala: & abluto corpore aqua munda, retineamus poſſeſſionem ſpei non vacillantem.* Hebr. X, 21-23. Ne quid autem deſit parrheſiæ filiali in Sacerdotio Chriſti fundatæ, ſollicite perpendamus, quid tales deceat, quos Spiritus cum *veſtibus & palatiis* Meſſiæ Regis comparat. Qui inter *veſtes* ejus cenſeri volunt, manifeſtent unctionem Spiritus, qua *omnia veſtimenta* Chriſti perfuſa ſunt: perpendant ea fini ſe *Chriſtianorum* i. unctorum nomen gerere: adeoque *myrrham* pœnitentiæ & *aloem* abnegationis ſui ipſius cum *caſiâ* bonorum operum jugiter conjungant. Qui volunt pro *palatiis* haberi, ii cogitent nil *palatia* Chriſti magis commendare, quam *ebur* ſanctitatis. Quare *purificemus nos ab omni inquinamento carnis ac Spiritus, ad finem perducentes ſanctimoniam in timore Dei* 2. Cor. VII, 1. *Etiamſi tota terra aurum*, ita egregie *Philo* de Cherub. p. m. 125. *aut ſi quid auro pretioſius, repente fieret, moxque*

da, ut non tantum abnegato omni falſo Sacerdotio unico Sacerdoti adhæreamus,

ſed etiam vivamus, ut tales decet, qui pro veſtimentis & palatiis Meſſiæ haberi volunt.

ver

per opificum artes in porticus, veſtibula, aulas, areas, ædesque ſacras impenderetur, ne ſcabellum quidem ejus pedibus poſſet fieri. Dignum tamen eo domicilium anima eſt, modo ſit idonea. Ergo quia domum in terris animam inviſibilem inviſibilis Dei dicimus, recte legitimeque loquimur. Quæ ut fiat firma & ornatiſſima, fundamenta ejus jaciantur, generoſa indoles & inſtitutio, quibus virtutes honeſtæque actiones ſuperſtruantur. Atque ad hoc ſanctitatis ſtudium nos eo magis devinctos eſſe credamus, quia quo majores in eo nanciſcemur profectus, eo magis in nobis Salvator noſter *lætabitur*. Quid vero æquius, quam ei gaudio eſſe, qui veræ & æternæ lætitiæ exuberantiſſimus fons eſt, atque illos, qui ei placere ſtuduerant, in illa tandem palatia cœleſtia exultantes tranſvehet, ex quibus nunquam exibunt?

EXER-

EXERCITATIO OCTAVA
DE
SPONSA ET SPONSALIBUS MESSIÆ.

1. Vinculum majeſtatis & amoris in Meſſia. 2. Analyſis commatis. 3. Filiæ Regum *ſunt populi Meſſiam confitentes. 4. Cur in* comitatu Sponſæ? *5. Cur a Sponſa diſtinctæ? 6. 7.* Pretioſitates *ſeu* gemmæ *ſymbolum* mediorum gratiæ. *8. Meſſias has gemmas donat. 9. 10. Vera Eccleſia pingitur ut* conjux & Sponſa Chriſti. *11. Et quidem* Regia. *12. Diſcrimen inter* Eccleſiam externam & internam. *13. Inducitur Sponſa Chriſti ut* ſtans. *14. 15. Et quidem* ad dextram, *quod emblema latius explicatur. 16. 17. Veſtitus Sponſæ conſtans* auro Ophiritico *conſideratur quoad literam 18-22. ſecundum ſpiritualem* ἀλληγορίαν. *23. Novum argumentum ad præſtantiam Meſſiæ exaggerandam notatur. 24. Implementi ratio oſtenditur. 25-27. Incentivo amoris Meſſiæ concluditur.*

I.

NOn bene conveniunt, *nec in una ſede morantur Majeſtas & Amor*, ait Poeta. Sed contrarium obtinet in Rege cœleſti Eccleſiæ, qui cum ſumma majeſtate amorem tenerrimum conjunxit, & propterea porro ut *indulgentiſſimus* ejus *Sponſus* ſive *Maritus* introducitur. Judæi putant haut exiguam Sponſo cum Rege intercedere convenientiam. Hinc *Rabbi Eliezer* in Pirke c. 16. החתן רומה למלך מה המלך אינו יוצה לשוק לברו כך החתן אינו יוצה לשוק לברו מה המלך לובש בגדי כבוד כך החתן לובש בגדי כבוד כל שבעת ימים המשתה מה המלך הכל מקלסין אותו כן החתן מקלסין אותו כל שבעת ימי' משתה מה המלך פניו מאירות כאור החמה כך החתן פניו מאירת כאור החמה שנ' והוא כחתן יוצא מחופתו וגו' i. *Sponſus eſt Regi comparandus. Sicut Rex foras non egreditur incomitatus, ita nec ſponſus. Sicut Rex veſtibus utitur ſplendidis, ita & ſponſus per ſeptem convivii nuptialis*

Suaviſſimum eſt vinculum inter majeſtatem & amorem Meſſiæ, quo non tantum Rex, ſed & Sponſus Eccleſiæ dici meretur.

lis dies. Sicut Rex ab universis celebratur, ita etiam per id tempus sponsus. Sicut vultus Regius lucidus est, ut Sol, ita & sponsi cultus, juxta id, quod scriptum est: Et ipse tanquam sponsus procedens e thalamo suo. Nuspiam duplices hi characteres suavius colludunt, quam in Messia. Duarum ille præcipue virtutum divinarum perfectissima imago est, sanctitatis & bonitatis, seu mavis justitiæ & clementiæ. Sicut in columna ejus typo nubes ignem temperabat, ignis nubem illustrabat: sicut suavissima est in iride rubri & viridis coloris mixtura; ita nil suavius piis meditationibus, quam radios harum virtutum inter se ubique permixtos contemplari, & primo sanctam Majestatem Sponsi sub schemate Regis, dein benignissimum amorem Regis sui sub effigie Sponsi contemplari. Has delicias nobis nunc Psaltes noster propinat, dum Regis Messiæ connubium nobis enarrare pergit. Hoc novum præstantiæ Christi argumentum ultimo loco reservatum est, quia in eo cætera confluunt, idque toti cantico ansam dederat.

Analysis novi commatis indicatur.

II. Ita vero proceditur ut, amor Sponsi demonstretur ex prærogativis, quibus Sponsam suam ejusque comitatum ditat. Introducitur autem Ecclesia ut Conjux Regia, suo stipata satellitio: atque adeo describuntur duo harum prærogativarum genera.

aa. Prærogativa comitatus, qui cum Uxore regia coram throno Regis Messiæ comparet, ubi
- αα. personæ: *filiæ Regum.*
- ββ. prærogativa ipsa: *sunt in pretiositatibus tuis.*

bb. Prærogativæ ipsius Sponsæ, ubi iterum
- αα. persona ipsa: *conjux regia.*
- ββ. prærogativæ duæ
  - אא ratione situs: *constitit ad dextram tuam*
  - בב ratione habitus: *in auro pretioso Ophiritico, v. 10.*

III. Fi-

III. FILIAE REGUM in sensu literali designant nationes, Provincias, urbes a Regibus gubernatas. In Scriptura id valde commune, hoc sensu *filiarum* nomine uti. Sic *filia Babylonis*, *Ægypti*, *Edom*, *Jerusalem* &c. ut abunde notarunt alii. In monumentis gentilium idem usu venit, unde in gemmis, & nummis antiquis sæpe regiones & Provinciæ, ut mulieres, virgines, Reginæ exprimuntur. Sic Judæa capta, ut fœmina sub palma sedens in nummis Vespasiani & Titi apud *Patinum* & alios: Syria ut regina palmæ ramum gerens in nummo Tigranis apud *Spanhemium* de præst. num. dissert. V. p. 455. Nicomedia & Bithynia ad pedes Hadriani, quas dextra sua erigit ibid. Diss. IX. p. 828. Alexandria ut regina sedens apud *Leonhard. Augustinum* Part. II. gemma 30. Dacia, Damascus aliæque Provinciæ Romanæ apud *Vaillantium* Num. æreor. Imperat. Rom. P. II. p. 178. sq. Hispania, Africa, Achaia in nummis Hadriani apud *Car. Patinum* Numm. Imperat. p. 194. &c. Et confer *Ant. Augustini* Antiquit. integrum Dialogum III. Placet præ aliis hic ectypum dare nummi a *Spanhemio* libro laudato p. 790. expressi, ubi Rhodus insula etiam sub mulieris habitu proponitur

Usitatum est apud veteres, regiones & nationes proponere ut Regum filias, Reginas, mulieres.



Nummus hic eo magis memorari meretur, quia sequens comma versus nostri simul illustrat. Sicut enim ibi Sponsa ad dextram Regis stat, ita hic Imperator Nerva sub effigie Solis mulieri dextram porrigit. Et optime notavit *Spanhemius*, alludi ad illud *Pindari* Olymp. Od. VII. ubi Rhodum παῖδ' Ἀφροδίτας, Ἀελίοιό τε νύμφαν i. *filiam Veneris, & solis sponsam* vocat.

Rationes hujus emblematis adduntur.

Placuit sine dubio symbolum fœminarum, ut amœnitas & præstantia talium regionum exprimeretur. Quod Laur. *Begerus* etiam observat in notis ad Caroli Ducis Croyaci Numismata Tab. I. n. 1. Filiæ vero *Regum* dici possunt populi, qui Regibus subsunt, quorum *filiæ* sunt, quia paterno affectu & indulgentia regendi. Id innuit antiquitas, quæ summis magistratibus jam a vetustissimis temporibus Patrum nomen dedit. Hinc *Libanius* Orat. XII. Εοικέναι δεῖ παῖδα τὸν βασιλέα i. *Regem oportet Patri similem esse.* Et *Xenophon* Cyropæd. lib. 8. Ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ i. *Inter bonum Principem & bonum patrem nullum discrimen est.* Adde notata Exerc. XII. §. 5. Non ergo opus est, ut hic cum *Hipponensi Præsule* per *Reges* Apostolos, & per *Regum filias* Ecclesias ab iis fundatas intelligamus. Simplicius regna & nationes mundi ad veram fidem conversæ designantur, populi ii, quos sub Messia procidentes ad vs. 6. vidimus. Chaldæus non male vertit: בלכי מלכותא i. *Provinciæ Regni.*

Hic intelliguntur nationes mundi ad Messiam conversæ.

Virgines solebant in comitatu sponsarum esse, quod hic mysticam gentium ad Ecclesiam aggregationem adumbrare docetur, explosis, qui de pelicibus Sa-

IV. Hæ *Filiæ* in comitatu Reginæ seu Sponsæ regiæ heic conspiciuntur. Id quoque sine dubio ex more antiquo expressum est, quo sponsæ ad sponsos deductæ *virginum* comitatu gaudebant, de quo ritu plura noto Exercit. XI. §. 13. Hæ Hymenæum decinebant, uti probat *Pfeiferus* Ant. Græc. lib. IV. c. 15. p. 642. Lucernas quoque præferebant, quo collimatur Matth. XXV, 1. Consule *Ligtfootum* ad hunc locum & *Roa* Singular. lib. II. c. 21. Summus ergo honor est regiæ Sponsæ Christi, a tot Reginis deduci. Et clare sub hoc schemate indicatur, *tum* quomodo remoto pariete intergerino gentes ad unionem cum Ecclesia adducendæ, *tum* quomodo junctis stu-

studiis suam operam ad augendum ejus splendorem collaturæ. Precario ergo difficultates nectuntur ab iis, qui literalem sensum urgent, quando ad polygamiam Salomonis alludum putant, & cum *Mollero* in h. l. auditores monendos putant, Prophetam hoc loco non laudare polygamiam, sed " simpliciter ipsi propositum esse, celebrare Regis opulentiam " & gloriam, quæ in illis nuptiis, atque in illo ornatu splen- " dido, cum ipsius Regis, tum Reginæ & totius gynecæi con- " spiciebantur; & quæ sequuntur. Quanto melius esset, ab ista hypothesi penitus abstinere, quam indigna sapientiæ Spiritus defendere! Nullum ille fastum mundi pro laude ducit, multo minus in re peccaminosa, Deoque exosa. Et si bona terrestria in recto usu laude digna sunt, nunquam hominibus, sed soli Deo eorum datori hæc laus in solidum referenda est. Rudius adhuc in hanc rem meditatum doctissimum *Bucerum* æque ac *Pellicanum* doleo, qui postremus ad h. l. non gravatur scribere: *Quantum felicitatis & laudis, imo & sinceri gaudii Salomon habuerit ex tot talibusque uxoribus aut concubinis, satis explicat Scriptura.* Pessime. Ubi unquam Spiritus Sanctus hoc in *laude* posuit, quod adeo detestandum? Quomodo hoc pro *felicitate* reputari poterat, quod laqueus fuit Salomoni ad fœdissimam idololatriam, & judiciis tristissimis ipsum & totam domum ejus involvit? Quomodo ex tam impuris voluptatibus *sincerum gaudium* poterat hauriri? En quo deduxerit Viros celeberrimos amor hujus in illa ætate ferme generalis hypotheseos de sensu literali, quam nunc denuo revocare, novisque incrustare pigmentis quidam student.

lomonis cogitant.

V. Id tamen aliqua adhuc difficultate implicitum est, cur *filiæ Regum* ab ipsa *Sponsa* distinguantur? Vulgo existimatur, quia per Sponsam Ecclesia e Judæis depingitur. Et fateor me aliquando in eadem hæresi fuisse. Sed ubi profundius de hac re cogitavi, haut una difficultas animo meo obversata est. Videbam enim temporis ordinem ita inverti, &

De discrimine inter filias Regum & Sponsam agitur, & discedituri ab iis, qui

per illas Eccleſiam ex gentibus, per hanc Eccleſiam ex Judæis intelligunt.

poſtquam victoriæ de gentibus jam deſcriptæ, & regnum inter eas erectum atque ſtabilitum erat, non ſatis commode Eccleſiæ iterum primitivæ mentionem fieri, præſertim cum poſt converſionem gentium non tantum diſtinctio omnis inter Judæos & gentes, ſed etiam nomen ipſum ceſſaverit. Accedit, quod Eccleſia ex gentibus nulla ratione in amore Chriſti poſterior eſt Eccleſiæ e Judæis, multo minus, ut tantum differre ab hac credenda ſit, quantum a Sponſa comites ejus differunt. Et quid hoc pertinebat ad ultima tempora Eccleſiæ Chriſtianæ, ſub finem Pſalmi hujus deſcripta, ubi tamen idem diſcrimen ſervatur? Aptius ergo crediderim, per *filias Regum* Eccleſiam quoad *ſtatum externum*, per *Sponſam* vero ipſam eandem quoad *ſtatum internum* conſideratam exprimi. Hæc enim regula hermeneutica eſt in explicandis Eccleſiæ deſcriptionibus bene obſervanda, quod in *quibusdam Prophetiis, allegoriis, ſymbolis, typis magis ad externum, in aliis magis ad internum Eccleſiæ ſtatum reſpiciatur*: quod ex ipſa vi phraſium, aliisque circumſtantiis dijudicandum. Sic notum, in Apocalypſi per ſeptem epiſtolas *internam*, per ſeptem ſigilla *externam* faciem Eccleſiæ potiſſimum definiri. Sanctuarium ipſum erat typus Eccleſiæ *internæ*, atrium *externæ*. Et præcipue in hac hypotheſi me confirmavit locus Cant. VI, 5. 6. *Sexaginta ſunt Reginæ, octoginta concubinæ, puellæque innumeræ: Unicam illam columbam meam, integram meam, unicam illam apud matrem ſuam, puram illam apud genitricem ſuam, ſimulac viderint puellæ, beatam prædicabunt, Reginæ & concubinæ laudabunt eam.* Prophetia hæc eo majoris momenti in explicando emblemate Pſalmi eſt, quia ad eadem tempora reſpici puto. Quatuor ſuppoſitorum genera in ea diſtinguuntur: *Unica columba, Reginæ, concubinæ, puellæ. Columba* eſt ipſa Chriſti Sponſa, interna Eccleſia, *Reginæ* ſunt eadem Eccleſia, ſed magis ſecundum faciem externam conſiderata, ad quam præcipue pertinet, ex multis conſtare populis. Hæc enim eſt prærogativa, quæ adeſſe & abeſſe poteſt,

Aptius eſſe perhibetur, ut per filias Regum Eccleſia externa, per Sponſam Eccleſia interna intelligatur.

Locus parallelus Cant. VI, 5. 6. explicatur.

potest, & quamvis Ecclesiam spectabilem reddat, non tamen ad essentiam ejus pertinet. Hæ *Reginæ* idem sunt, quod in nostro loco *Regum filiæ*. Numerus *sexagenarius* est sacer & Ecclesiæ proprius, quæ est antitypus templi Salomonis, cujus longitudo fuit *sexaginta ulnarum* 1. Reg. VI, 2. Ejusque defensores sunt *sexaginta Heroës* Cant. III, 7. Quare Reginæ sexaginta illam Ecclesiam repræsentant, quæ non tantum numero confessorum & præcellentia gaudet, sed etiam semen sanctum hactenus in sui medio conservat. *Concubinæ* autem *octoginta* sunt cœtus spurii, qui falso in communione cum Christo gloriantur: quique ingravescente in doctrina corruptione confessores veritatis numero vincunt. Quod *puellæ innumeræ* introducuntur, id indigitat, singulas *Reginas*, singulasque *concubinas* suas habere pro more pedissequas ministrantes, quæ propterea in enumerato haberi nequeunt. Hæ vero in sacris commune symbolum Doctorum sunt, uti infra ad v. 15 docebimus. Secundum hanc hypothesin omnia recte fluunt. Quod autem Ecclesia externa sub symbolo diversarum *Filiarum regiarum* proponitur, id collatis iis, quæ §. 3. notata sunt, eo pertinet, ut Ecclesiam illam per diversas Provincias & Regna mundi feliciter propagandam innuatur. Recte hic *Pellicanus*, tantum Ecclesiæ Reformatæ ornamentum, ut ei ipse *R. Simon*, censor alias aliorum, præcipue Protestantium scriptorum, satis malignus, panegyricum scribere Biblioth. Critiq. Tom. III. c. 28. non fuerit dedignatus. Illi *Christi Domini uxores sunt fidelium inprimis, dein collectiones Provinciarum & Regnorum sacrosanctæ Ecclesiæ variis ornamentis fidei, charitatis & morum venustate ornatæ.* Eodem ferme respectu Ecclesia primo quidem Cant. IV, 12 ut unus *hortus* consideratur, & tamen mox v. 15. in varios *hortes* distinguitur.

Numerus pluralis Reginarum, pluralitatem regnorum Ecclesiam constituentium exprimit.

VI. Uti vero *Reginæ* hæ, *Regum filiæ*, tanquam diversa a Sponsa supposita considerantur, ita distinctum quoque ornatum habent. Additur enim ביקרותיך. Non moror varian-

Vox יקרות *non designat per-*

tem

Vox יקרות *non deſignat perſonas ſed res pretioſas:*

tem heic in punctis lectionem, quæ ſenſum non mutat. *Gejerus* non male obſervat, ellipſin hic eſſe vocis נצבו *conſiſtunt*, ex ſequenti commate ſupplendæ. Interpretes cœterum duplici modo vertunt. Quidam reddunt: *inter pretioſas* ſive *honoratas* tuas, & ad comitatum Meſſiæ referunt. Quaſi innueretur, inter multas uxores & pellices, quæ *pretioſæ* eſſent in oculis Regis, Filias Regum præcipuum obtinere locum. Verum hoc pacto non tantum gratis ſupponitur, ad Salomonis pellices reſpici, ſed etiam monſtrari deberet, quænam illa ſubjecta ab Eccleſia interna & externa diſtincta ſint, inter quas Regum filiæ eminerent. Quare hoc, tanquam coactum, ſuis authoribus relinquimus. Lubentius ergo iis accedo, qui vertunt: IN PRETIOSITATIBUS TUIS, ſcilicet *conſiſtunt*. יקר de quacunque re pretioſa uſurpatur Jer. XX. 5. Ezech. XXII. 25. Præcipue de gemmis 1. Reg. X. 2, 10. 2. Par. IX. 1, 9. Prov. III. 15. Ezech. XXVII. 22. de lapidibus pretioſis 1. Reg. V. 17. VII. 9, 10. 2. Par. III. 6. Jeſ. XXVIII. 16. aliquando de ſplendore inſigni, qualis eſt Lunæ Job. XXXI. 26. deque ampliſſima dignitate. Eſth. VI. 3, 6. VIII. 16. Pſ. XLIX. 13, 21. Singula heic ſuam emphaſin habere poſſunt, ſed potiſſimum tamen de *gemmis* cogitandum, non tantum quia de talibus, quibus coronæ regiæ micant, vox adhibetur 2. Sam. XII. 30. ſed etiam, quia eæ *gemmæ* hoc epitheto gaudent, quæ ex Ophiritica regione Salomonis temporibus advehi cœperunt 1. Reg. X. 11. 2. Par. IX. 10. Quare quid impedit, quo minus hic quoque ellipſin ſtatuamus, integrumque inciſum ita ſuppleamus: *Filiæ Regum pretioſis* (gemmis) *tuis* (*exornatæ*) *coram te ſubſiſtunt*? In luxu fœminarum illuſtriorum & regiarum uſus gemmarum ſatis antiquus eſt, potiſſimum in Oriente, unde oſtentatio in Latium aliasque regiones propagata eſt. Præcipue in nuptiis fœminæ gemmis tegi amabant. Teſtis *Plinius* H. N. lib. IX. 35. *Lolliam Paullinam, quæ fuit Caji Principis Matrona, ne ſerio quidem aut ſolenni ceremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium*

& præcipue gemmas in Regio & nuptiali cultu uſitatas.

crium etiam ſponſalium cœna, vidi ſmaragdis margaritisque opertam altero textu fulgentibus, toto capite, criniũm ſpira, auribus, colli monilibus, digitis: quæ ſumma quadringenties ſeſtertium colligebat, ipſa confeſtim paratæ mancupationem tabulis probare. Dum autem gemmæ, quibus filiæ Regum comtæ ſunt, ut *pretioſitates* Spiritus conſiderantur, innuitur ab eo donatas eſſe. Fuere quidem apud veteres hæ partes Sponſæ, ut comitatum ſuum ornaret, quod patet ex his a *Pfeifero*, neſcio unde citatis:

Alluditur ad munera, quæ comitatui Sponſæ olim diſtribui ſolebant

Σοὶ δὲ γάμος ἑτέροισιν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
Εἵματα ἐννύσθαι, τὰ δ' ἄλλοισι παρέχειν, οἵκεσ' ἄγοντας.

i. *Nuptiæ tibi inſtant, ubi te oportet pulchras veſtes induere, alias vero illis præbere, qui te ducunt.* Nec minus tamen illuſtres Sponſi in donando ſponſarum comitatu munifici ſolent eſſe. Munera & ſtrenas eo die dividi ſolitas vel ex Eſt. II. 18. patet, ubi Ahasverus nuptias cum Eſthera celebrans, *immunitatem provinciis conceſſit, deditque munus ſecundum facultatem regiam.*

VII. Pretioſæ hæ *gemmæ* emblema poſſunt eſſe omnium prærogativarum, quibus Eccleſia extrinſecus coram hominibus gloriari poteſt. Id ſæpius conſuetum. Sic de prærogativis Eccleſiæ Judaicæ, quæ maximam partem externæ erant, Ezech. XVI. 11-13. *Ornavi te ornatu, indens armillas manibus tuis & torquem collo tuo: appoſui etiam monile ſupra naſum tuum & inaures auribus tuis: coronamque ornatus capiti tuo. Et ornaſti te auro & argento.* De ſplendida Romanæ Eccleſiæ, quæ dein in Tyrum Antichriſtianam degeneravit, in principio forma Ezech. XXVIII. 13. *In Hedene, in horto Dei eras, omnes lapides pretioſi operiebant te, pyropus, topazius & adamas, beryllus thalaſſius, ſardius & jaſpis, ſapphirus, chryſopraſus, ſmaragdusque cum auro.* De liberatione Eccleſiæ afflictæ ex tentationibus, & mutatione ſtatus ejus in melius, etiam quo-

Pretioſæ gemmæ deſignant prærogativas, quibus Eccleſia externa gaudet, & præcipue prædicationem verbi cum adjunctis.

ad externam faciem Jeſ. LIV. 11. 12. *Ecce ego collaturus ſum cum ornamento lapides tuos & fundaturus te ſapphiris. Et diſponam pyropo ſpecularia tua, & portas tuas lapidibus carbunculi, denique totum terminum tuum lapidibus ſpecioſiſſimis.* Tales prærogativæ ſunt 1) potiſſimum prædicatio Verbi, cujus veritates cum auro, argento, margaritis & rebus pretioſis comparantur Pſ. XII. 7. XIX. 11 CXIX. 72. 127. Matth. XIII. 45. 46. VII. 6. & præcipue Proverb. I, 9. Poſſunt tamen ſimul includi media omnia, per quæ verbum illud innoteſcit, conſervatur, confirmatur. Adeoque 2) Sacramentorum diſtributio, quæ ſunt χειμήλια externae Eccleſiae in commemorationem mortis & amoris Chriſti credita. 3) Cultus publicus. 4) Doctores donis ſpiritualibus praeſtantes, qui *ſtellæ* ſunt Apoc. I. 10. XII. 1. ubi ſtellæ in corona *gemmarum* vicem gerunt: & *pretioſis lapidibus* comparantur Zach. IX. 16. Apoc. XXII. 18. ſq. Haec & ſimilia *pretioſitatibus* & praecipue *gemmis* comparari poſſunt. 1) *Gemmarum* lucidus & igneus eſt ſplendor, qui ipſius ſaepe noctis tenebris opprimi nequit. In verbo, quod publice proponitur & obſignatur, eluceſcit perfectio & ſanctitas Dei, cui tenebras nequicquam offundere Princeps tenebrarum molitur. 2) *Gemmarum* exigua eſt moles, ſed mirifica vis. Verbum & media gratiae, licet carni deſpecta, divinam tamen virtutem in effectis oſtendunt. 3) *Gemmæ* pulchritudinem & ſplendorem iis conciliant, qui illis veſtiuntur. Similiter verbum & ſigilla faciunt ad ſplendorem & honorem populi, qui ea poſſidet. *Hæc eſt ſapientia veſtra ante oculos populorum: qui audientes omnia ſtatuta iſta maxima dicent, tantum gens iſta maxima populus ſapiens eſt & prudens. Nam quæ gens maxima futura eſt, cui eſt Deus tam propinquus, ſicut Jehova Deus noſter eſt, quotiescunque invocamus eum? Rurſus, quæ gens maxima futura eſt, cui ſunt ſtatuta & judicia juſta, ſicut eſt tota hæc lex, quam ego propono vobis hodie?* Deut. IV. 6, 7, 8. 4) *Gemmarum* ingens eſt pretium, quod iis tantum perſpicitur,

Analogia emblematis hujus indicatur.

tur, qui diligentius illas tractant, quapropter magno studio asservantur. Ita quamvis praedicatio verbi & Sacramentorum per Ministros in publico cœtu administratio media gratiae tantum sint, pro magnis tamen divitiis sunt aestimanda, quia iis mediantibus fruitio summi boni comparatur. Pretium hoc eos latet, qui cupide iis uti dedignantur. Qui vero cum debita reverentia ea adhibent, suavitatem eorum gustant, & operam dant, ut haec cimelia in puro corde conservent. 5) Durities gemmarum designare potest constantem mediorum usum Ecclesiae promissum. 6) Picturae in gemmis frequenter exsculptae imaginem Christi, quae per haec media gratiae ubique delineatur. 7) Aurum, quo includi solent, aurum fidei adumbrat, quæ verbum & sigilla recipit atque appropriat.

Quomodo gemmæ hæ donum Messiæ sint, indicatur.

VIII. Quamvis vero *Filiæ Regum* his *pretiositatibus* ornatae introducantur, pro dono tamen *Messiæ* habendae sunt. Ipsæ externae praerogativae Israelis olim ex aeterno Testamento ejus fluebant. Unde a Deo incusatur Hos. II. 8. *Etenim ipsa non agnoscit, me dare sibi frumentum, mustumque & oleum: etiam argentum copiose suppeditare ipsi & aurum.* Eadem ratione ex munificentia Messiae profluunt omnia dona & media gratiae. Ejus est verbum gratiae, quod primus manifestavit. Idem Sacramenta instituit, cultum praescripsit, Doctores Ecclesiae dedit. Illum singula exprimunt: ejus amorem & memoriam commendant.

Vocis שגל *honestior notio hic est servanda, qua conjugem & quidem regiam exprimit.*

IX. Nec tamen haec sunt pretiosissima Messiae dona. Pretiosiora asservat internae Ecclesiae, quae heic appellatur שגל i. CONIUX REGIA. Quae *Geierus* & alii de vocis hujus signatione notarunt, non exscribo. Quod *Jac. Capellus* Opp. p. m. 662. post *Aquilam* & *Symmachum concubinam* verterit, ut originalis labes Sponsae indicaretur, tanquam fundamento carens, non moror. Quamvis enim origo vocis tale quid patiatur, vox tamen ipsa honestiori sensu semper sumitur. Id tantum notandum est, duo prædicata in una voce concurrere, quia simul

conjugem, ſimul talem, quæ non tantum Regem Maritum habet, ſed etiam ipſa eſt *Regina*, deſignat. Unde duo emblemata in eadem voce juncta ſigillatim ſunt explicanda.

Sponſa Meſſiæ ab ipſo de ſponſationis articulo conjux eſt.

X. Non mirum in epithalamio Sponſam *conjugem* dici. Ab ipſo deſponſationis articulo *conjux* eſt, ſi non poſſeſſione, at ſaltem jure. Et utramque denominationem junctam invenimus Apoc. XXI, 9. *Adesdum & oſtendam tibi Sponſam, uxorem agni.* Haberet quidem ſuam emphaſin, ſi tantum ut *Sponſa* conſideraretur. Ita enim ſæpe in Scriptura inducitur: α *quia* amores, quos cum Chriſto exercet, ejus puritati non officiunt: β *quia* ſemper ſunt calidi & recentes, quales Sponſæ in Sponſum: γ *quia* ſunt caſti, & nihil admixtum habent adulterinum: δ *quia* reſtat conſummatio pleniſſima unionis in cœlo. Inſpici hic meretur *J. A. Schmidii* diſſertatio de Eccleſia virgine, quæ eſt Hiſtor. Theolog. Decad. I. 6. Egregius quoque eſt apud *Philonem* de virginitate animæ, quacum Deus conſuevit, locus Lib. de Cherub. p. m. 116. Sed heic mavult Vates ut *conjugem* conſiderare, quod ſymbolum latius eſt. Apud ipſos gentiles vita ſapientum cœleſti conjugio & nuptiis aſſimilatur. Sic *Naumachius* apud *Stobæum* Serm. LXVI.

Cur interdum Sponſa tantum dicatur?

Matrimonium cœleſte & myſticum in ſchola Platonicorum & Kabbaliſtarum non fuit ignotum. In ſacris fœdus gratiæ ſub hoc emblemate proponitur.

Ψυχῆς ὄμμα φαεινὸν ὑπὲρ βιότοιο χέασαν,
Ἔνθα γάμοι κεδνοὶ καὶ ἀληθέες, ἔνθα μιγεῖσα
Θεσπεσίοις ἐπέεσσι νοήματα φάεα πίκτει.

Splendidum animæ oculum ad illam vitam emittendo, in qua glorioſæ & veræ ſunt nuptiæ, ubi commixta divinis verbis lumine plenas meditationes parit. Et paſſim multa in hanc rem ex Platonicorum Schola tranſtulit *Philo Judæus.* Veſtigia quoque myſtici talis conjugii in Cabbaliſtis & ipſo *Platone* indagatur *P. Jurieus* Hiſtoire Crit. des Dogmes & Cultes P. I. c. 21. Sed hic ad altiora meditatione penetrandum. Nempe, cum conſtituiſſet Deus ab æterno peccatorem per fœdus gratiæ ad ſui communionem poſtliminio reducere, ut eo magis fœderis

hujus

hujus arctissimum vinculum, prærogativæ, officia patescerent, ejusque suavitate ad illud ineundum peccator alliceretur, placuit ei *matrimonii spiritualis* emblema adhibere. Unde merito de matrimonio Paulus Ephes. V, 32. *Mysterium istud magnum est; loquor vero de Christo & Ecclesia.* Cum enim omne fœdus habeat *matrimonii* similitudinem, unde ipsum fœdus Sinaiticum sub hac specie proponitur Ezech. XVI, 7. 8. &c. quod nunc non tangimus, internum illud fœdus gratiæ *longe* majori jure, ut perfectissimum *conjugium* proponitur. Placuit ita Deo, propter singularem ejus φιλανθρωπίαν, unionis illius tum arctum vinculum, tum amœnitatem depingere, & ad cor peccatoris loqui, ut homo eo fortius ad desiderandam & amplectendam tantam felicitatem cogeretur. Quare recte *Bernhardus* Serm. VII. in Cant. *Nec sunt inventa æque dulcia nomina, quibus Verbi & animæ dulces ad invicem exprimerentur affectus, quemadmodum Sponsus & Sponsa.* Et credibile est, Satanam, secundum consuetam suam κακοζηλίαν, inde ansam cepisse, ut carnalibus copulis, quibus cum Diis ipsis haberi commercium excœcatis hominibus persuadebatur, in multis mysteriis & orgiis initiati inquinarentur. Sic verbi gratia in Sabazii Jovis initiis symbolum erat ὁ Δι᾽ κόλπου Θεός, i. *Deus per sinum*, quia consecratis aureus coluber per sinum demittebatur, & ab inferioribus partibus rursus eximebatur, de quo aliisque videri potest *Eusebius* Præp. Evang. lib. II. c. 3. Sic ejusmodi profani Sacramenti vox & signum erat: χαῖρε νυμφίε, χαῖρε νέον φῶς i. *Salve sponse, salve nova lux.* Ita malim, quam phrases Scripturæ ab idololatricis illis communionibus petitas esse, quod putat *Gotfr. Ern. Mullerus* in dissertatione de Desponsat. Christi mystica, quæ alias hic conferri meretur. Sicut autem tota Trinitas Deus fœderatus peccatoris est, ita omnes & singulæ personæ ut *Mariti* Ecclesiæ considerantur. *Factores tui sunt mariti tui* Jes. LIV, 5. Et Hos. II, 18. 19. triplicem desponsationem ad tres personas sigillatim referendam esse in tractatu vernaculo de fœdere gratiæ cap. 2. §. 20. docui.

Ratio emblematis generatim indicatur.

Inde copulæ carnales in orgiis gentium per κακοζηλίαν *Satanæ fluxisse videntur.*

Conjugium spirituale cum tota SS. Triade, sed potissimum cum Filio fidelibus intercedit.

Cum vero hoc fœdus conſummari non poſſet, niſi ſecunda hypoſtaſis Deitatis fieret homo, & electos ſecum per fidem uniret, hinc in hoc matrimonio præcipue *Filius Mariti*, Eccleſia *Uxoris* inſtar eſt. Chriſto ut ἀνδρὶ i. *Marito* ſiſtitur 2. Cor. XI, 2. Hic eſt *Sponſus* Matth. IX, 15. XXV, 5. 6. Joh. III, 29. Et eo reſpectu toties ut *amicus* Eccleſiæ compellatur in Cantico. Conjugia quoque ſanctorum Vet. T. Adami cum Eva, Abrahami cum Sara, Iſaaci cum Rebecca, Jacobi cum Lea & Rachele, Joſephi cum filia Potipharis, Moſis cum Æthiopiſſa, Sacerdotis ſummi cum intaminata virgine, porro Simſonis, Davidis, Salomonis aliaque, ejusdem cum Eccleſia ſecundum varias χάρεις unionis illuſtres typi fuere. Ipſis Judæis myſterium hoc non prorſus ignotum fuit. Fatentur enim, uti *Munſterus* ad Gen. II, 24. notavit, creationem fœminæ ex coſta viri: לרמוז לבת זוג אדם העליון יתברך i. *ad ſignificandum conjugium viri ſuperni, qui benedictus eſt.* Quem locum *Cameronii*, quin & ipſi *Grotio* ad Eph. V, 32. probatum ab exceptionibus Cl. *Clerici* vindicat *Joh. Juſtus Loſius* in Diſſert. de Chriſto Scripturæ ſcopo ab Hebraeis quaeſito §. 14. ubi & hunc locum ex Zohar. p. 34. col. 1. adidem conjugii myſterium pertinere docet: ויבן ״ אלקים את הצלע אשר לקח מן האדם ויביאה אל האדם דא עמודא דאמצעיתא אייתי לה לנבי צלע ונטיל מן ה׳ עולימא דליה ועליה אתאמר ואני אהיה לה נאם ״ חומת אש סביב: i. *Et condidit Dominus Deus coſtam, quam de Adamo ſumſerat, & adduxit eam ad Adamum. Ille repræſentabat columnam mediam* (per quam columnam certam qualitatem Sapientiæ ſeu Chriſti intelligunt Kabbaliſtæ) *adduxit eum ad coſtam, quam ſumſerat de Malcut, tanquam ſponſam ſuam.* Sed notari hic meretur præ cœteris teſtimonium elegantiſſimum ex *Tikune Zohar* a Cl. *Rittangelio* Jetzira p. 132. excerptum: אמר לון ההוא חויא דאתון מגיהין קרבא ביה איך אשתזבתון מניה דאיהו בלע וקטיל ולא עור אלא דאיהו קטיל לאדם קדמאה ולכל דרין דקא אתיין אתבריה וגרתא איהי על מגדלא דפרח באוירא ומכריזין בכל יומא ברקיעא דכל מאן דקטיל להאי חויא דיחבין ליה לאנתו בת מלך פנימאה ממבעות זהב לבושה

Judæis hoc myſterium non fuiſſe prorſus ignotum ex libris eorum Cabbaliſticis probatur

לבושה והאי הב איהו ז' ימי בראשית וגו' בגין דא כרוזא כרין כמה גברין כמה מארי תריזין אתכנשו בבי מדרשא לאגחה קרבא עם חויא בגינה וכמא תרוסין אתעבידו פסקות בגינה דברת' דמלכ' : ויפן כה וכה וירא כי אין איש (שמות ב') ליה בהון דקטיל לחויא ער דייתי ההוא דאתאמר ביה ויפן כה וכה ויך את המצרי שילה משה דאיתי מורשה דיליה ובגין דה בגיניה אתמר ביה ער כי יבא שילא (בראשית מט') דיליה יהאי איה' קטיל לחויא ולו יקהת עמים: i. *Dixit eis: iste serpens, cum quo vos certatis certamen, ut effugiatis ab eo, ille est, qui deglutivit & occidit, non solum, quod occiderit primum hominem, verum omnes generationes, quæ futuræ erant ad creandum. Et* FILIA *est super turri volitante in aëre: Et proclamant singulis diebus in cœlo, quicunque interfecerit serpentem istum,* dabitur ei IN UXOREM FILIA REGIS, cujus instrumentum intrinsece est de auro intertexto. *Et illud aurum significat sex dies creationis. Et propterea vociferarunt vociferatione quamplurimi Heroum & quamplurimi bellatores in domo orationis congregati, ad dimicandum prælium cum isto serpente propter* Filiam Regis. *Et quamplurimi viri clypeati cessarunt deficiendo propter hanc.* Et circumspexit quaquaversum & vidit, quod non esset vir. (Exod. II, 12.) *quod non esset inter eos, qui interficeret serpentem, quousque venit ille, de quo dicitur;* & circumspexit quaquaversum & percussit Ægyptium, *Siloh, Mose, oppressio vel dominator ejus. Et propterea dicit Scriptura de eo* Genes. XLIX, 10. quousque veniet Siloh. *Ipsius certe erit interficere serpentem, & ipsi erit congregatio gentium,* En Filiam Regis, Messiæ in *uxorem* cedentem. *Midrasch* quoque Cant. Cantic. ad c. 2. v. 8, Messiam ut Sponsum Ecclesiæ considerat: קול דודי הנה זה בא וגו' זה מלך המשיח i. *Vox dilecti mei, ecce ipse venit &c. Is est Rex Messias.* Et vice versa ad Cant. I, 4. Ecclesiam ut uxorem regiam Messiæ: כין שאמרו לה בא בעלך המלך הא ודאי שלימה הדוה: i. *Quando vero dixerunt ei* (Hierosolymæ) *venit Rex maritus tuus: ait: Ecce hæc est mihi perfecta & sufficiens lætitia.* Rex autem ille declaratur in sequentibus esse is ipse, de quo Zach. IX, 9.

IX, 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi*: quod secundum glossam *R. Salomonis*, *non potest exponi nisi de Rege Messia.* Et varius & amœnissimus hic institui potest parallelismus. Præeunt pii Patres. Missis aliis quamplurimis solus hic audiatur *Ammonius* in Catena in Cap. III. Joh. p. 108. Διὰ δὲ βαπτίσματος νυμφεύεται ὁ Χριστὸς τὴν ἐκκλησίαν ἀναγεννηθεῖσαν. Ἡ συζυγία αὕτη πνευματικὴ διὰ δὲ διδασκαλικῆς λόγω σιωπᾶσι Θεῷ. Παρθένος δ' ἐστὶ καὶ ἁγνὴ ἡ νύμφη, διὰ τὴν τῶν δογμάτων ὀρθότητα· ἡ αὐτὴ καὶ γυνή ἐστι δὲ Χριστῷ ὡς ἀγαθὰς γεννῶσα πράξεις, οὐκ ἀφ' ἑαυτῆς, ἀλλὰ διὰ δὲ ἐνεργοῦντος ἐν αὐτῇ Χριστοῦ. Ἧς ἀδεὶς τῶν γενητῶν δύναται εἶναι νυμφίος, ἐπείπερ πρωτοτύπως ἀδεὶς αὐτῶν ἐστι δοτὴρ ἀγαθῶν· πᾶσα δὲ λογικὴ φύσις, ἀγγέλων τε καὶ ἀνθρώπων, νύμφη ἐστί· νυμφίος ἐστὶν ὁ Χριστὸς, καὶ ἡ ἐκκλησία νύμφη, καὶ ὁ νυμφὼν, ὁ τόπος δὲ βαπτίσματος, ἔνθα γίνεται ἡ πνευματικὴ συνάφεια, ἐπειδὴ πάντα φαιδρὰ, καὶ χαρᾶς ἀνάμεστα καὶ εὐφροσύνης i. *Christus per baptismum regeneratam sibi desponsat Ecclesiam. Hoc autem conjugium spirituale per verbum doctrinæ conjungit Deo. Sponsa vero & virgo est, & casta, propter dogmatum sinceritatem: quæ & ipsa uxor est Christi, ut quæ probas parit actiones, non quidem a semet ipsa, sed ex Christi inspiratione. Cui nullus potest esse creatus sponsus, cum nulli creaturæ competat primitivum esse bonorum largitorem. Omnis itaque natura prædita ratione, sive Angelorum, sive hominum, sponsa est, Christus vero sponsus: & sponsa quoque Ecclesia, thalamusque nuptialis Baptismi locus, ubi spiritualis ista conjunctio perficitur, quandoquidem ibi omnia illustria sunt & gaudio lætitiaque plena.* Qui vero plenius meditari de hoc dulcissimo emblemate cupit, ei tria sunt supponenda. I. Sexus fœmineus, qui Ecclesiæ non sine mysterio adscribitur. Gal. IV, 22-26. Apoc. XII, 1. &c. Ita enim exprimitur. 1. infirmitas Ecclesiæ in se consideratæ. 2. suavitas. 3. pudor. 4. affectus teneritudo, qua muliebris sexus præpollet. 5. cum mulieres sint emblema integrarum societatum, uti §. ostensum, hoc quoque nomine Ecclesia vera cum muliere comparatur, quia constat ex integro populo vinculo Spiritus unito. II. Porro in hoc emblemate Messias supponitur vicem *Sponsi* vel *Mariti* gerere, quo nomine eum sæpe compellari jam ostensum. Dulcissi-

Parallelismus varius & dulcis est a Patribus ostensus.

Qui accurate eum volet inspicere, ei tria supponenda sunt:

1) Ecclesiam figurari sub emblemate mulieris:

2) Messiam considerari ut Sponsum & Maritum:

Landesbibliothek Oldenburg

cissima hæc est imago naturam, affectum, operationes Messiæ circa Ecclesiam clarissime repræsentans. *Naturam*, quia ejusdem cum Sponsa naturæ per incarnationem particeps est factus: prærogativam tamen super eam habet; & nihilominus in pulchritudine sua amabilis est. *Affectum*, qui est desiderium enixum, intensus & constans amor, lætitia super Ecclesiam, patientia in ejus imbecillitatibus, zelus contra rivales. Accedunt *actiones* conjugales. Quærit enim Sponsam multo labore, & periculo: reliquit ea propter domum Patris sui: cujus tamen consilium secutus est: procos Evangelii Ministros adhibuit: omnifariam persuadere & illicere in fœdus suum tentavit: inventam & persuasam secum unit: seipsum & omnia bona sua in manus ei tradit: familiarissime cum suis consuescit: eos gubernat: de necessariis providet: contra omnes injurias defendit: quæ singula ex reciproca Uxoris consideratione manifestiora fiunt. Et inspici hic potest *B. Keach* in Tropolog. Anglice conscripta Tom. II. pag. 97. seqq.

III. Tertium, quod præfigendum est, in eo consistit, quod inter Messiam & Ecclesiam talis *desponsatio* facta sit, per quam Ecclesia jus habet, se pro Uxore Filii Dei venditandi. Desponsatio autem hæc emblema est erectionis fœderis gratiæ Hos. II, 18. 19. Et sic iterum multiplex atque elegans occurrit analogia. Sunt enim partes hic contrahentes, antea longissime separatæ, nunc placatæ & in unum coeuntes, Christus & peccator. Sunt proxenetæ, Ministri Evangelii. Adest Advocatus Spiritus. Nec deficit consensus Patris. Conveniturin certas conditiones. Tabulæ contractus signantur. Arrhabo Spiritus datur, & sic porro. Conferatur *Eversdikius* in glor. Mess. Tom. I. p. 560. seq.

3) *Inter Ecclesiam & Messiam factam esse desponsationem.*

His præmissis Ecclesia ut Uxor Agni considerari meretur. 1) *Uxor* a viro primo amatur & quæritur: Ecclesia quoque in amore posterior est. Amavit eam Christus ab æterno. Ex amore ejusdem cum ea naturæ particeps factus & pro ea passus est. Denique per verbum & Spiritum suum in ea sui amo-

His suppositis emblema Uxoris per partes ad Ecclesiam transfertur.

1) *quia in amore est posterior:*

amorem excitare quærit 2. Cor. V, 19. 20. Eph. V, 25. 2) *Uxor* originem trahit a Viro, & ex ejus dormientis latere fabricata eſt. Eccleſiæ fundator & architectus Chriſtus eſt, latere perfoſſo in cruce obdormiens Joh. XIX, 34. *Alcimus Avitus* lib. 1. de orig. mundi:

2) *quia a Viro orta:*

Inde quieſcenti, gemina dum nocte jaceret,
De lateris membro ſurgens Eccleſia nupſit.

3) *Uxor* eſt propter virum γυνὴ δόξα ἀνδρός ἐστι 1. Cor. XI, 7. Eccleſia itidem propter Chriſtum & ad manifeſtandas divitias gratiæ ſuæ. 4) *Uxor* eandem cum viro imaginem ab initio geſſit, quæ fuit imago Dei, quia ad ſimilitudinem viri facta eſt. Hinc proverbio veteri dicebatur: *uxorem eſſe viri ſpeculum.* Atque ita explicatur a *Sauberto* op. poſth. p. 125. 126. citatus ex 1. Cor. XI. locus, quia apud *Phavorinum* δόξα per εἰκασμὸς redditur, & Hebræorum תמונה οἱ ὁ per δόξα vertunt. Certe in Eccleſia imago Dei relucet, & præſertim Filii Rom. VIII, 29. 5) *Uxor* arctiſſima unione marito cohæret: Eccleſia eſt *unus Spiritus cum Chriſto* 1. Cor. VI, 17. Joh. XVII, 22. Quin, quod caſta mente eſt penſitandum, ipſi amoris arctioris actus a Spiritu Sancto ut ſymbolum hujus unionis conſiderantur. Hoc volunt phraſes *cognoſcere Dominum* Hos. II, 20. κολλᾶσθαι τῷ Κυρίῳ 1. Cor. VI, 17. &c. Placuit ſane divinæ ſapientiæ, talibus phraſibus exprimere, cum non ſuppeterent in humanis aptiores, puriſſimum cœleſtis amoris ſenſum, revelationem gloriæ Chriſti ab omni literæ velo denudatam, amplexus & infuſiones cœleſtis amoris, mixta animæ cum Chriſto conſueſcentis ſuſpiria, baſia, anhelitus quaſi aegrotantis, inebriationem animarum cœleſtibus gaudiis, quæ clarius in ſymbolo monſtrare carnis imbecillitas & periculum irriſionis profanorum hominum prohibet. Sufficit, ut pie *Lutherus* Comment. in Gal. II. *fidem Chriſtum & animas fideles arctius copulare, quam maritus eſt uxori copulatus.* 6) Vinculum unionis inter *uxorem* & maritum eſt

3) *quia propter virum:*

4) *quia imago Viri:*

5) *quia cum Viro una:*

6) *quia*

in-

Landesbibliothek Oldenburg

indissolubile: nec minus amor Sponsæ æternus Cant. VIII.6.7. 7) *Uxor* cum Viro habitat, eumque præsentem intuetur, ejusque operum testis & auxiliatrix est. Ecclesia simili cum Christo cohabitatione gaudet, quia ejus præsentia fruitur, ejus virtutes & opera avide intuetur, & quantum in se est, opus ejus promovet. 8) *Uxor* est delitium Mariti & in eo delitiatur. Christus in Ecclesia, ut theatro gloriæ suæ delectatur Jes. LXII, 5. Et vice versa fideles omnium votorum & gaudiorum summam in fruitione cœlestis Amici ponunt Cant. VIII, 1. Matth. IX, 15. 9) *Uxor* non tantum more antiquo a Marito dotem accipiebat, sed etiam omnium ejus divitiarum ac honorum in legitimo matrimonio particeps est. Ecclesia quicquid habet, a Christo habet, a quo etiam ejusdem testamenti gratiæ & throni gloriæ possessionem nanciscitur, ut statim dicetur. 10) *Uxor* Marito liberos gignit: Ecclesia Christo spirituales per semen verbi adducit liberos, de quibus ad vs. 17. 11) *Uxor* a Viro denominatur: Ecclesia a Christo, utpote ejusdem unctionis particeps Amos IX, 12. 12) *Uxor* in justo conjugio unica est: unam quoque esse veram Ecclesiam ex Cant. VI, 5. profitemur. Unde illud *Meletionis* in strom. ἑις νύμφιος, μιᾶς νύμφης, ἑις ὁ Χριστός. 13) Addere possemus officia *uxoris* erga Maritum, qualia sunt, domum patris relinquere; procos reliquos abdicare; Marito totam se in peculium dare, ut quæ non amplius sua, sed mariti est: quærere ut ei placeat, iramque & aversionem timere: ejus tutelæ se credere: eumque caste amare & honorare: sed ea prolixius ad v. sequentem suo loco explicabuntur. In his subsistendum est veritatis amatoribus & susque deque habendæ *Pseudo-mysticorum* næniæ, qui se ita uniri Deo dixerunt, ut re ipsa natura ipsorum in profunda abysso Divinitatis submergatur, humanitas annihiletur & tota *transeat* in Divinitatem, cui hypothesi favere symbolum matrimonii incassum putant. " Dandum tamen aliquid, ut " recte Vir quidam doctus, amori, nec omnia debemus tam ac- " curate examinare, vel in malam partem interpretari. Sane " enim "

unio est constans: 7) quia cum Viro habitat:

8) quia mariti est delitium:

9) quia a Viro ditatur:

10) quia fœcundatur:

11) quia a Viro nomen habet:

12) quia unica:

13) quia ad varia officia obstricta.

Cavendæ in mystici matrimonii exegesi pseudo-mysticorum glossæ Spinosistica.

" enim ineffabile eſt hoc myſterium, quod melius poteſt gu-
" ſtari, quam deſcribi, ſentiri potius, quam differi. Hinc
" mirum non eſt, quod ii, qui experti ſunt illud, ejusve gu-
" ſtarunt dulcedinem, miris & fere, imo interdum vere hy-
" perbolicis verbis utantur, cum nulla inveniunt, quibus, quod
" volunt, & dulciſſime ſentiunt, poſſint ſatis eloqui. Sane
" enim hic fit, quod de ipſa vita æterna, cujus in hac unione
" & deſponſatione myſtica præguſtus & primitiæ habentur, di-
" cturis fieri amat, & bene dixit *Bernhardus* Serm. 79. in
" Cant. *Lingua amoris non amanti barbara eſt.* Certum inter-
ea eſt, Fanaticos hodiernos paſſim per gradum vitæ unitivæ ſeu perfectivæ realem aliquam cum eſſentia Dei commixtionem ſeu potius in illam transformationem & reductionem intelligere: quo errore horrendum Spinoſismum ſub novo tegumento reducunt, & tantum non omnia religionis fundamenta ſubvertunt, quod in vernaculo tractatu ante aliquod tempus demonſtrare neceſſum habui. Vera Chriſti cum Sponſa conjunctio non niſi per fidem eſt, & cum ne quidem matrimonii carnalis copula ullam eſſentiæ transmutationem inferat, multo minus in matrimonio ſpirituali ea locum habere poteſt.

Eccleſia conſideratur ut Uxor regia ſeu Regina, ob ſpirituale fidelium regnum.

XI. Id vero *Uxor* Meſſiæ ſingulare habet, quod cum eo *Regina* ſit. Ut *Regina* pingitur Apoc. XII, 1. ubi *in capite ſuo habet coronam duodecim ſtellarum.* Et *filiæ Jeruſalem regnum* adſcribitur Matth. IV, 8. Ratio eſt, quia *regia* quædam excellentia in vera membra Eccleſiæ a Meſſia collata eſt, quæ ut antitypus Iſraelis, *Sacerdotale regnum* ſunt Exod. XIX, 6. Et hoc eſſe beneficium a Meſſia exſpectandum aſſerit Maimonides in Miſchn. Sanhedrin fol. 119. col. 1. dicens: *bonum quod ſperatur, eſſe dies Meſſiæ, ac* אותו זמן יהיו בני אדם כלם מלכים i. *illo tempore fore filios hominum omnes Reges.* Illo quoque ſenſu Meſſias poteſt *Rex Regum* dici Apoc. XIX, 16. Meliori jure illi *Reges* ſunt, qui Chriſto initiati, quam qui Sacris Deorum & præcipue Bacchi initiandi erant, & tanquam *Reges*

ſacro

sacro & mystico ornatu induti, solenni ritu soliis imponebantur, qui ritus θρονισμὸς dicitur. Videri de eo possunt *Meursius* Græc. Feriat. IV. *Eschenbachius* de Poesi Orphic. p. 38. *Moyne* Var. Sacr. Tom. II. p. 380. seq. Sane varia sunt, quæ regale fastigium in Ecclesia spirant 1) Spiritus generosus mundana spernens Ps. LI, 14. Dan. V, 12. 2) Divitiæ inæstimabiles. 3) Majestaticus splendor virtutum & fructuum Spiritus, quo cæteros homines tantum infra se relinquunt, quantum Reges supra communem sortem evecti sunt Prov. XII, 26. 4) Sanctitas inviolabilis Ps. CV, 14. 15. 6) Satellitium angelorum. 7) Victoriarum spiritualium cumulus. 8) Porro *regnum ipsum* quod est tum hujus, tum futuræ vitae. In hac vita *regnum* fidelium est in proprias animas Prov. XVI, 32. Nam *sibi imperare maximum est imperium*, ut ait *Seneca* Epist. 113. Et plura ex ipsis gentilibus hoc *regnum* laudantibus collecta videri possunt apud *Gatakerum* ad Antonin. de rebus suis lib. I. c. 15. & *Barthium* in Claudian. 4. cons. Honor. p. m. 632. seq. Quin habent quoque in Christo *regnum* super mundum, quando *Reges* sunt *nutritii* Ecclesiæ Jes. XLIX, 23. In futura vero vita exspectant *regnum* gloriae testamento eis dispositum Matth. XXV, 34. & συνθρονοι Christi evadent Apoc. III, 21. 9) Denique insignia regni, *coronæ* justitiae & vitae, *gladius* verbi, qui sceptri instar habet, *throni* & *tribunalia*, quatenus mundum judicant, *purpura* aliaeque *vestes regiæ*, de quibus statim, iis tribuuntur.

XII. Atque ex hoc titulo Ecclesiae apparet, quidnam discriminis inter ejus *internum* & *externum* statum sit. Sicut enim *Regina* haec considerari debet, ut a filiabus regum cincta, nihilominus inter eas eminens, & sola arctiori cum Rege unione gaudens; ita Ecclesia interna ab externa cincta est. Nullibi praesumtive vera Ecclesia invenitur, nisi ubi verbum Evangelii prædicatur. Nec tamen hae externae praerogativae sufficiunt. Nam cum Ecclesia quatenus externa in N. T. nullum fœdus est, quod luculenter probatum dedit Celeb. *Vitringa* Obs. *Ex toto allegoriæ nexu discrimen inter Ecclesiam internam & externam indicatur.*

Sacr.ll.6. Sola in fœdere cum Christo gloriari potest interna Ecclesia & viva ejus membra, atque ea de caussa interna ejus facies longe externae est praeferenda. Quod ipsum tamen Ecclesiae externae nihil derogat. Nam illa semen sanctum in se continet. Subjecta eam constituentia sunt fideles & hypocritæ inter se mixti. Nec tantum hanc mixturam Deus per longanimitatem patitur, sed & secundum immutabile propositum sapientissime dispensat. Haec enim commixtio verum, Deo decens, & naturae peccatoris conveniens medium est, per quod ii, quos sibi in vasa gloriae Deus destinavit, in tempore rationaliter cognitione viae salutis imbuuntur, vocantur, persuadentur. Eousque, ut si haec commixtio cessaret, cessaret quoque seminis Dei propagatio. Discrimen hoc, quod inter externam & internam Ecclesiam secundum emblema nostrum ponimus, idem est, quod in tabernaculo & templo praefiguratum, ubi *atrium* a *templo* distinctum, nihilominus templum cingebat, ita ut nemo templum ingredi potuerit, nisi per atrium. Porro nemo templum intrabat nisi Sacerdotes: iidem tamen Sacerdotes non cessabant functiones suas obire in atrio. *Templum internam* Ecclesiam figurabat, ab *externa*, quae est *atrium*, distinctam quidem, sed tamen ita cinctam, ut Ecclesiæ internæ se membrum esse nemo gloriari audeat, nisi qui per externam ei sociatus est. Sacerdotes soli repræsentant membra Ecclesiæ internæ: reliquus populus cum Sacerdotibus externæ. Et quamvis fideles Sacerdotii spiritualis potissimas partes obeant in occulto, manent tamen hactenus partes Ecclesiæ externæ, quatenus in atrio quoque ad communem ædificationem versantur. Hoc ergo verum inter veros & falsos confessores discrimen est: quod illi simul Ecclesiæ internæ & externæ, hi solum externæ membra sint. Quod discrimen si recte perpenderetur, multi fluctus, qui a schismaticis Gnosticorum, Donatistarumque æmulis de Ecclesia indies moventur, placide componi possent.

& consideratione templi & atrii illustratur.

XIII. Re-

XIII. Reginam hanc נִצָּבָה i. STANTEM Psaltes contemplatur, sive, quæ vis est formæ Niphal in hoc verbo, SESISTENTEM. Placuit quidem *Gatakero* Adv. Posth. cap. 25. vertere *collocata est*, ita ut *Uxor* concipienda sit in hoc schemate cum Rege Messia super idem solium consedisse. Sed ignotus hic est Hebrææ vocis usus. Nec enim exempla, quæ adducit Vir doctissimus, id evincunt. De vera notione videri potest *Geierus*. Exprimit autem Ecclesia *stando* 1) *firmitatem* suam in fide. Hoc proprium est vocum נצב & יצב quæ interprete *Maimonide* designant: נצב הקיום והתמדה דברך נצב בשמים כלומר קיים עומד וכל מה שבא מזה השם בחק הבור' הוא מזה הענין והנה יי' נצב עליו קיים עומד עליו כלומר על הסולם i. *stabilitatem*, *& firmitatem*, *ut*: verbum tuum stat in cœlo (Ps. CXIX. 89.) *h. e. stabile*, *firmum permanet*. *Sic usurpantur*, *quotiescunque occurrunt de Deo*, *ut* (Gen. XXIII, 12.) ecce Dominus stabat super illam, *h. e. firmus*, *stabilis*, *permanet super illam scalam*. Plura videri possunt in More Nev. Part. I. cap. 15. Apud profanos idem obtinere docebit *Barthius* in Claud. p. 239. Atque eo sensu de fidelibus usurpatur 1. Cor. XV, 1. XVI, 13. Phil. I, 27. IV, 1. Col. IV, 12. 2) *Humilitatem*. Inferiores enim assurgunt superioribus Job. XXIX, 8. Sic aliquando discipulorum erat *stare*, sedentibus Doctoribus, de quo ritu post alios accurate egit *Georg. Ursinus* Antiq. Hebr. Academ. p. m. 93. seqq. Unde precantibus *stare* convenit, qua de caussa עמידה *statio* apud Hebræos oratio dicitur. Confer *Majum* obs. Sacr. II. p. 117. sq. Et Ecclesia, licet Christus eam pro Sponsa sua agnoscat, semper tamen memor est, quam infinitis parasangis eo inferior sit. 3) *Promtitudinem*. Utroque respectu stant ministri coram Rege Gen. XLI, 46. 1. Reg. X, 8. Prov. XXII, 29. Angeli coram Domino Dan. VII, 10. Zach. III, 4. Luc. I. 19. Hinc Sacerdotes quoque in templo stantes ministrabant, quo alluditur Ezech. XLIV, 15. Psal. CXXXIV, 2. Apoc. VII, 9. &c. Similiter vera Ecclesia ad obediendum cœlesti suo Marito promta est: quo etiam pertinet id, quod vs. 12. ei præscribitur

Stare Ecclesia tribuitur ad exprimendam ejus

1) *firmitatem in fide*,

2) *humilitatem in precibus*,

3) *promtitudinem in obedientia*,

4) *felicitatem*.

tur. 4) *Felicitatem.* Dan. XI, 2. *ſtare* dicuntur Reges, qui potentia & honore florent. Contra 1. Sam. XIII, 14. Prov. XII, 7. Sic *Euripides* apud *Stobæum* Serm. 105. Ος ἂν σφαλῇ, εἰς ὀρθὸν ἔστι. i. *Qui lapſus eſt, erectus adſtat.* Notavit id *Zehnerus* Adag. Cent. III, 88. Eccleſia certe eo quoque nomine ſtat, quod in præſenti fruitione & amplexu Sponſi ſui ſummæ felicitatis compos eſt.

Quando Sponſa ad dextram Meſſiæ ſtat, ex vitu ſponſalitio veterum id explicandum docetur, ubi dextra data firmata vincula conjugalia,

XIV. Humilitas hæc *Uxoris Regiæ* non derogat prærogativæ ejus, quia ſtat לימין i. AD DEXTRAM Meſſiæ. Cum vero *dextra* in ſacris ſemper cenſeatur pro loco honoratiore, hinc Interpretes haut parum ſuſpenſos invenio, quomodo is locus Eccleſiæ ratione Filii Dei competere poſſit? In qua tamen re nihil difficultatis fuiſſet, ſi memores fuiſſent, in ſacro hoc epithalamio alludi ad ritum quendam ſponſalitium; quo ſponſus fidem ſponſæ data *dextra* oppignorat. Id quod quomodo mutui amoris monitorium ſit, explanat *Calvör* Ritual. Eccleſ. P. I. pag. 127. Stare ergo *ad dextram ſponſi* nihil aliud eſt, quam *dextram ſponſi* tenere, quæ præfixi ל vis etiam Jeſ. LXIII, 12. invenitur. Et miror ſane, Viris doctiſſimis hoc in mentem non veniſſe. Sic data *dextera* Sara elocatur *Tobiæ* c. VII, 13. Καὶ ἐκάλεσε Σάρραν τὴν θυγατέρα αὐτοῦ καὶ λαβὼν τῆς χειρὸς αὐτῆς, παρέδωκεν αὐτὴν Τωβίᾳ γυναῖκα: id quod *Vulgata* merito de *dextra* interpretatur: *Apprehendens dextram filiæ ſuæ, Tobiæ tradidit.* Huc provocat Dido apud *Virgilium* Æn. IV. 307.

Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?

Et pergit vſ. 314.

Mene fugis? per ego has lachrymas, dextramque tuam te,
Per connubia noſtra, per inceptos Hymenæos
Oro - -

Sic

Sic *Claudianus* Epithal. Pallad. & Celer. v. 128.

Tum dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradit, & his ultro ſancit connubia dictis,
Vivite concordes - -

Eodem reſpicit *Tertullianus* de veland. virgin : *Si autem ad deſponſationem velantur, quia & corpore & Spiritu maſculo mixtæ ſunt, per oſculum & dexteras, per quæ primum reſignarunt pudorem.* Similiter *Arrianus* de geſtis Alexandri lib. VII. 3. tradit Perſarum & Medorum more nuptias celebrari, uxoribus *dexteris* & oſculo acceptis. Οἱ δὲ γάμοι ἐποιήθησαν νόμῳ τῷ Περσικῷ. θρόνοι ἐτέθησαν τοῖς νυμφίοις ἐφεξῆς· καὶ μετὰ τὸν πότον ἦκον αἱ γαμικλύαι. καὶ παρεκαθέζοντο ἑκάστη τῷ ἑαυτῆς· οἱ δὲ, ἐδεξιώσαντό τε αὐτὰς καὶ ἐφίλησαν. i. *nuptiæ Perſico more celebratæ ſunt : ſedilia ex ordine iis poſita erant, qui uxores ducturi erant, & poſt convivium ſponſæ adductæ ſingulæ ſponſis ſuis aſſederunt, qui mox dextris datis oſculo eas excoeperunt.* Qui locus eo magis hic notari meretur, quia ſponſos in thronis ſedentes repræſentat, ad quos ſponſæ introducebantur, quod non diſſimile eſt ab illo ſchemate, quod in hoc Pſalmo invenimus. Plura in hanc rem notavit doctiſſimus *Tiraquellus* in notis ad Alexandr. dies genial. lib. II. cap. 5. & *Pfeiferus* Ant. Græcar. lib. IV. c. 12. Addi poſſunt, quæ *Nic. Mercerus* circa *dextras* datas apud Romanos tam in confarreationis, quam coemtionis ritu obſervat l. cit. p. 268. ed. nitidiſſimæ Lugdunenſis. Inde eſt, quod annuli pronubi ab antiquo junctarum *dexterarum* formam habuere, ſicut notavit *Pignorius* Symbol. Epiſtol. I. 19. Ritus hic in nummis ſæpiuscule eſt expreſſus, quod ut ad oculum pateſcat, exſculpendos heic curavi 1) nummum æreum Gordiani ex *Vaillantii* numismatibus æreis Imperatorum P. II. p. 138. Auguſtus & Auguſta hic ſuper aram *dextras* jungunt in fidei matrimonialis, Diis teſtibus, monumentum. Gordianus Concordiæ ſignum gerit, ad denotandum conjuges inter ſe

quod ex nummis illuſtratur.

Landesbibliothek Oldenburg

concordes eſſe debere; Tranquillina ſceptrum, ob communicatam ipſi per matrimonium Imperii dignitatem. 2) Nec



memoratu indignus eſt nummus alter maximi moduli, quem inter Medalliones, ut dicunt, in Cimeliarchio Regis Galliæ

liæ asservatos Tabula XVI. reperio. En heic Commodum Imperatorem & Crispinam data dextra coram Flamine in fœdera conjugalia coëuntes. Confer 3) illustrationis caussa alium nummulum ejusdem Crispinæ apud *Gulielmum duChoul* de la Relig des Anc. p. m. 254. Eodem 4) pertinet nummus Elagabali apud *Car. Patinum* Numm. Imp. 337. Media hic inter Imperatorem & Juliam Corneliam Paullam *dextram* invicem tenentes stat Concordia, æternaturo fœdere utrosque jungens. 5) Addo gemmam, in qua erigunt conjugale fœdus M. Aurelius & Faustina, si conjectura *Laur. Begeri* recte se habet, cujus ex Thesauro Palatino p. 86. hunc ectypum mutuati sumus. Occurrunt apud eundem p. 319. tres nummi Plautillæ, ubi idem schema cum additis lemmatibus CONCORDIA FELIX, CONCORDIAE AETERNAE, PROPAGO IMPERII, qui inspici ab harum rerum cupidis merentur.

XV. Atque ita abunde patet, quo phrasis hæc collimet. Nunc propius videndum, quid designet. Late patere symbolum *dextræ* apud antiquos notum est, & multa jam sparsim de eo notata sunt a *Cælio Rhodigino* Lect. Antiq. IV. c. 3. & XXII, 14. *Meursio* Animadv. Miscellan. I c. 14. *Pierio Valeriano* hieroglyph. XXXV. c. 14. seq. *Augustino* Antiq. Dial. 2. *Alexandro Neapolitano* dier. gen. II. 19. *Stukio* Ant. Convival. I, 27 & II, 32. *Ramirez de Prado* Pentacont. cap. XXXIX. *Lipsio* Elector. II c. 2. & 7. *Barthio* Adversar. XXV, 8. *Gyraldo* Hist. Deor. Synt. I. atque aliis, quæ quatenus hic quadrant, in summam & ordinem redigere, immistis, quæ propria quoque diligentia observavimus, necessum est. Invenio ergo *dextram* adhiberi ad designandam amicitiam, fidem, potentiam, auxilium, protectionem, majestatem, liberalitatem. Et hæc omnia heic comprehendi possunt, quando Ecclesia Christi dextram tenet. 1) Primas heic tenere significationem *amicitiæ* & *concordiæ* animorum res ipsa suadet. Hæc enim felicis conjugii fundamentum est. Sic in sacris *filius dextræ* est cha-

Late patet symbolum dextræ.

Dextra Messiæ bic septem proprietates designare potest:

1) amicitiam.

chariſſimus Gen. XXXV, 18. Ubi recte *Ben Melech*: ואביו קרא לו בנימין פרושו בן ימין ולפי שהימין נכבד וחביב מהשמאל והקטן שבבנים חביב על האדם יותר קראו בנימין כלומר בן ימיני חביב ונכבד עלי: i. *Et pater ejus nuncupavit eum Benjamin, id eſt filium dextræ, quod dextra honoratior & amabilior eſt homini ſiniſtra. Cum igitur minimus filiorum amabilis ſuper reliquos homines fuit, vocavit eum Benjamin, filium dextræ ſuæ, ſibi adeo dilectum & honoratum.* Et *dextræ ſocietatis* Paulo datæ Gal. II, 9. Inde inter ſymbola Pythagorica hoc quoque comparet: Μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν, ut ſignificaretur, neminem temere in familiaritatem accipiendum eſſe. Hinc hoſpitibus & reconciliatis data *dextra*. Hoſpitibus Æn. III.

Dextra ſymbolum hoſpitalitatis & reconciliationis:

Jungimus hoſpitio dextras ac tecta ſubimus.

Æn. VII.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe tyranni.

Euſtathius ad Odyſſ. r: ἐπεσπῶντο καὶ εἵλκον ἀλλ' ἀδεξιώστως εἰς ἑαυτὸς, καὶ ποιῶτον ἀεὶ πεῖς παλαιοῖς κυρίως ὁ ἀσπασμός. ἐφὶ ᾧ καὶ νῦν πολλοὶ τῶν ἐξ ἐθνῶν ἰδεῖν ἐν τῷ ἀλλήλοις ἀγωνιῶντας, πλανῦντας τῶ χεῖρε, καὶ τότε σφῶν πελάζοντας, καὶ τὰς χεῖρας ἐπικυρτοῦντας, καὶ εἰς κύκλον ἀγαγόντας, καὶ ἀμπλεγομένους ῥῆμα, καὶ ἐφ' τέτο αὐτοῖς ὁ ἀσπασμὸς ἀπὸ τ' ἀγάθυ. Reconciliatis itidem dextra porrigebatur. De M. Æmilio & M. Fulvio Cenſoribus *Livius* lib. XL. *omnibus inſtantibus, qui aderant, dexteram fidemque dedere, mittere vere ac finire odium.* Sic apud *Ammianum* Nebridius Juliani *dextram* amplecti deſiderabat lib. XXI. cui tamen reſponſum dabatur: *Ecquid præcipuum amicis ſervabitur, ſi tu dexteram attigeris meam?* Iterum Æn. III.

Ipſe pater dextram Anchiſes, haud multa moratus,
Dat juveni, atque animum præſenti munere firmat.

Plautus in Mercatore:

Uxor tibi placita & placata eſt, date dextras nunc jam.

Hinc


PAX
AMOR MVTVVS AVGG
CARITAS MVTVA AVGG
FIDES MVTVA AVGG
FIDES
EXERCITVVM
S C
RESTITVTORI ACHAIAE
RESTITVTORI ITALIAE IMP VOCOSIM
S C
SEVERI INVICTI AVG PII FEL
ADOPTIO
IIRTVS AVGG
XXI
LIBERALITAS AVGG III
SMA

& apud Romanos pacis & concordiæ.

Hinc pacis & concordiæ publicæ frequentissimum symbolum in nummis Romanorum *dextræ* sibi invicem implicatæ. Multos nummos hoc emblemate signatos invenies in *Smetii* Antiquit. Neomag. p.193. 203. *Fulvii Ursini* Familiis &c. quos heic prætereo, & tres appingo; unum argenteum Augusti ex *Choulio* p. m. 16. quia ille additam habet PACIS interpretationem: Alterum M. Clodii Pupieni Maximi ex *Begeri* Thesauro Palatino, quia in eo quoque additur explicationis caussa: CARITAS MUTUA AUGG: Tertium ejusdem Pupieni, ubi itidem addita explicatio: AMOR MUTUUS AUGG inter *Caroli Ducis Croyaci* Nummos recensitum Tab. LVII. n.6. Hi sunt in tabula adjecta tres priores. Stat ergo Sponsa ad Christi *dextram*, quia eam, licet peregrinam & inimicam natura, per gratiam conciliatam tenerrimo amore complectitur Prov. VIII, 17. Eph. V, 25. Hos. II, 20.

2) in fide maritali constantiam.

2) Sicut autem *dextræ* in præsens reconciliationis & amicitiæ, ita in futurum *fidei* obses est. Hæc est anima felicis conjugii. Hinc *Ovidius* lib VI. Metam. de Tereo & Philomela:

Ut pignus fidei dextras utrasque poposcit,
Inter seque datas junxit - -

Nihil frequentius apud authores, quam in omnibus occasionibus sanctissimam fidei tesseram *dextræ* porrectionem fuisse. *Cicero* Philipp. II. *dextras* appellat *fidei testes*. Apud *Sophoclem* Oedipus Coloneus Theseo ait v. 1704. δός μοι χερὸς σῆς πίστιν ἀρχείας τέκνοις i. *da manum, antiquæ fidei testem, filiabus meis.* Et in Trachiniis v. 1197. Hercules:

Ἔμβαλε χεῖρα δεξιὰν πρώτιστά μοι.

i. *Admove huc dextram quamprimum manum*, cui filius respondet:

Ὡς σοῖς τί πίστιν τήνδ' ἄγαν διπλοῖς;

i. *cur hanc fidem tam anxie requiris?* Addi potest idem in Philocte-

loctete v. 827. Secundum *Plinium dextra in fide porrigitur* lib. XI. c. 45. Iterumque graphice *Cicero* pro Rege Dejotaro: *Per dextram oro, quam Regi Dejotaro hoſpiti porrexiſti. Hanc, inquam, dexteram non tam in bellis & in præliis, quam in promiſſis & fide firmam.* Hinc fœdera publica data *dextera* pacta ſunt. *Suidas* δεξιὰς, συνθήκας interpretatur. Cui concinit *Scholiaſtes Homeri* citatus a *Suicero* in δεξιά, ubi plura: ut & apud *Potterum* in Lycophr. v. 51. *Scholiaſtes Ariſtophanis* in Nebulis. ἔθος δ' ἦν πάλαι, καὶ συνθήκας βεβαίας τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. Et juramenti hoc loco fuit. *Euſtathius* in Iliad. β. ἐν τοῖς ὅρκοις κάδειν ἐλαττον εἰς πίστιν ἐλογίζετο καὶ τὸ τῶν δεξιῶν χειρῶν ἅπτεσθαι. Nauſeæ eſſem, ſi, quæ ex *Diodoro Siculo*, *Livio*, *Plutarcho*, *Homero* aliisque exſcribi poſſent in hanc rem, conglomerarem. Nimis tamen memorabilis eſt *Joſephi* locus, quam ut prætereatur Ant. Jud. XVIII. 12. ὁ δὴ Ἀρτάβανος τὸν πατρῷους θεοὺς ἐπώμνυτο, μηδὲν κακὸν δράσειν αὐτὸν, καὶ τὴν δεξιὰν ἐδίδου, ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνη βαρβάροις παράδειγμα τοῦ πιστεῖν γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσιν· ὃ γὰρ ἂν ψεύσαιτό τις δεξιῶν ὑπ' αὐτῷ δόσεως γενομένης, οὐδὲ πιστεύειν ἐνδοίασειεν εἰ ταύτης ἀσφαλείας δόσις γένοιτο, παρὰ τοῖς ἐν ὑποψίᾳ ἀδικήσειν καθεστηκόσιν i. *Artabanus vero per patrios Deos dejeravit, nihil eos ſe læſurum in fidem venientes: idque porrecta juveni dextra ſanciit, quod apud barbaros convenientes certiſſimum eſt argumentum fiduciæ. Nam poſt datam dextram apud eos nec fallere fas eſt, nec diffidere, ceſſantibus omnino ſuſpicionibus.* Hoc tantum noto, frequenter quoque in numismatibus occurrere, ut manus junctæ *fidei* emblema eſſe explicentur, quorum duos hic ectypos dare ſufficiet num. 4. & 5. Alterum debeo *Patino* in Numismatibus Vitellii p. m. 138. alterum *Begero* l. cit. pag. 330. inter nummos D. Cælii Balbini. Adde *Rubenium* in Ducis Arſchottani Num. VII, 24. Et ut ritum hunc antiquiſſimum eſſe credamus, argumentis haut ficulneis perſuadere nobis conatur doctiſſimus *Hermannus von der Hardt*, quando per ירך Gen. XXIV, 2. & XLVII, 29. non *femur*, ſed *dextræ carpum* intelligi poſſe putat, qui a jurantibus prehenſus ſit, de qua ſententia diſſertatio ejus ſingula-

Fœdera data dextera ſancita.

Juratum per dextras.

Landesbibliothek Oldenburg

gularis Helmſtadii 1711. publicata videri poteſt. Sponſæ ergo Chriſtus *dextram* porrigit, quia indiſſolubilem fidem per verbum promiſſionis ei obſignat, ſeque eam nunquam relicturum teſtatur, Jes. LIV, 10. Joh. XIII, 1. Hebr. XIII, 5.

3) *Potentiæ* ſymbolum *dextram* habere Exercit. V. §. 22. jam elucidatum eſt, quo Lectorem remitto. Sufficit hanc notionem hic excludi non poſſe, quia Chriſtus Sponſam ſuam manu forti ex regno Diaboli aſſeruit, & per Spiritum roboris ſui disruptis vinculis peccati in ſuum fœdus ſuaviter coegit. Jes. XLIX, 25. Ezech. XX, 37.

3) Potentiam.

4) *Protectionem* quoque *dextra* deſignat. Hic videtur ſenſus palmarius eſſe Pſ. XVI, 8. CIX, 31. CX, 5. CXXI, 5. CXLII, 5. Jes. LXIII, 12. Hinc dextra porrecta Priamo ab Achille *Homeri* Iliad. Ω.

4) Protectionem.

- - Ἀμφὶ κάρηϖ χεῖρα γέρονθ' ἕλε δεξιτερὴν, μή πως δείσῃ ἐνὶ θυμῷ

i. *in vola manum ſenis accepit dextram, ne forte timeret animo.* & Iliad. 683.

χεῖρα ἐὴν ὑπερέσχε, πεφραδήσασι δὲ λαοῖσι.

i. *Manum ſuam ſupra tenuit* (Jupiter) *& animo confirmatæ ſunt copiæ.* *Theognis* ſent. v. 755.

Ζεὺς μὲν γὰρ ἔχει τήνδε πόλιν ὑπερέχων αἰθέρι ναίων
Αἰεὶ δεξιτερὴν χεῖρ' ἐπ' ἀπημοσύνῃ &c.

i. *Jupiter cœlum habitans ſemper ſuper urbem hanc tenet dextram ſuam manum ad incolumitatem ejus.* Confer Autorem Hiſt. Crit. Reip. Lit. Tom. I. p. 66. ſeq. Atque id hic ſingularem emphaſin habet, quia firmam & conſtantem protectionem uxori maritus debet: Eccleſiæ vero Chriſtus præſtat, uti innuitur Cant. II. 6. & VIII, 3. Eodem ſenſu Johanni *dextram ſuam impoſuit* Apoc. I, 17. & *dextra ſua tenere ſeptem ſtellas* dicitur Ibid. v. 16. 20. & II. 1.

5) Af-

5) Affinis est notatio *auxilii*, quam *dextræ* competere patet ex Thren. II. 3. Ps. LXXIII. 23. Hinc inter Diogenis parœmias recensetur a *Laertio* lib. VI. c. 29: ἔλεγε ἢ καὶ δεῖν τὰς χεῖρας ἐπὶ τὺς φίλυς ἐκτείνειν μὴ συγκεκαμμένυς τοῖς δακτύλοις i. *Dicebat manus ad amicos non complicatis digitis extendi debere.* Hercules apud *Curtium* IV. 2. & *Arrianum* lib. II. Alexandro *dextram* dat. *Oppianus* Cyneget. I. 5) *Auxilium.*

Δεξιτερὴν ὀπάσειν πανίλαον, ὀλβοδότειραν.

Corippus lib. I.

Tuque Dei genitrix sanctam mihi porrige dextram,
Et fer opem quæso - - -

Sic apud *Virgilium* Æn. VI. Palinurus

Da dextram misero & tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.

Et in nummis quibusdam Opis Deæ simulachrum extensa *dextra* conspicitur. Extant etiam nummi Gratiani, Maximi & aliorum, qui Imperatores reipublicæ jacenti *dextram* porrigentes exprimunt, cum lemmate: REPARATIO REIPUB. &c. Ego duos hujus generis appingi curavi, alterum Num. VI. Hadriani ex *Tristano*, alterum Antonini Num. VII. ex nummis Caroli Ducis Crojaci Tab. XLVII. n. 3. Certissimum autem est auxilium, cujus per Maritum suum spiritualem compos fit Ecclesia, in omnibus afflictionibus & periculis, quibus exponitur. Quamplurimæ promissiones sunt, quæ id firmant. Sufficiat nunc una, quæ *dextræ* Messiæ eodem fine mentionem facit Jes. XLI. 10. *Ne timeto, quia tecum sum, ne stupeto, quia ego sum Deus tuus: fortifico te, etiam auxilior tibi, etiam sustento te dextera justa mea.* Et vs. 13. *Ego Jehova, Deus tuus, prehendam dexteram tuam, edicens tibi, ne timeto, ego auxilior tibi.*

6) *Honoris & majeſtatis communicationem.*

6) Præterea *dextra honoris & majeſtatis* imaginem gerit. *Kimchius* ad Pſ. XVI. הפנים והימין הם כבוד: i. *facies & dextra ſunt honoris. Servius* ad Æn. I. *Majorum hæc fuit ſalutatio, cujus cauſſam dicit Varro Callimachum ſecutus, aſſerens omnem eorum honorem dexterarum conſtitiſſe virtute, ob quam rem hac ſe venerabantur corporis parte.* Ad *dextram* Ægyptiis, Romanis, Afris locus habitus eſt honoratiſſimus. Singulari diſſertatione id probavit *Joh. Chriſt. Einigk.* de manu dextra honoratiore Lipſ. 1707. *Dextra* ſceptrum ab antiquiſſimis temporibus tenuere Reges; quod jam attigimus Exerc. VI. §. 13. *Dextra* protenſa imperia data. *Dextra vetat pugnas* apud *Statium* Sylv. lib. I. Hinc perorantes extenſa dextra ſilentia juſſere. *Perſius* Sat. IV.

Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Majeſtate manus.

Hinc Principum ſtatuæ equeſtres pedeſtresq; in cimeliis antiqui ævi ſolent *dextra* porrecta conſpici. Quo etiam referri debet manus extenſa in nummo P. Septimii Getæ Cæſaris, cujus averſam partem ex *Begeri* Theſauro Palatino p. 319. hic num. 8. damus. Cui ſimilis eſt apud *Triſtanum* Com. Hiſt. T. III. alius nummus Conſtantii. Nec minus huc facit alter nummus apud *Triſtanum* Comm. Hiſt. T. I. p. 378. expreſſus, ubi in ſignum adoptionis in Regni ſocietatem Nerva Trajano dextram porrigit, quem appingo Num. 9. Qui vero ſequitur ex ejusdem *Triſtani* Tom. III. p. 320. petitus per dationem *dextræ* traditam Numeriano Imperii majeſtatem exprimit. In ſacris *dextram* ut honoratiorem conſiderari patet ex Gen. XLVIII. 13, 14. 1. Reg. II. 19. Pſ. CX. 1. &c. Stat ergo Eccleſia hoc quoque nomine ad *dextram* Meſſiæ, quia honore ſummo eam dignatur, & in ſocietatem gloriæ adſciſcit, quo ſpectat *Reginæ* titulus modo explicatus, & figura *mulieris Sole amictæ* Apoc. XII. 1. id eſt *Sole juſtitiæ*, cujus Eccleſia eſt ἀπαύγασμα 2. Cor. III. 18. ſicut ille Patris.

7) De-

7) Denique *dextra* extensa datave munificentiam & liberalitatem singularem exprimit. Inde *Jamblichus* Orat. de amplect. Philos. cap. 21. Symbol. Pythag. 20: Οἱ τὴν δεξιὰν τῶν χειρῶν ἐντιμοτέραν ἐνόμασαν. Οὐ μόνον ἀπὸ τῦ δέχεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῦ δεξίαν ὑπάρχειν ἐν τῷ μεταδιδόναι i. *Dextram manuum honoratiorem appellarunt, non tantum ab accipiendo, sed etiam quia illa acceptabilis redditur in tradendo.* Hinc fors ansa subnata Hæreticis Sabatianis abominandi manum sinistram, de quibus *Constantinus Harmenopolus* Hær. XV. Οἱ αὐτοὶ καὶ ἀριστέροι καλῦνται, ὅτι τὴν ἀριστερὰν εἰσὶ βδελυσσόμενοι χεῖρα, διὰ αὐτῆς προσιέσθαι τὸ οἰνῦν μὴ τολμῶντες i. *Vocabantur & Sinistri, quod manum sinistram abominentur, nec ea sumere quicquam audeant.* Hoc emblema confirmari potest appicto Nummo XI. exscripto ex *Tristani* Comment. Hist. T. II. p. 566. ubi Philipporum liberalitas extensis eorum dextris figuratur. Quin & cælestis felicitatis donationem *dextra* cælitus protensa in Numm. XII. qui est Constantii apud eundem T. III. p. 418. indigitat, & egregie illustrari potest *Eumenii* verbis Panegyr. Constantii: *Vere enim profecto ille Superum Templa petiit, receptusque est consessu cæli, Jove ipso dextram porrigente.* Hoc quoque nomine Ecclesia Messiæ ad *dextram* est, quia plena manu eam donis spiritualibus & cælestibus ditat. Hinc Ps. CXLV. 16. *laudatur ut aperiens manus suas & satians omne vivens benevolentia.* Et quando cælestis gloria fidelibus, qui Ecclesiam constituunt, communicanda describitur, pinguntur ut *ad dextram* Messiæ *collocati* Matth. XXV. 32. Ubi verosimile est alludi ad ritum Judæorum in Synedrio observatum. Cum enim consessui huic duo adessent Scribæ, alter qui ad *dextram* sedebat, suffragia accusatum absolventia notabat, qui ad sinistram, condemnantia. Vide *Drusium* Præterit. lib. I. *Saubertum* in Palæstra Theol. Phil. p. 289. Simile quid obtinuit apud ethnicos campos Elysios ad *dextram* collocantes. *Virgilius* Æn. VI. v. 541. sq.

7) *Munificentiam summam beatitudinem largientem.*

Matth. XXV. 32. *illustratur.*

Landesbibliothek Oldenburg

Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia ducit:
Hæc iter Elysium nobis: at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Eodem modo symbolum *dextræ* Dei explicat *Augustinus* in Psalm. 137: *Salus temporalis & carnalis in sinistra est, salus æterna cum Angelis in dextra est. Ideo jam in ipsa immortalitate Christus dicitur sedere ad dextram Dei. Non enim Deus habet in se ipso dextram aut sinistram; sed dextra Dei dicitur felicitas illa, quæ quoniam ostendi non potest, tale nomen accepit.* Alia huc facientia ex eodem citat *Fl. Illyricus* in Clavi. Hæc omnia sub dulcissimo emblemate comprehendi possunt.

Emblema est reciprocum; dum enim Uxor Mariti dextram tenet, suam quoque porrigit.

Istud adhuc addendum, quod vim habeat reciprocam. Dum enim Ecclesia stans *dextram* Messiæ tenet, & ea suffulcitur, ipsa quoque suam Conjugi cælesti dextram porrexit. Id autem ratione Ecclesiæ designat, quod ipsa quoque amore ardenti & casto erga Messiam flagret: quod suam fidelitatem usque ad mortem Marito suo intaminatam servare promta sit: quod in tanti Herois potenti protectione & auxilio secura recumbat: quod viva fide & spe honores & divitias omnes sibi a Christo promissas apprehendat, inque primitiis æternæ beatitudinis, tanquam in pignore, quod fallere nequit, delicietur.

כתם *auri nobilius genus exprimit.*

XVI. Splendorem & felicitatem Reginæ porro vestitus ejus exprimit, qui est: כתם אופיר i. AURUM PRETIOSUM OPHIR. Per כתם speciem *auri* præstantissimam, quæ splendore, puritate, pondere, pretio alias antecellit, intelligi, abunde interpretes docent ad loca, in quibus hæc vox occurrit. Et addi potest *VVaserus* de Antiq. Numm. Hebræor. cap. VIII. Præcipue tale *auri* genus existimatur innui, quod arte singulari elaboratum est. Ita *Mercerus* ad Cant. 5. *Pineda* de Reb. Salom. lib. VI. c. 18. §. 9. Heic præstantia exaggeratur, quia additur *Ophiriticum*, quod etiam fit Job. XXVIII. 16. & Jes. XIII. 12. Quanta fuerint sententiarum de *Ophira aurifera* divortia, apud *Li-*

De Ophira multa sententiarum sunt divortia.

peni-

penium Navigat. Ophirit. c. 6. *Varrerium* tractat. de Ophir. *Noldium* ad Concordant. p. 794, 795. *Pinedam* de reb. Salom. lib. V. c. 16. abunde videri potest. Plurima pars recentiorum Celeb. *Bochartum* secuti sunt, qui Phaleg. lib. II. c. 27. & Canaan lib. I. c. 46. existimat duplicem fuisse Ophiram, alteram in Arabia Felice prope Sabæos, quæ innuatur Job. XXII. 24. XXVIII. 16. 1. Chron. XXIX. 4: alteram vero Indicam in insula Taprobane, quo classes Salomonis & Hirami navigaverint, quoque hoc loco respiciatur. Abiit ab hac sententia post *Lucam Holstenium* Cl. *Relandus* dissert. Miscell. IV. in tantum, ut in India quidem, sed in continente, non in insula, & quidem circa urbem *Ouparam* in Chersoneso aurea quærendam judicet: quod tamen nondum probatum putat eruditissimus *Joh. Christ. VVichmanshausen* in dissertatione de navigatione Ophiritica ante quadriennium vulgata. Ipse cum *Friderico Spanhemio* & aliis mavult classem Salomonis ad varios Africæ, Arabiæ Felicis, Indiæque portus appulisse. Nec contemnendam putat *Bocharti* conjecturam, quod forte primum omnium regionem Arabicam *Ophir* naves petierint. Ego tamen censeo, opinionem de *duplici Ophira* nec ipsam in aprico positam esse. Saltem nondum mihi evictum, Arabiae aliquam regionem eo nomine compellatam esse. Nam quamvis concesserim, Jectanis filios cæteros in Arabia consedisse, nil tamen impedit, quo minus unus ex illis *Ophir* cum liberis suis ulteriores trans sinum Persicum & Gangen oras insederit: quæ auri copia jam Jobi temporibus notæ esse potuere, ita ut eo alludendi ansam habuerit. Quod vero David 1. Chron. XXIX. 4. mille *auri Ophiritici* talenta obtulerit, ante institutam navigationem Salomonis, nec id me moratur. Quid enim, si jam tum terrestri itinere ex *Ophira Indica* in Palæstinam aurum advectum esset? Nonne putamus hanc commodissimam ansam fuisse, quæ Salomonem & Hiramum allexerit, ut faciliori via *Ophiræ* opibus potiri quæsiverint? Ita meditatus eram, cum Celeb. *Vitringam* itidem hypothesin *Bocharti* de duplici Ophira

Dubitatur an duplex Ophira apud veteres nota fuerit.

rejicere deprehendi Comment. in Jeſ. p. 407. de cujus tanti Viri ſuffragio impenſe mihi gratulor. Quicquid ſit, ſufficit, id ſaltem inter Viros doctos unanimi ferme conſenſu receptum eſſe, *Ophiram* Salomonis in India fuiſſe. Et quamvis hactenus ipſa regio præciſe determinari non poſſit, conjicio tamen, veroſimilius in continenti, quam in inſula quadam Oceani a littore remotiori quæri debere, quia in defectu pyxidis nauticæ tum temporis plerumque littora tantum legebantur, nec tuta ſatis erat per apertum Oceanum via.

Eos ſequimur, qui Ophiram in India & quidem in continente ſtatuunt.

XVII. Quando autem Sponſa noſtra *auro Ophiritico veſtita* introducitur, id dupliciter intelligi poteſt, vel quod corona, monilibus, armillis, fibulis, alioque mundo muliebri ex ſolido *auro* conſtante ornata fuerit, vel quod veſtes habuerit ex *filamentis aureis* contextas, quarum antiquiſſimus uſus fuit, uti docuere *Octav. Ferrarius* de re veſt. Parte I. lib. III. c. 20, 21. *Salmaſius* ad Lamprid. p. m. 224. *Braunius* de veſtit. Sacerd. Hebr. lib. I. c. 10. Iſtud tantum hic notari debet ad illuſtrationem Pſalmi noſtri, veſtes tales *auratas* & Reginarum & ſponſarum ornatum antiquitus auxiſſe. Reginarum. *Virgilius* Æn. I. 651.

Veſtes aureæ & auratæ ad pompam tum Reginarum, tum Sponſarum pertinent.

> *Munera præterea Iliacis erepta ruinis*
> *Ferre jubet: pallam ſignis auroque rigentem,*
> *Et circumtextum croceo velamen acantho,*
> *Ornatus Argivæ Helenæ, quos illa Mycenis,*
> *Pergama cum peteret, inconceſſosque Hymenæos,*
> *Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.*

Seneca Hippoliti Act. II. ubi Phædra Theſei uxor loquitur:

> *Removete, famulæ, purpura atque auro illitas*
> *Veſtes, procul ſit muricis Tyrii rubor.*

Ovidius de Laodamia Proteſilai uxore Heroid. XIII.

Nec

Nec mihi pectendos cura est præbere capillos,
Nec libet aurata corpora veste tegi.

Euripides Electræ Act. I. ubi Chorus ad Electram:

– – Ἴθι καὶ παρ' ἐμοῦ
χρῆσαι πολύπτηνα φάρεα δίῳαι
χρύσεά τε χάρισαι, προσθήματ' ἀγλαΐας.

i. *Eas & a me pretiosas vestes utendas accipe, aureasque gratis accipe, additamenta venustatis.* Hinc Alexander Severus, referente *Lampridio*, voluit: *Regias matronas contentas esse uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona, cum qua sacrificium facerent, & unico pallio auro sparso, & cyclade, quæ sex unciis auri plus non haberet.* Sponsarum similiter. *Apollonius Rhodius* Argonaut. IV. v. 188:

Αἱ δὲ πολυκμήτους ἐανοὺς φέρον ὅια γυναῖκες,
Μείλιά τε χρυσοῖο, καὶ ἀλλοίην ἐπὶ τοῖσιν
Ἀγλαΐην, ὅσσητε νεόζυγες εὐνάονται.

i. *Rursum illæ tanquam mulieres laboratos arte peplos portarunt & lautia ex auro, cæterumque præterea mundum domesticum, quo novæ nuptæ solent instrui.* Præsertim sponsarum Regiarum. *Nicephorus* de nuptiis Mauritii Imperatoris & Constantinæ Hist. Eccl. XVIII. 8. *Apparatui nuptiarum affuerunt vera in Deum Pietas & Imperatoria Majestas satellitio Mauritium ejusque conjugiam decentissime stipantes: illa namque canitie veneranda decentibusque rugis patris & matris nuptias sanctificantium fratrumque venustorum conjugalem apparatum exornantium vicem præstitit. Hæc ex auro contextam vestem purpura & Indicis margaritis distinctam, nec non coronas auro multo & lapillis pellucidis resplendentes præbuit.* Et aperte eo alluditur Ezech. XVI. 10-13.

XVIII. Sed nunc de re significata dispiciendum. Quid per *vestimenta Christi* intelligat Scriptura, latius Exerc. VII. *Vestimenta Ecclesiæ mystica desi-*
§. 3.

gnant tum justitiam Christi, tum dona Spiritus sanctificantis:

§. 3. sqq. exsecuti sumus. Nunc addendum, quid *vestimenta Ecclesiæ* designent. *Poeta vetus* ait:

Γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος, κ' οὐ χρυσία

i. *mores sunt ornatus mulieris, non aurum.* Hoc magis verat in Ecclesia. Probatum est adducto loco, in genere *vestes* pro certis quibusdam qualitatibus & perfectionibus sumi. Hoc heic supponimus, & ut eo curatius symbolum *vestium* Sponsæ figamus, iterum monemus, eas distinguendas esse ab ornatu, in quo Filiæ Regum productæ sunt. Cum ergo §. 7. ostenderimus, aptissime prærogativas illas ibi depingi, quæ extrinsecus Ecclesia possidet, heic *aureæ vestes* ipsius Sponsæ splendide depingunt eas perfectiones, quæ intrinsecus eam gloriosam faciunt, quæ potissimum binæ sunt, justitia Christi Ecclesiæ imputata & dona Spiritus sancti, quæ ad sanctificationem pertinent. Utraque heic commodissime junguntur, quia per *aurum*, cujus textus meminit, tum vestes *auro textas*, tum *aurea clinodia* intelleximus: quæ utraque in ornatu Sponsæ Regiæ juncta sunt, & quorum prius magis justitiam Christi, posterius sanctificantia Spiritus charismata exprimit. Et certe elegantissima est harum perfectionum 1) cum *vestibus* 2) cum *aureis* vestibus 3) cum auro *præstantissimo* 4) cum auro *Ophiritico* convenientia.

quod prius ex Scriptura probatur

XIX. Spirituales *vestes* Ecclesiæ hoc respectu sæpe memorat Scriptura, quo facientia multa collegit *Braunius* de Vest. Hebr. lib. 2. c. 27. §. 750. seq. quem omnino consuli velim. Speciatim justitia Christi, ut *vestis* Ecclesiæ exserte laudatur Psalm. CXXXII. 16. Jes. LXI. 10. Zach. III. 4, 5. Apoc. XIX. 8. Eo respectu dicimur *Christum induisse* Gal. III. 27. De qua phrasi merentur conferri, quæ habent *Gatakerus* Cinni lib. I. c. 9. *Suicerus* Thes. Eccles. in voce ἐνδύομαι & ἱμάτιον *Steph. le Moyne* Var. Sacr. T. II. 390. sq. dissert. ad Jerem. 23: 6. cap. IV. p. 217. sq. *Ursinus* Anal. Sacr. lib. I. p. m. 40. Ingeniose origo ejus derivatur a sacris Gentium, in quibus Deorum vesti-

veſtibus aliquando induendus: ſed fors magis ſolide a ſacris Judæorum, in quibus pellis offerenti ſeu Sacerdoti in veſtem cedebatur. Nec minus fides & ſanctitatis ſtudium ſub *veſtium* emblemate obveniunt Rom. XIII. 14. Hinc *odor veſtium Sponſæ* laudatur Cant. IV. 11. Et fideles *induere* dicuntur *novum hominem* Eph. IV. 24. Col. III. 10. & *armaturam Dei*, Eph. VI. 11. & *arma lucis* Rom. XIII. 12. Et utrumque per *veſtem nuptialem* Matth. XXII. 11. 12. innuitur. Inter Patres quidam per eam intellexerunt fidem in Chriſtum, ut *Baſilius* in cap. IX. Jeſ. *Ambroſius* lib. IV. de fide. *Auguſtinus* lib. 2. quæſt. Evang. quidam vero charitatem & ſtudium bonorum operum, ut *Irenæus* lib. 4. adv. hæres c. 70. *Tertullianus* de reſurrect. Carn. c. 27. p. 377. *Origenes* tr. 20. in Matth. p. 105. *Hieronymus* in cap. 27. Matth. *Auguſtinus* lib. 27. contr. Fauſt. c. 19. Sed rectiſſime ſe habet ἐπίκρισις Cl. *Gerhardi* Harmon. Evang. contin. c. 153. quando diſſentientia quædam Patrum loca adduxerat: „Ex „allata diſtinctione manifeſtum eſt, haſce expoſitiones nequa„quam ſibi invicem adverſari. *Veſtis nuptialis Chriſtus eſt*, qui „eſt Sponſus & cibus etiam eſt in his nuptiis: *Chriſtum autem in„duimus*, *cùm fide* ejus meritum apprehendendo, ut nuditas „noſtra coram Dei judicio, ipſius juſtitia tanquam pretioſa „veſte tegatur; *tùm ſancta vitæ converſatione*, qua ipſius ve„ſtigiis inſiſtimus, cum Chriſtus non ſolum nobis datus ſit in „donum, ſed etiam propoſitus in exemplum. Hæc ille. Quin ſpectat etiam hæc obſervatio ad omnia fere reliqua loca allegata, in quibus duplex hæc Eccleſiæ *veſtis* fere ſemper ſimul comprehenditur. Et merito, cum inter hæc duo beneficia arctiſſimum vinculum ſit: & nemo veſte juſtitiæ induatur, qui non ſimul ſanctitatis initiis ornatur. Utroque modo Chriſtum induimus. Chriſti meritum eſt, quo tegimur: Chriſti imago eſt, qua ſola decenter anima noſtra ornari poteſt. En ſuaviſſimam reciprocationem! Sicut Chriſti *veſtis* Eccleſia eſt ita Eccleſiæ *veſtis* eſt ipſe Chriſtus, & quanta illa veſtis! *Oecumenius* ad cap. 4. Rom: ὁ ἀνὴρ ἐνδεδυμένος ἔχει καθόλου τὴν ἀρετήν.

Veſtis nuptialis Mat. XXII. 11.

Chriſtus ipſe veſtis.

Πῶς ἢ αὐτὸν ἐνδυτέον; Ει πάντα ἡμῖν αὐτὸς εἴη ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν ἐν ἡμῖν φαινόμενος. i. *Eum indutus, omnem habet virtutem. Quomodo vero induendus? Si omnia nobis fuerit, interius exteriusque in nobis apparens.* Judæi non male Adamum veſtitum ab initio gloria Jehovæ teſtantur. R. *Elieſer* in Pircke c.14.fol.9. *Qualis erat veſtis Adami hominis primi? Erat pellis onychina,* וענן כבוד מכוסה עליו i. *quam nubes gloriæ circumdabat.* Veriſſime, ſi per gloriam illam imaginem Dei intelligamus. Hanc veſtem amiſſam per lapſum recuperat peccator, quando imagine Chriſti, qui eſt gloria Dei per nubem adumbrata, veſtitur. Analogia autem facile obſervatur. 1) *Veſtes* ſunt acceſſio, qua homo natura caret, qui nudus in mundum venit. Job. I. 21. Natura etiam electi coram Deo *nudi* ſunt Apoc. III. 17. juſtitia originali & imagine Dei deſtituti. *Chryſoſtomus* Hom. 106. Tom. V. de Chriſto: Εἶδε τὴν οἰκουμένην γυμνὴν, καὶ τῷ σώματι γυμνὴν, ἀλλ' ἀρετῆς γεγυμνωμένην. εἶδε τὸ πλάσμα, ὃ ἔπλασε, καὶ ἠλέησεν, ὃ ἐποίησε, καὶ δίδωσιν ἔνδυμα τοῖς γυμνοῖς αὐτὸς ἑαυτόν. i. *Vidit totum terrarum orbem nudum, non corpore nudum, ſed virtute denudatum: vidit figmentum, quod finxerat, & miſertus eſt ejus, quod fecerat: & dat indumentum nudis ipſe ſe ipſum.* 2) Qui *veſtes* adaptare vult *novas*, quales ſunt nuptiales, ille veteres *lacinias* deponere debet Zach. III, 4. Matth. IX, 16. *Veſtes* exuendae ratione juſtitiae Chriſti ſunt *telæ aranearum*, Jes. LIX, 6. & *panniculus abjectus*, Jeſ. LXIV, 6. falſae juſtitiae ſymbola: ratione ſanctitatis *vetus homo* Eph. IV, 23. Col. III, 11. & *opera tenebrarum* Rom. XIII, 12. Sic Jacobi familia in purificatione ſui ab idolis *exuere veſtes* debebat Geneſ. XXXV, 2. Et mulier captiva Iſraelitae nuptura juſſa fuit *veſtes deponere* Deut. XXI, 13. Ipſi gentiles vitiorum depoſitionem *exutioni veſtium* comparabant. Diogenes apud *Lucianum* Vit. Auct. p. m. 375. Πρῶτον μὲν ἁπαλαβών σε, καὶ ἀποδύσας τὴν τρυφὴν, καὶ ἀπορίᾳ συγκατακλείσας, τριβώνιον περιβαλῶ i. *Primum ubi te accepero, & deliciis exuero, inque egeſtatem concluſero, te palliolo amiciam.* Idem Hermotimo p. 509. de eo, qui virtutis faſtigium attigit: πλεῖας ἢ, καὶ δόξαν, καὶ ἡδονὰς, καὶ ὅσα δ' σώματος, πάντα

Analogia cum veſtibus per partes monſtratur:

1) quia ſunt acceſſio, qua natura caret:

2) quia veteres veſtes exui debent;

Exuere veſtes phraſis in gentilium Theologia non ignota.

πάντα ταῦτα καλῶ ἀφῆκε: καὶ ἀποδυσάμενος, ἀνέρχεται, ὥσπερ φασὶ τὸν Ηρακλέα ἐν τῇ Οἰλῃ κατακαυθέντα, θεὸν γενέσθαι. i. *Divitias vero, gloriam & voluptates & quæcunque sunt corporis bona, infra reliquit: & exutus adscendit, ut combustum in Oeta monte Herculem Deum factum ferunt.* Et videtur apud eos phrasis nata ex more, quo mysteriis initiati *vestes permutare* debebant. Epictetus huc collimat apud *Arrianum* lib. III. c. 21. Οὐκ ἐσθῆτα ἔχεις, ἣν δεῖ τὸν ἱεροφάντην, ἀ κόμην, ἀ στρόφιον, οἷον δεῖ. i. *Non ea tibi vestis est, quæ hierophantem decet, non coma, non strophium, quale requiritur.* 3) *Vestes* nullum usum habent, nisi indutae & applicatae corpori. Applicatio *vestium* spiritualium fit per fidem, qua Christo unimur & ad ferendos fructus Spiritus apti reddimur. 4) *Vestes* sibi invicem cohærent, ita ut undique corpus cingant. Pari modo justitia Christi perfecta est & perfectum reddit: & in sanctificatione perpetua virtutum catena est, quibus ubique & semper studendum. 2. Petr. I. 5. 6. 7. *Chrysostomus* in ad Rom. orat. 24. Οταν εἴπη, ἐνδύσασθε, πάντοθεν ἡμᾶς αὐτὸν περιβαλέσθαι κελεύει· ὥσπερ ἀλλαχοῦ φησιν, εἰ ὁ Χριστὸς ἐν ἡμῖν· καὶ πάλιν, εἰς τὸν ἔσω ἡμῶν ἄνθρωπον κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν· καὶ γὰρ οἰκίαν αὐτῷ βάλλεται εἶναι τὴν ψυχὴν τὴν ἡμετέραν, καὶ ὡς ἱμάτιον ἡμῖν αὐτὸν περικεῖσθαι, ἵνα πάντα αὐτὸς ἡμῖν ᾖ ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν i. *Cum ait, induite, undique nobis circumjicere jubet, quemadmodum alibi dicit: si autem Christus in nobis. Et rursus: ut in homine interiore vestro habitet Christus. Etenim animam nostram vult esse Christi domicilium, eundemque nos ut vestem induere: ut omnia ipse nobis & interius & exterius existat.* 5) Primus *vestium* usus est, ut *nuditatem* tegant Deut. XXII, 12, Ezech. XVIII, 7. Jes. LVIII, 7. Per justitiam Christi teguntur peccata coram Deo Ps. XXXII, 1. Apoc. III, 18. & per studium sanctitatis coram Deo & hominibus Ezech. XXXIII, 16. 6) Secundus *vestium* usus est, ut corpus ab æstu & frigore, aliisque aeris injuriis *defendant.* Job. XXIV, 7. Prov. XXV, 20. Per justitiam Christi æstus iræ divinæ avertitur & per studium sanctitatis tranquillitas conscientiæ promovetur. Hinc hieroglyphice de muliere, quæ est

3) *quia vestes novæ sunt induendæ.*

4) *quia undique corpus cingunt.*

5) *quia nuditatem tegunt:*

6) *quia ab aeris injuriis defendunt.*

Eccleſia Prov. XXXI, 21 *Non metuit domui ſuæ a nive, quod tota domus ejus veſtita duplicibus.* 7) Tertius *veſtium* uſus eſt, ut *calefaciant* corpus 1. Reg. I, 1. Job. XXXI, 20. Jac. II, 16. Sic ubi juſtitia Chriſti applicatur, animæ reciproco amore erga eum, qui tanta bona tanto pretio iis comparavit, calefiunt: Rom. V, 5. 6. 2. Corinth. V, 14. Sanctimonia vero vitæ ſacrum ignem in pectore accenſum fovet, conſervat, & flammis cœleſtibus alimenta miniſtrat 1. Joh. II, 5. 8) Quarto *veſtes* etiam *ornatui* ſunt 1. Tim. II, 9. Summus ornatus Eccleſiæ eſt juſtitia Chriſti. Apud *Ælianum* Var. Hiſt. XII, 1. p. m. 668. Aſpaſia Cyro munera remittit, addens: ἐμοὶ σὺ ἀρκεῖς φιλούμενος, καὶ κόσμος μοι εἶναι. i. *mihi tu ſufficis, ſi te amari a me patiaris & mihi ornamento ſis.* *Stobæus* Serm. 72. Η φίλωνος γυνὴ ἐρωτηθεῖσα διὰ τί μόνη τῶν ἄλλων ἐν συνόδῳ οὐ φορεῖ χρυσοῦν κόσμον, ἔφη ὅτι αὐτάρκης κόσμος μοὶ ἐστὶν ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀρετή i. *Philonis uxor interrogata, cur ſola ex aliis in conventu non geſtaret ornatum aureum, dixit: quoniam pro ornamento mariti virtus mihi ſufficit.* Sed longe potiori jure Eccleſia in Sponſo cœleſti gloriatur, quando eo tanquam ſole amicta eſt Apoc. XII, 1. Et primo quidem, quatenus obedientia tota Sponſi ei imputatur. Accedunt tamen *decora ſanctitatis* Pſal. CX, 3. quæ ſplendorem duplicant. 9) *Veſtes* denique ſunt ſignum *honoris* & muneris, quod quis gerit. Jes. XXII, 20. In Oriente & præcipue apud Perſas id moris fuiſſe docet *Caſaubonus* in Athenæi lib. I. c. 23. Hinc Chriſtus Col. II, 15. dicitur *exuiſſe veſtibus ſuis poteſtates.* Per ornatum juſtitiæ & ſanctitatis regale ſacerdotium fidelium monſtratur.

7) *quia corpus calefaciunt:*

8) *quia ornatui ſunt.*

9) *quia ſignum ſunt honoris.*

Aurum ejusdem juſtitiæ & ſanctitatis præſtantiam adumbrare poteſt.

XX. Ut vero præſtantia harum Eccleſiæ prærogativarum amplius pateſcat, veſtes ex *auro* conſtant. Frequens eſt *auri* in ſacris ſymbolum ad præſtantiſſimas Eccleſiæ dotes exprimendas. Huc collimavit *aurum* Paradiſi, vaſorum tabernaculi & templi. Quin nova Hieroſolyma *tota aurea* eſt Apoc. XXI, 18. Præcipue meritum Chriſti *auro* & *argento* opponitur 1. Petr. I, 18. & *interior homo cordis* ſanctitati ſtudens ornatui aureo 1. Petr. III, 3. Profani quoque ſcriptores viros pios nomi-

nominabant λείψανα ἐξ χρυσῆ γένες i. *aureæ propaginis reliquias*, uti est apud *Diogenem Laertium* lib. IV. c. 22. Ubi plura exempla *Casaubonus* & *Menagius* suppeditant. Hinc animæ beatorum, tanquam quæ fœcibus vitiorum purgatæ sunt, *aurea progenies* apud *Claudianum*. Et tempora sanctiora dicebantur *aurea secula*, quam phrasin docte illustrat *Tristanus* Comm. Histor. T. I. p. 475. 476. Analogia est multiplex. 1) *Aurum* metallorum omnium præstantissimum. Hinc veteres quicquid præstantia eminebat, *aureum* appellabant. Consule sis *Barthium* Advers. XLIX, 8. *Tanaq. Fabrum* in Lucian. de morte peregr. p. 582. *Majum* filium Obs. Sacr. II. pag. 109. Meritum vero Christi & dona Spiritus sortem Ecclesiæ super omnes res mundanas longe evehunt. 2) *Aurum* multo labore effoditur; & bona hæc Ecclesiæ summis laboribus doloribusque Salvatoris nostri debentur. 3) *Aurum* inter metalla est pretiosissimum. Sed *aurum* infinitis parasangis sanguis & Spiritus Christi superant, unde abnegatione sui ipsius totiusque mundi quasi *emenda* Apoc. III, 18. 4) *Auri* possessio possessorem reddit divitem. Qui vero justificati & sanctificati sunt per sanguinem & Spiritum Christi, illi opes summas possident, quæ animam divitem reddere possunt, quæ cum Deo ut summo bono communionem habet. 5) *Aurum* natura sua est purissimum. Partes heterogeneas non facile admittit. Diu licet pertractatum manus tamen tangentis non inficit. Rubiginem nullam contrahit. Justitia Christi nullam labem habet: & qui ea vestiti sunt, perfectissimæ sanctitatis exemplar sibi proponunt, eamque anhelant. *Hierocles* in Carm. Pythag. p. 6.

1) *quia inter metalla est optimum:*

2) *quia multo labore comparatur:*

3) *quia est pretiosissimum:*

4) *quia divitem reddit:*

5) *quia est purissimum:*

Ἐστι δ' καὶ ὁ χρυσὸς ἀκίβδηλόν τι, καὶ γῆς οὐκ ἀναπεπλησμένον, ὥσπερ τὰ συγγενῆ, καὶ ἐφεξῆς ὄντα τούτῳ· οἷον ἄργυρος, καὶ χαλκὸς καὶ σίδηρος, σὺς δὲ καὶ τὸ ὑπερέχον φύσει κέκτηται ὁ χρυσὸς μόνος τῶν ἄλλων ἰὸν ἢ πιῶν, ἐκείνων ἑκάστε, καθ' ὅσον γῆς μετέχει, κ) ποσῶτον καὶ εἰς ἰὸν μεταβάλλοντος. ἐξ ὧν γεώδης ἰῶ κ) τὴν ἕνυλον κακίαν λαμβανομένε, τὸ ἄγιον καὶ καθαρὸν γένος, καὶ τὸ πάντη καθαρεῦον πενηείας ἦθος, εἰκότως χρυσῶν ἐλέχθη i. *Est vero & aurum ipsum purum quid, nec terræ quicquam habens admixtum: ut quæ ipsi cognata, adeoque etiam inferiora, argentum,*

æs, ferrum; inter quæ & aurum ipſum ideo natura principatum obtinet, quod nunquam, ut cætera, rubiginem contrahat; cum eorum ſingula eam ita patiantur, ut terram participant. Rubigine ergo, quæ terrena eſt, cum vitiorum fœce comparata, quod ſanctum purumque ſeculum exiſtit, ipſique adeo mores malitiæ penitus expertes, aurea jure nuncupata ſunt. 6) Inſignis eſt ſplendor *auri*, quo ſolem imitatur, unde ab אור lucere derivatur: & gloria Domini in juſtificatis ac ſanctificatis reſplendeſcit Jes. LX,1. 7) *Aurum* anxie appetunt mortales, ſed hæc dona multo magis deſiderabilia ſunt animis ſalutem veram appetentibus. 8) *Aurum* ad miraculum usque eſt durabile: omnia ignis & aquarum fortium examina ſuſtinet. Adeo nulla eſt in ipſum ignis omnia conſumentis potentia, ut etiamſi per multa ſecula fornace exagitatum ſit, nullam tamen ſenſibilem jacturam patiatur. *Plinius* ait Hiſt. Nat. XXXIII, 3. *uni auro nihil igne deperire, tota etiam in incendiis rogisque durante materia.* Per aquam quidem Regiam, ut docent phyſicorum filii, poteſt diſſolvi. Sed per hanc ſolutionem neque corrumpitur, neque eſſentialiter immutatur: & in priſtinum ſtatum reſtitui poteſt. Quam efficaciter hæc adumbrant conſtantiam inconcuſſam operis gratiæ, quod per juſtificationem & ſanctificationem cœptum eſt? 9) *Aurum* omnium graviſſimorum corporum ponderoſiſſimum eſt. Secundum libras Pariſinas unicus pes ejus pendet libras 1368. Cum plumbo comparatum eſt ut 100. ad $60\frac{1}{2}$, cum argento ut 100 ad $54\frac{1}{2}$, & ſic deinceps. Gratia Chriſti & Spiritus ejus ſingulare pondus gloriæ animæ addit, quod lance ſanctuarii penſum caduca & temporalia omnia vincit. 10) *Auri* in medicina ingens uſus eſt: facultates naturales ſingulari modo firmat, & in expugnandis ſæviſſimis morbis mirificam ſæpe vim exſerit. Quid vero eſt, quod animam a morbo & morte peccati liberat, viresque vitales ei infundit, niſi eadem juſtitia Chriſti vivide applicata, idemque Spiritus vitam ſpiritualem excitans, promovens, conſummans? 11) *Aurum*

6) quia ſplendidum:

7) quia deſiderabile:

8) quia durabile:

9) quia eſt ponderoſiſſimum:

10) quia in medicina multum uſum habet:

rum adeo ductile est, ut una ejus uncia aliquot terræ jugera possit tegere. Quid si hoc ut symbolum latissime patentis & super omnes electos se extendentis fructus justitiæ Christi notemus? 12) Sed magis tamen illud ad rhombum, quod *aurum* sit potissimum objectum curæ humanæ, quod custoditur, pro quo bellatur, quod locis absconditis asservatur. Gratiæ enim justificantis & sanctificantis initia illa κειμήλια sunt, quæ fideles scrinio pectoris inclusa asservant, quibus invigilant, pro quibus contra omnem inferni vim in armis stant. 13) Auri pretium augetur per ejus raritatem. Dona justitiæ & sanctitatis itidem sunt rara κειμήλια. Pauci sunt electi, qui in iis gloriandi jus habent. 14) Aurum igne purgatur, & quo sæpius per id ducitur, eo magis splendescit. Tum quoque vis justitiæ Christi & sincerus sanctitatis amor quam maxime rutilescit, quando Deus suos per ignem probationis ducit. 15) Porro *aurum* lapide Lydio probatur. Talis probationis lapis Scriptura est, quæ justitiam Christi perfectissime revelat, & secundum cujus amussim veræ sanctitatis officia sunt examinanda. 16) Denique *aurum* præcipue Regiarum vestium cum ornatus fuerit, simul indigitatur communio Regiæ dignitatis, quam Ecclesia cum Christo habet.

11) *quia est ductile:*

12) *quia magna cura custoditur:*

13) *quia rarum:*

14) *quia igne purgatur:*

15) *quia lapide lydio probatur:*

16) *quia ornatus est Regius.*

XXI. Hæc in genere observasse sufficeret, si Spiritus Sanctus simpliciter *auri* mentionem injecisset. Nunc ulterius ut pergamus meditando, urgemur, quia de כתם ut excellentissimo quodam *auri* genere, agitur, quod non tantum super alias res pretiosas, sed & super cæteras *auri* species æstimari debet. Triplex hic institui posse comparatio videtur, quæ ornatum Sponsæ Christi splendidiorem reddit. 1) in relatione ad dona gratiæ V. T. quæ ipsa quoque sub *auri* symbolo exprimuntur Ezech. XVI, 15. Hos. II, 8. 2) in relatione ad pretiositates supra descriptas, quæ externum Ecclesiæ statum attinent. 3) in relatione ad talia ipsius Ecclesiæ N. T. tempora, quæ magis serena fuere. Sicut enim, quo magis *per ignem aurum* excoquitur, eo purius prodit, ita in afflictionum igne vis justitiæ Christi & splen-

Aurum mysticum Ecclesiæ excellentioris generis est in diversa χάρεσι.

ſplendor ſanctitatis potiſſimum eluceſcit. Quod egregie illuſtratur per illa loca, in quibus Eccleſiæ dona auro per ignem probato comparantur. Pſ. LXVIII, 14 Zach. XIII, 9. 1. Pet. I, 7. Apoc. III, 18. Si vero vox כתם de *auro* opera artificis *elaborato* accipiatur, iſtud ipſum non ſine myſterio eſt. Ornatus enim animæ opus eſt Spiritus Sancti, qui ſapientiæ & omniſufficientiæ ſuæ theſauros ornando animarum templo impendit.

Ophir quoque certas qualitates ejusdem ornatus ſpiritualis adumbrat.

XXII. Ne vero aliquid intactum maneat, auri quoque *Ophiritici* non fruſtra mentio fit. 1) Etymon nominis hic memorabile eſt. *Ophir* enim a radice אפר deſignat copiam, vel abundantiam, de quo conſuli poteſt doctiſſimus *Hillerus* Onomaſt. p. 113. Meminerimus ergo bona Eccleſiæ ex ſuperabundantibus theſauris omniſufficientiæ divinæ unice derivanda eſſe. Eph. I, 3. II, 4. Phil. IV, 19. Jac. I. 17. 2) *Ophir* fuit regio longe diſſita, unde aurum navigiis petendum: ſed qui ſpiritualium donorum compotes fieri geſtiunt, iis remigio precum transfretanda mundana omnia, ipſumque cœlum petendum & pulſandum eſt. 3) Denique ſicut *aurum Ophiriticum* tempore Salomonis potiſſimum inclaruit, ita theſauri hi gratiæ ſub regno cœleſtis Salomonis, poſtquam ille in throno Patris conſedit, aperti ſunt.

Novum & ultimum argumentum præſtantiæ Meſſiæ ex hac pericopa deducitur.

XXIII. Atque his ita pertractatis pateſcit, quanta ſit ultimi hoc verſu propoſiti argumenti vis ad exaggerandam Meſſiæ præ filiis Adæ pulchritudinem. Quid enim eum magis mundo commendare poteſt, quam hæc cum tali Sponſa deſponſatio, quæ tam perfecte ejus decentiam manifeſtat? Quid eum magis amabilem reddit Eccleſiæ, quam amœniſſimum hoc Sponſi ſchema? Nil blandius in humanis eſt Sponſi nomine. Et hoc a miſerrimis peccatoribus Filius Dei compellari vult. In hac relatione conſummantur dignitates reliquæ omnes, quæ in præcedentibus deſcriptæ erant. Usque eo, ut nil deſiderabile in hoc gratiam annuntiante Propheta, invincibili Heroe, juſtiſſimo clementiſſimoque Rege, perfectiſſimo Pontifice reperiri poſſit, niſi ſe ſimul, ut Sponſus fidiſſimus

Landesbibliothek Oldenburg

mus Ecclesiæ animæque fideli revelaverit; per quam revelationem se totum, & quicquid in Œconomia gratiæ a DEO factus est, in usum Ecclesiæ transscribit. Unde fluit, quod hæc non ante potestatem habeat in doctrina, victoriis, regno, intercessione ejus gloriandi, quam eum pro Sponso suo per fidem agnovit. Et quid ipsam Sponsam magis obligare potest ad summum Sponso honorem amoremque præstandum, quam quod tantum ornatum atque divitias unice Sponso suo debet, qui non tantum amavit, quod amore indignum erat, sed etiam amabile fecit?

XXIV. Implementum schematis hujus deprehendimus 1) in Ecclesia N. T. generatim considerata, quacum nuptias Christus celebrat, Matth. XXII, 2. quæque ei ut Marito adducitur, 2. Cor. XI, 2. quia fœdus legale evanuit, novumque & æternum fœdus inter Dominum & populum suum sancitum est. Rom. VII, 3. 6. Hebr. VIII, 6-13. Vi hujus fœderis prærogativis omnibus tum externis tum internis Ecclesia donata est, quæ nobis hæc symbola adumbrarunt. Quoad externum statum, multarum gentium ut filiarum regiarum accessione gaudet, & cum prædicatione Evangelii, sacramenta sua, publicos cœtus, Doctores & Pastores hactenus habuit. Superant tamen dona, quæ ad statum internum pertinent Rom. XIV. 17. 1. Cor. IV, 20. *Vestis aurea* justitiæ Christi eam tegit, postquam justitia æterna adducta est, qua condemnatio omnis tollitur & conscientia consummatur. Rom. III, 25. VIII, 1. Hebr. IX. 14. X, 22. Accedit mundus fructuum Spiritus & virtutum Christianarum, postquam sanctificationis gratia uberius Ecclesiæ collata est. 2. Cor. III, 18. 1. Petr. II, 9. 2. Petr. I, 3. 4. *Implementum Prophetiæ tum generale in N. T.*

2) Quia autem evidens hujus loci cum Cant. VI, 7. 8. parallelia est, ipsaque hactenus observata temporum series nos eo ducit, præcipue hic exprimitur ille Ecclesiæ status, qui post Theodosium & fors ipsa quoque tempora Caroli Magni ingravescente Antichristianismi tyrannide fuit. In versu nostro enim tria potissimum signa temporis juncta sunt, 1) quod Ecclesia numerosa *tum speciale seculo VI. & sequentibus*

rosa populis quoad externum statum esset. 2) quod externorum confessorum numerus longe internum superaret: 3) quod salva interea vera Sponsa Sponsi dextra suffulta maneret. Hæc vero in mediis N. T. temporibus concurrunt. Fuere tum multæ regiones mundi, quæ fidem Christianam amplectebantur, uti in superioribus Exercitationibus jam visum: sed plurima pars in externis subsistit. Interea semper superfuit semen sanctum, quod *dextræ* potentiæ, auxilii, protectionis Christi sustentatum, regulam fidei firmiter tenuit, *aurumque* veræ justitiæ & sanctificationis constanter conservavit; uti satis patebit illis, qui Catalogum testium veritatis consulent, a quibus hæc præcipua Ecclesiæ ornamenta seculis in deterius labentibus defensa sunt. Tristissima fateor facies fuit, in quam Ecclesia his temporibus paullatim incidit. Et mirum esset, sicco pede eam infelicitatem Psaltem præterire, nisi scopus ejus fuisset in epithalamio plus laudibus, quam maculis Sponsæ Christi insistere.

Excitantur fideles ad agnoscendam gloriam Sponsi,

XXV. Benedic ergo denuo, anima mea, immortali seculorum Regi, qui inter mortales, inter eos qui abjectissimæ inferni servituti venditi erant, sibi *sponsam* quæsivit, ornavit, secum æterno fœdere univit. Hic est admirabilis ille, qui cum esset maximus, nusquam major, quam in contemtissimis vermiculis apparere voluit. Ecquid addi poterat ad summæ omnisufficientiæ demonstrationem, quæ creaturas peccatrices, maledictioni obnoxias, in vasa gloriæ convertit, & ex cinere & pulvere templum struxit, cui inferre destinavit, quicquid Deum tremendum, adorandum, celebrandum reddit? Hæ sunt illæ *divitiæ misericordiæ Dei per ingentem amorem, quo amavit nos.* Eph II, 4.

& felicitatem Sponsæ cum eo unitæ:

XXVI. O terque quaterque beatos, qui ut vivi domus Dei lapides id sunt, quod tota Ecclesia est, SPONSA REGIA UNIGENITI DEI FILII! Utinam heic cœcutientes oculos filii tenebrarum aperirent, tantoque veri seminis Abrahæ splendore illecti in eandem gloriam transferri serio desiderarent!

rent! Hoc fastigium infinitis modis, quicquid in mundo summum est, infra se relinquit. Ad hanc præcellentiam Reginarum omnium cultus nihil est nisi πᾶσα φαντασία, sicut de Berenices Reginæ inani fastu dicitur Act. XXV, 23. Quanta ista beatitudo, æterno amoris vinculo ei *desponsatum* esse, qui quoad intimam essentiam omnesque actiones suas summus & perfectissimus AMOR est? Quantum istud est dignitatis cacumen, in *regni* societatem a cœlesti Rege adsciscí? Quam inenarrabiles illæ divitiæ, *auro* justitiæ æternæ & sanctitatis ejus, quæ est imago Dei, ornatum esse? Quam inconcussum omnis fidei, spei, verique solaminis fundamentum, ejus *dextra* sustineri, juvari, protegi, qui *metitur pugillo suo aquas & cœlos spithama sua extendit*? Jes. XL, 12.

Porro ad officia præstanda, quæ sunt, indignitatis agnitio,

XXVII. Quid restat, nisi ut memores simus jugiter officiorum, ad quæ per has divitias gratiæ Dei, per hoc pondus gloriæ in nos immerentes collatæ obligamur? Agnoscamus ergo cum sancto stupore extremam nostram indignitatem. Moses Æthiopissam, Samson Philistæam, Ahasverus captivam ex Judæis duxit, sed longe major hic est inæqualitas. Deus cum creatura, eaque abjectissima, inimica, captiva Diaboli jungitur. Fateamur cum Jacobo: *Impar sum omnibus his beneficiis, totique illi fidei, quam præstitisti servo tuo.* Gen. XXXII, 10. Et cum Davide: *Quis sum ego, Domine Jehova, & quæ est familia mea, quod deducis me eo usque?* 2. Sam. IX, 18. *Jehova, quid est homo, ut agnoscas eum? filius mortalis, ut rationem habeas ejus?* Ps. CXLIV, 3. Audiamus *Bernhardum* Dominic. I. post 8. Epiph. Serm. 2. "Unde tibi, "o humana anima, unde hoc? Unde tibi tam inæstimabilis "gloria, ut ejus Sponsa merearis esse, in quem desiderant "Angeli ipsi prospicere? Unde tibi hoc, ut ipse sit Sponsus "tuus, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur: ad cu-"jus nutum universa mutantur? Quid retribues Domino pro "omnibus, quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia re-"gni, socia denique thalami, ut introducat te Rex in cubi-

" culum ſuum? Vide jam, quid de Deo tuo ſentias: Vide
" quantum de Deo præſumas. Vide quibus bracchiis vicariæ
" charitatis redamandus & amplectendus ſit, qui tanti te æſti-
" mavit, imo qui tanti te fecit; de latere enim ſuo te refor-
" mavit, quando propter te obdormivit in cruce, & ob hoc
" ſomnum mortis excepit. Propter te a Deo Patre exivit: &
" matrem ſynagogam reliquit, ut adhærens ei, unus cum eo
" Spiritus efficiaris. Et tu ergo audi filia & vide, & conſide-
" ra, quanta ſit erga te dignatio Dei tui: & obliviſcere popu-
" lum tuum & domum patris tui. Deſere carnales affectus,
" ſeculares mores dediſce: a prioribus vitiis abſtine, conſue-
æſtimatio ſummæ donorum collatorum, " tudines noxias obliviſcere. Porro dona, quibus Eccleſiam ſuam cœleſtis Sponſus exornavit, ſecundum verum ſuum pretium æſtimemus: & in hac æſtimatione eum ordinem ſervemus, quem natura eorum requirit. Illa, quæ ad externum ejus ornatum pertinent, non ſunt contemnenda, quod ab iis fit, qui quicquid ad externum & publicum Dei cultum pertinet, exterminatum volunt. Vere enim hæ *pretioſitates inæſtimabiles* ſunt, quas Salvator noſter eodem ſanguine, quo omnia, acquiſivit, quæque æterno Dei decreto in media internæ gratiæ adipiſcundæ deſtinatæ ſunt. Tantum ut non ultra, quam pro mediis habeantur, neque in iis ſubſiſtatur, ſed per hoc veſtibulum in interiora adyta pergatur. Quantum externa Eccleſiæ dona omnes mundi pretioſitates vincunt, tantum ipſa pretio internorum Spiritus ornamentorum ſuperantur, ſicut olim atrium Templi ſanctius erat toto mundo, ſed Templi ipſius ſanctitas longe ſuper atrium eminebat. Nil ergo nobis ſit carius juſtitia, qua Chriſtus nos veſtivit, & virtutibus, quibus Spiritus nos ornavit. Hæc meditemur, in his deliciemur, hæc ſtudioſe aſſervemus. *An obliviſcitur virgo ornatus ſui? Sponſa eorum, quæ alligat ſibi?* Jerem. II, 32. Audiamus, quanti ponderis cœleſtis hic amor Eccleſiæ ſit: *Aquæ multæ non poſſent extinguere hunc amorem, ne flumina quidem inundarent eum: ſi daret quis totam ſubſtantiam*

domus

Landesbibliothek Oldenburg

domus suæ pro hoc amore, plane contemneretur Cant. VIII,7. Ut vero, quam pretiosa nobis sint hæc dona, actu demonstretur: meminerimus semper conjugalis vinculi, quod inter Christum & animas nostras nexum est, & casto corde, inconcussaque fide Christo adhæreamus. Nec minus reminiscamur regalis fastigii, ad quod vocati sumus, ejusque dignitatem contemtu mundi & perpetua contra hostes spirituales lucta defendamus. In summa tamen dignitate nil decedat reverentiæ, quam Capiti debemus, ut in sanctuario interno *stemus* coram throno gratiæ, attendentes mandata ejus, & promti ad ea exequenda. Quia vero deficiunt nobis vires ad perstandum, *dextram* Sponsi nostri fide apprehendamus, ut ille robore suo nos suffulciat. Denique quando nos ejus potentia roboratos sentimus, omnes vires, quas Christus animæ infudit, in id conferamus, ut vestitus, quo nos ornavit, sanctus purusque conservetur: præcipue curantes, ut *aurum* justitiæ cum *auro* sanctitatis junctum maneat & prius per posterius probetur. Peplo nostro nos privare diversimode Satanas tentat. Nunc vesti justitiæ imminet, quando ex fumo abyssi Spiritus impuros prodire jubet, qui vestiti ut Angeli lucis meram sanctitatem ore crepant, sed verum δικαίωμα susque deque habent. Nunc sanctitatis ornamentis spoliare quærit, quando Antinomorum & Anomorum castra movet, etiam illos sæpe occulta fallacia in suum sensum flectens, qui inter publicos Ecclesiæ Doctores reputantur, dum extra & ultra scopum Spiritus perfectio justitiæ Christi urgetur, & de necessitate veræ sanctificationis aut nihil aut parcius disseritur. Hinc & hinc cautos esse oportet. Utroque itinere ad Tartarum itur, sive ad dextram, sive ad sinistram a veritate deflectas. Qui totus Christo tegi vult, toto Christo induatur!

Beatus, qui vigilat & servat vestes suas, ne nudus appareat, & videant turpitudinem ejus!
Apoc. XVI, 15.

castus amor,

dignitatis collatæ studiosa conservatio, reverentia,

fides,

veri ornatus animæ sollicita cura.

EXERCITATIO NONA
DE
OFFICIIS SPONSO EXHIBENDIS

1. *Amor Chriſti & Eccleſiæ eſt* reciprocus. 2. *Analyſis.* 3. *Perſona loquens Spiritus Sanctus per Miniſtros Evangelii.* 4. *Eccleſia vario reſpectu* Filia *dici poteſt.* 5. Audire, videre, aures tendere *cur hic conjungatur?* 6. 7. 8. *Singulorum verborum emphaſis ſeparatim indicatur.* 9. Domus parentum a *novis nuptis relinquenda.* Migratio Abrahami *myſtica.* 10-13. Populus & domus Patris *priſtina deſcribitur.* Satanas Pater *impiorum.* 14. Oblivio *myſtica.* 15. Adoratio Meſſiæ. 16. Pulchritudo Eccleſiæ *ſpiritualis.* 17. *Quomodo* deſiderium Meſſiæ *concipi debeat?* 18. *Quomodo interſit Eccleſiæ, ut illud excitetur?* 19. *Titulus* Domini *competit* Deo, Regibus; Maritis *quoque, quorum dominium ex ſacris ſtabilitur, & ad Chriſtum applicatur.* 20. *Pluralis cur adhibitus?* 21. הוּא *particula emphatica.* 22. *Fundamentum dominii Meſſiæ.* 23. *Obligatio inde fluens ad obediendum.* 24. *Implementum.* 25. *Paræneſis ad imitationem.*

I.

Amor inter Chriſtum & Eccleſiam reciprocus eſſe debet:

AMor Chriſti & Eccleſiæ eſt reciprocus: uti decet ſponſos rite unitos. Hoc nexæ invicem dextræ innuebant, uti capite præcedente vidimus, & Apoſtolus docet 1. Cor. VII. Hinc Eccleſia gloriatur: *Dilectus meus mens eſt, & ego illius.* Cant. II, 16. Atque ut conſtantiam hujus reciprocationis per omnia tempora indicet, eadem ferme verba repetit Cant. V, 18. VII, 10. Quando ait: *Dilectus meus* MEUS eſt, declarat, Meſſiam totum ſecundum utramque naturam, ſecundum omnia officia, cum omnibus bonis per ea partis, ſe poſſidendum fruendumque Eccleſiæ tradidiſſe. O donum mille mundis non æquiparandum! Ecquid autem reddidit Sponſa? Donum diſſimile, indignum, damnabile: aliquid, & tamen nihil, & tamen omnia, quæ habet: *ego ſum* IL-

LIUS

LIUS. Adeoque ipsa vice versa tota cum omnibus facultatibus & viribus suis se possidendam Messiæ reddidit. Hujus reciprocæ permutationis caussa Christus ut peculium, hærediras, templum, merces, vestis, gloria Ecclesiæ; & vice versa Ecclesia ut peculium, hæreditas, templum, merces, vestis, gloria Christi sæpissime introducuntur. Hæc res Psalten nostrum induxit, ut postquam amores Sponsi cecinerat in hoc amorum cantico, ad amores Sponsæ transiverit: ita tamen ut merito diversimode sermonem instituat. Quæ enim ad amorem Sponsi pertinuerant, encomio debito deprædicavit, quia ille suo officio nunquam deest: quando vero ad amores Sponsæ transit, non tam, quid egerit, laudat, quam quid agere debeat, præscribit, quia illa ob imbecillitatem naturæ de officio suo sæpe est admonenda. *Hinc post descriptionem amorum Sponsi describuntur officia Ecclesiæ.*

II. Describuntur ergo officia Sponsæ v. 11, 12. eo ordine, ut *Analysis hujus pericopæ.*

α. via sternatur per præfationem, in qua distinguenda
- ℵ Persona loquens
- ב Compellatio: *Filia.*
- ג Excitatio ad attentionem
  - aa. per sensus: *Audi.*
  - bb. per intellectum: *& vide.*
  - cc. per judicium: *& tende aurem tuam.*

β. propositio ipsa fiat, in qua
- ℵ Officium duplex præscribitur:
  - aa. Abnegatio & derelictio prioris status, ubi
    - αα. Objectum: *populi tui & domus patris tui.*
    - ββ. Actus præscriptus: *oblivisce.* v. 11.
  - bb. Transitio in novum dominium, ubi iterum
    - αα Objectum: *& ipsum.*
    - ββ. Actus præscriptus: *adora.*
- ב Argumenta duo interseruntur, quibus hæc officia commendantur,

aa. al-

aa. alterum deſumtum eſt ab utili : *& concupiſcet Rex pulchritudinem tuam.*

bb. alterum ab æquo : *nam ille eſt Dominus tuus* vſ. 12.

Perſona loquens eſt Spiritus Sanctus per Apoſtolos & Miniſtros verbi.

III. Perſona alloquens generatim quidem eſt Pſalmiſta, ſed quia lingua ejus eſt *calamus Scribæ* cœleſtis, Spiritus Sancti, hinc ille Paracletus in omni emphaſi hic ut allocutor Sponſæ poteſt conſiderari. Spiritus Sanctus enim Meſſiæ quaſi proxeneta & paranymphus eſt, idque tum externe per miniſterium Evangelii perſonam & divitias ejus patefaciens, tum interne cor movens, & cœleſtem amorem infundens. Joh. XVI, 14.15. Rom. V, 5. Quia vero hæc perſuaſio Spiritus fit mediantibus Præconibus verbi, qui φίλοι ſunt τῦ νυμφίυ & Chriſto Sponſam adducunt 2. Cor. XI, 2. hinc ii quoque, ut allocutores heic conſiderari poſſunt, præcipue Apoſtoli, quorum typum hic Vates gerit, uti Exerc. II. §. 18. 19. oſtenſum eſt, quique doctrinam fœderalem hoc alloquio propoſitam voce ſcriptisque inculcaturi. Ita malim cum Celeberrimo *Coccejo*, quam cum *Chryſoſtomo* Patrem, aut cum *Riveto* Filium ipſum loquentem hoc loco intelligere. Non longe diſtat *Auguſtinus*, ſecundum quem *alloquitur Propheta Reginam tanquam unus ex Patribus, id eſt Apoſtolis ac Prophetis, appellans eam Filiam, quaſi per Evangelium genitam, quam prius Sponſam appellavit: hortaturque ad fidem & obedientiam Deo præſtandam.* Ego quamvis ſub perſonis compellantibus Apoſtolos comprehendam, non puto tamen cum reſpectu ad eas nomen *Filiæ* Eccleſiæ dari. Pronomen relativum *MEA* hic non ſine cauſſa omittitur, ut auguſtior relatio innuatur.

Filia hic deſignat univerſam Eccleſiam internam N. T.

IV. Perſona ergo, quæ compellatur, dicitur FILIA. Hæc eſt eadem, quæ verſu præcedente dicta eſt *Sponſa* ſeu *Conjux Regia.* Officia enim conjugalia ei præſcribuntur. Nimis anguſtis limitibus hanc compellationem includunt eruditiſſimi Viri, qui poſt *Chaldæum Paraphraſten*, aliosque commen-

mentatores Rabbinicos cum Celeberrimo *Coccejo* tantum cogitant *de ea civitate vel cœtu, quæ habet præsumtionem veteris juris filiationis, scilicet, de Ecclesia ex Israele*, uti verba ejus hoc loco se habent. Præcedenti Exercitatione §. 5. jam mentem meam abunde explicui. Et secundum stabilitam inibi hypothesin tota Ecclesia N. T. maxime quoad internum statum considerata sub *Filiæ* nomine intelligitur. Vidit hic aliquid *Kimchius* in h. l. scribens: אמר שמע בת לכל אומה ואומה שלא יעשו אלא רצון מלך המשיח כי הוא ארון לכלם: i. *Dicit autem*, audi filia, *de omnibus & singulis nationibus, innuens, eas imperia Messiæ lubentissime exsecuturas, utpote qui erit omnium gentium Dominus.* Certe officia heic præscripta toti Ecclesiæ competunt, præcipue vero & principio & fini temporis, cujus succedentia fata ordine sunt repræsentata, uti exegesis aperiet. Et primo quidem emphaticum nomen *Filiæ* est, tum ad naturam Ecclesiæ internæ N. T. exprimendam, tum ad eam aliis cœtibus, ipsi Israelitico, contradistinguendam.

Nomen hoc 1) naturam Ecclesiæ exprimit:

Naturam Ecclesiæ ex hac compellatione diversimode discimus. Nomen hoc supponit *sexum muliebrem*, qui cur Ecclesiæ adscribatur, præcedenti Exercit. §. 10. ostensum. Porro *ætatis juvenilis* florem, qui Ecclesiæ sub N. T. proprius est ילדות Psal. CX, 8. quod designat vigorem in amore & opere Domini. Sed inhæreamus potissimum ei, quod in hoc symbolo primarium est. *Filia* enim dicitur, tum quæ ad *Patrem*, tum quæ ad *Matrem* relationem habet. *Pater* Ecclesiæ est Deus Triunus, non tantum quatenus Creator, sed etiam quatenus Redemtor Jes. LXIV, 16. Et potissimum in relatione ad primam Personam *filia* nuncupatur, de cujus in fideles paternitate consulatur Celeb. *Roellius* ad Ephes. p. 348. seq. Deus Pater enim eam ab æterno in Testamento pacis haeredem scripsit. Porro in tempore per υἱοθεσίαν spiritualem, quae justificationis essentialis pars est, in Christo adoptavit, primaque ipsius regenerationis origo est. Unde vocatio ut *tractio Patris*

quia SS. Trinitati universæ paternitas in eam competit, primæ Personæ,

tris consideratur, *qui auditur*, & *a quo discitur* Joh. VI, 44. 45. His tribus filiationis caussis accedit heic quarta, quia per desponsationem Filii Dei cum Ecclesia Deus Pater quasi Ecclesiae *socer* fit. Inde sequitur, quod paterno affectu Deus Ecclesiam amplectitur, ejus miseretur, providam curam gerit, eam conservat & castigat. Atque ita agit Deus cum Ecclesia ex sententia legis illius, qua jusserat, ut, *qui ancillam desponsaverat filio suo, cum ea ageret secundum jus filiarum.* Exod. XXI, 9. Denique Ecclesia vicissim filiali affectu erga Deum Patrem affecta est, quia eum honorat, amat, timet, ejusque praeceptis & disciplinae se submittit.

secunda Personae,

Interea secunda Persona Ecclesiam similiter ut *Filiam* considerare potest. Illi quoque competit in populum suum *paternitas* Jes. VIII. 18. IX. 6. Jerem. III. 19. Nam non tantum ei regnum æternum sibi traditum testamento dispositum, sed etiam unica origo vitæ spiritualis est, paternoque amore & paterna cura eum amplectitur, de quo prolixius & ex professo Exerc. XII. §. 4. sq. agendi recurret occasio. Nec obstat, quod in nostro Psalmo, ut Maritus Ecclesiæ exprimitur. Hæc enim symbola sæpe inter se permiscentur. Tota Trinitas Maritus Ecclesiæ est, Jes. LIV, 5. adeoque & ipse Deus Pater. Sicut ergo certo sensu Ecclesia est Sponsa Patris & Spiritus Sancti, ita alio respectu *Filia Christi.* Istud certum, uxorem propter protectionem, qua gaudet, minoritatem, spem hæreditatis & debitam marito reverentiam & obedientiam, ut ejus *filiam* considerari posse.

Uxor potest considerari ut filia mariti.

Ita in allegoria Jerem. III. 4. exemplum præsto est, ubi Ecclesia Israelis eum *Patrem* nominat, qui ex vs. 1. supponebatur *Maritus* fuisse. Nathan 2. Sam. XII. 3. de Uriæ uxore: *eratque illi sicut filia.* Et apud Romanos certus erat nuptias contrahendi ritus, qui *coëmtionis* & in *manum conventionis* dicebatur, & locum obtinebat, memorante *Servio* ad Georg. I. *cum illa* (sponsa nempe) *in filiæ locum, sponsus in patris veniebat, ut si quis prior fuisset defunctus, locum hæreditatis justum alteri faceret.* Et hinc apud *Livium* a Valerio dici-

dicitur: *Et vos in manu & tutela, non in servitio, habere eas: & malle patres vos, quam dominos dici.* Adde quæ habet Ant. *Hotmannus* de vet. ritu nupt. c. XXVI. Sane Ecclesiam in diversis relationibus ut filiam, sororem, amicam, matrem Messiæ considerari ita certum est, ut & lippientes Judæi viderint. Dignus est locus ex *Midrasch Schir Hasschirim* super Cant. III. 11. qui hic adscribatur. Postquam enim ibi Magistri docuerant per Regem *Salomonem*, Regem cælestem, illum *qui fecit pacem inter creaturas suas*, id est ipsum Messiam intelligendum, ita Glossa pergit: אמר יוחנן שאל ר' שמעון את ר' אליעזר בר רבי יוסי ואל אפשר ששמעת מאביך מהו כעטרה שעטרה לו אמו אל היאך וגו' אל בתחלה חבב הקבה את ישראל והיה קורא אותם בתי ההר שמעי בת וראי ולא זו מחבבן עד שקרא אותן אחותי שנ' פתחי לי רעיתי יונתי תמתי ולא זו מחבבן עד שקרא אותן אמה שנ' הקשיבה אלי עמי ולאמי אלי האזינו אמי כתיב: i. *Dixit R. Jochanan, interrogavit R. Simeon R. Eliesérum filium R. Josè, & dixit ei: Potest esse, quod audiveris a patre tuo, quid est dictum*, cum corona, qua coronavit eum mater sua? *Dixit ei: Etiam. Ait ei, qualiter? Dixit ei, in principio dilexit Deus Israel & vocavit eos: filia mea. Et hoc est, quod scribitur:* (Ps. XLV. 11.) Audi filia, & vide. *Et non cessavit diligere eos, donec vocavit eos soror mea, sicut dictum est:* (Cant. V. 20.) Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, perfecta mea. *Nec cessavit eos diligere, donec vocavit eos mater mea, sicut dictum est:* (Jes. LI. 14.) Attendite ad me, populus meus, & לאמי plebs mea, ad me intendite aures. *Non* ummi, *plebs mea, sed* immi, *mater mea, fuit scriptum.* Quare recte de Salvatore nostro *Anastasius Sinaita* Hexaëmer. lib. 10. *Solus Christus est & genitor & vir suæ uxoris & sponsæ, Ecclesiæ.*

Ecclesiam esse filiam, sororem, matrem Messiæ, Judæi agnoscant.

Ipsius Spiritus sancti Ecclesia *filia* est, quia ab eo regenerata & divinæ naturæ particeps est facta. *tertiæ Personæ:*

Pro *matre* vero agnoscit Ecclesia N. T. Ecclesiam universalem, quæ est *superna Solyma* Gal. IV. 26. idque eo magis, quia in ea Doctores sunt, qui semen verbi applicant, quique *quia Ecclesia universalis ejus mater est.*

ſingula membra ἀδίνασι, *donec Chriſtus formetur in illis*, ſicut eod. cap. vſ. 19. de ſe Paullus teſtatur. Confer Exerc. XII. §. 6. 7.

2) *Nomine hoc contradiſtinguitur Eccleſiæ Judaicæ & externæ.*

Eſt autem hæc compellatio eo ἐμφατικώτερον, quia per eam Eccleſia N. T. contradiſtinguitur Eccleſiæ V. T. quæ multis modis *ancillæ* ſimilis, ſaltem Spiritum filiationis non habuit Rom. VIII. 15. Quamvis apud Judæorum Magiſtros non ſit infrequens, ut Deum introducant congregationem Iſraelis nomine *Filiæ* compellantem. Huc facit locus ex *Taanith* adductus a *Raymundo* Pug. Fid. P. III. D. 1. c. 10. §. 20. Per eandem Eccleſia interna contradiſtinguitur mere externæ. Si cœtuum religioſorum externa facies adſpicitur, *filiæ* tantum *Regum* ſunt: ſed qui in iis internam Eccleſiam conficiunt, ii pro *Filia* cœleſtis Regis in familiam cœleſtem adſcita habendi.

Momentum hujus alloquii ad perſuadendum.

Quantum vero momentum ſuaviſſima haec compellatio ad parandam viam poſtulatis ſequentibus habeat, unusquisque facile videt. Quid enim illa ſubire recuſet, quae tanto honore dignata eſt? Praecipue cum nihil ab ea exſpectetur, quam quod ex ipſa hac filiationis relatione fluit.

In ſequentium exegeſi Pellicanus refutatur.

V. Cum compellatione jungitur triplex attentionis excitatio: שמעי וראי והטי אזנך. Peſſime hic *Pellicanus*, ut novum demus abſurditatum ſpecimen, in quas implicantur, qui in talibus prophetiis ſenſum literalem quærunt: *Audire Regem & videre, eſt probe intelligere, ſemperque prona aure excipere, quæ Rex Salomon filiæ Pharaonis & unicuique Reginæ & amatæ uxori de vera Dei bonitate cultuque documenta tradebat.* Itane de veri Dei cultu eas Salomon mulierculas erudivit, quæ cor ſuum a vero Deo ad idola declinabant? Lege ſodes 1. Reg. XI. 1-8. & judica, quantum hæc & ſimilia a linea aberrent. Nos certiora ſequamur. Singulæ hæ voces aptæ fuiſſent ſolæ ad exprimendam deſideratam attentionem. Latiſſimam enim ſignificationem ſæpe habent in locis, ubi ſigillatim uſurpantur, & una alteram includit. Præcipue ſub *audiendi* æque ac *videndi* ſymbolo interdum omnia officia fœderis gratiæ, fides, obedientia, amor &c. comprehenduntur. Sed hic arctiorem ſigni-

Tria verba audire, videre, aurem tendere emphatice cumulantur.

significatum requirit nexus. Præfatio enim tantum sunt ad postulata fœderis gratiæ, quæ in sequentibus edisseruntur. Tres autem voces cumulantur: 1) majoris emphasis caussa in re tam ponderosa, in qua cardo omnis beatitudinis Sponsæ versabatur, ne moram trahat, neve coacte & frigide procedat in opere, quod mandabatur. 2) Ut eo aptius exprimatur modus persuadendi, quo Spiritus utitur, qui tam diu pulsat, instat, & convictiones suas repetit, donec plene persuasæ animæ ad obediendum se accingunt. 3) Denique ut ipsi gradus & diversi animæ motus distinctim eliciantur, qui ad perfectam attentionem requiruntur. Quod ut liquido pateſcat, suppono, Psalten his phrasibus istud opus gratiæ velle designare, quod sub *vocationis efficacis* nomine solet intelligi. Hæc enim vocatio proprium Spiritus Sancti primumque opus & radix est conversionis & fidei, quæ per sequentes phrases exiguntur. Per eam ostium cordis aperitur, eique vis infunditur ad postulata reliqua in actum educenda. Quando vero cæleſtis vocationis naturam penitius inspicimus, tres illa potissimum effectus habet, primum in externis sensibus, secundum in intellectu, tertium in judicio practico seu mavis voluntate. Hisque tribus effectibus tres in Psalmo adhibitæ voces aptissime respondent. Agnovit id jam ante me præstantissimus Psalmorum commentator, qui in mysteriis verbi divini profecto ultra seculum suum sapuit, eoque nomine tantum non omnibus contemporaneis præferri meretur, *Bugenhagius* ad h. l. ita distinguens: *Audi, quia fides est ex auditu verbi Dei: & vide, id est, intellige spiritualia, quæ audis, & inclina aurem tuam, id est, consenti.* Nec infrequens est in sacris aut harum aut similium phrasium eodem scopo conjunctio. Sic de iis, qui efficaciam vocationis internæ non senserunt, aut contra eam se obdurarunt, dicitur Deut. XXIX. 4. *Nondum dedit vobis Jehova mentem ad cognoscendum, & oculos ad videndum, aures ad audiendum, usque in diem hunc.* Jes. XLVIII. 8. *Neque audivisti quicquam, neque novisti, neque ab illo*

Præcipue tres gradus in vocatione efficaci inuuntur.

illo tempore aperuit aurem tuam. Similem climacem obſervare licet Jeſ. VI. 9. 10. quin etiam Jeſ. LXIV. 4. collato 1. Cor. II. 9. ubi effecta vocationis ſecundum electionem duritiei hominis ψυχικῦ contradiſtinguuntur. Nec diſſimilis eſt excitatio Jeſ. XXVIII. 23. *Aures adhibete, & audite vocem meam: attendite, & audite ſermonem meum.* Ut autem hoc magis liqueat, ſingulas voces excutiamus.

Audire jubetur cum reſpectu ad ſenſualem & externam ſoni verbi perceptionem.

VI. Primo loco poſtulatur ut AUDIAT. Hic propriam & primam vocis ſignificationem ſervamus, qua perceptionem deſignat, quæ externo *auditus* ſenſu fit. Hæc omnem internam gratiæ operationem antecedit, quia prædicatio verbi perpetuum medium eſt, per quod animæ trahuntur: ad quam prædicationem percipiendam patulæ aures requiruntur. Hinc *fides eſt ex auditu.* Rom. X. 14. 17. 18. Et ante omnia a populo Dei *auditus* exigi ſolet Pſ. L. 7. LXXVIII. 1. LXXXI. 9. Prov I. 20. VIII. 1. Matth. XIII. 9. Apoc. II. 7. &c. Quamvis fatear, in aliquibus horum locorum ſimul aliquid amplius hac voce exigi.

Videre apud omnifarios authores idem eſt ac intelligere.

VII. Hic quoque in auditu non ſubſiſtendum, ſed etiam VIDENDUM. Oculos in ſacris intellectus ſymbolum eſſe, nemo non novit. Hinc *videre* tantundem eſt ac intelligere. Apud ipſos gentilium philoſophos id pervulgatum fuit. *Plato* in Sympos. p. 1204: Ἤ τοι τῆς διανοίας ὄψις ἄρχεται ὀξὺ βλέπειν, ὅταν ἐ τῶν ὀμμάτων τῆς ἀκμῆς λήγειν ἐπιχειρῇ i. *Tunc ſane mentis oculus acute incipit cernere, cum primum corporis oculus defloreſcit. Ariſtoteles* Topic. lib. I. c. 14. Ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νῦς ἐν ψυχῇ i. *ſicut viſus eſt in oculo, ita intellectus in anima.* De Livio Druſo *Valerius Maximus* lib. VIII. c. 7. *Senem illum natura, cæcum fortuna potuit facere: neutra interpellare valuit, ne non animo & videret & vigeret.* Sic apud *M. Antoninum* lib. III. §. 15: τὸ ὁρᾶν τὰ προκείμενα, ὁ ἐκ ὀφθαλμοῖς γίνεται, ἀλλ' ἐπέχε πῦ ὄψει i. *quod facto opus eſt videre, quod quidem non oculis corporeis, ſed viſu quodam aliusmodi efficitur:* & alias ſæpe apud eundem ſimilia occurrunt.

runt. Socrates apud *Lucianum* Vit. Auct. p. m. 380. τυφλὸς γάρ ἐι τῆς ψυχῆς τὸν ὀφθαλμόν. ἐγὼ δὲ πάντων ὁρῶ εἰκόνας, καὶ σὲ οὐφανῆ, καμὲ ἄλλ. ἢ ὅλως, διπλᾶ πάντα. i. *Cæcus enim est tibi animæ oculus. Ego autem omnium rerum video imagines, & te latentem, me alium: in summa, duplicia video omnia.* Similia in Nigrino p. 22: Contemplantibus p. 357. Hermotimo p. 505. editionis Grævianæ. Hinc Sphingis nomen, quam Bœoti φίκα appellabant a פקח derivat Celeb. *Bochartus* Can. lib. I. c. 16. p. 433. quod *videntem* simul ac sapientem designat. Unde non mirum apud veteres Scriptores ecclesiasticos hanc metaphoram frequentissimam fuisse, quod nube exemplorum probare lubuit *Barthio* Adversar. lib. XLVIII. c. 5. p. 2252. Hinc & *Maimonides*: לבות החכמים יש להם עינים רואות מה שאין רואים הפתאים i. *Corda sapientum habent oculos, quibus vident, quod non vident simplices.* Apud *Philonem* nihil frequentius, quam eandem metaphoram adhibere. Videatur de opif. mundi p. 11. 14. de confus. linguar. p. 333. de Abraham. p. 358. &c. Hic per *videre* ille intellectus recens illuminati usus præscribitur, quo depositis omnibus præjudiciis & ignorantiæ amore rectam de Deo, nobis & præcipue omnisufficientia Christi & modo unionis cum eo ideam in nobis excitare studemus. Hæc intellectus applicatio primum omnis salutaris gratiæ initium est. Nam sicut creatio mundi a luce cœpit, ita etiam fit in nova creatione 2. Cor. IV. 6. Eph. I. 17. 18. Et tale *videre* inculcatur Jes. XXXV. 4. XL. 26. Cant. III. 11.

Hoc innuitur usus rectus intellectus illuminati.

VIII. Quomodo vero vocationis opus paulatim crescere debeat, id docetur, quando additur TENDE AUREM TUAM. Phrasis *Geiero* alludere videtur ad animalia, quae audito sonitu arrrectis auribus adstant. Istud patet, aptissimam esse ad designandam voluntatis primam inclinationem, quae licet illuminationem intellectus sequatur, immediate tamen cum ea cohaeret. Non tantum enim in symbolicis, uti *oculus* intellectus, ita *auris* voluntatis emblema gerit, sed etiam qui *aurem tendit* ad alicujus sermones, actu ipso declarat de-

Tendere aurem ad primam voluntatis inclinationem referendum.

side-

ſiderium eos penitius percipiendi, & promtitudinem iis obſequendi. Quo ſenſu de Deo ipſo phraſis uſurpatur Pſ. XVII. 6. CXVI. 2. &c. qui *tendere* dicitur *aurem* ad preces fidelium, quando amorem & bevolentiam erga eos exauditione declarat. *Tenditur* itaque in vocatione efficaci Spiritui ſancto *auris*: 1) quia primus amor veritatis tum voluntatem occupat, ita ut deſideret ea, quae hactenus odio proſecuta eſt, utpote contraria concupiſcentiis ſuis, cœleſtis ſapientiae dogmata intime cognoſcere: Act. XVII. 11. 2) quia ex tali deſiderio naſcitur attentio accuratior, & qualis ponderi rei propoſitae convenit, Luc. XXIV. 32. Act. XVI. 14. 3) quia cum illa attentione jungitur promtitudo cordis ad eligendum & apprehendendum id, quod judicii trutina ut verum bonumque dignoſcitur. Act. X. 33. 1. Sam. III. 10.

Emphatice una tantum auris tendenda præſcribitur.

Nec fruſtra eſt, quod in ſingulari numero *auris* tendenda præſcribitur: *ſive* quia accuratius audit, qui loco, unde ſonus percipitur, unam aurem obtendit: *ſive* quia uti cum uno oculo, manu, pede introeundum in regnum cœlorum Matth. V. 29, 30. Marc. IX. 47. ita etiam cum *unica* tantum *aure*, eaque *dextra*, quæ ſervo voluntario olim perforabatur, Exod. XXI. 6. quaeque tum in conſecratione Sacerdotum, tum in purificatione leproſorum oleo & ſanguine ſolebat imbui. De Sacerdote vide Exod. XXIX. 20. Levit. VIII. 23, 24. de leproſo autem Levit. XIV. 14. 17. 28. Atque ita deſignaretur, illum, qui imbibere praecepta Spiritus Sancti feliciter cupit, obturare debere *aurem alteram* omni dictamini carnis, ut eo felicius de myſteriis regni cœlorum inſtruatur. Talis *extenſio auris* inter prima poſtulata fœderis gratiae locum habet. Pſ. LXXVIII. 1. Prov. IV. 20 V. 1. Jeſ. LV. 3. Atque his partibus totum opus vocationis abſolvitur, per quod cor diſponitur, & totus homo aptus redditur, non tantum ad percipienda, ſed etiam exequenda poſtulata fœderis gratiae univerſalia & eſſentialia, quae ad unionem cum Meſſia neceſſario requiruntur.

Auris dextra.

IX. Ho-

IX. Horum prius est: שִׁכְחִי עַמֵּךְ וּבֵית אָבִיךְ i. *Oblivisce-re populi tui & domus patris tui.* Alluditur hic primo loco ad id, quod desponsatis commune, quae e potestate & *familia parentum* transeunt in potestatem & familiam conjugum. Vide *Hotmannum* de vet. rit nupt. c. 24. Unde mulieres נשים dictae a נשה *oblivisci*, non tantum quia in oblivionem veniunt, sed etiam reciproce familiae prioris obliviscuntur. Lex haec dicta est viris Gen. II, 24. *Relicturus est vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, eruntque in carnem unam.* Nec minus eadem convenit uxoribus. Exemplum dat *Pausanias* in Laconicis narrans, quomodo Icarius, cum ab Ulysse frustra contendisset, ut cum filia Penelope Lacedæmone habitare mallet, id demum filiæ persuadere conatus fuerit. Cumque acrius instaret, ne se desereret, Ulyssem jussisse, ut sponte sequeretur, quem vellet. Penelope obtecta facie, nil quicquam respondit. Quare Pater intellecta filiæ sententia eam dimisit, & in facti monumentum eo loco Pudoris simulacrum erexit. *Euripides* in Danae

Commune est desponsatis, reliquere familiam parentum.

Γυνὴ γὰρ ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων
Οὐ τῶν τεκόντων ἐστὶν ἀλλὰ τῶν λέχους. i.

Mulier paternam egressa domum non amplius parentum est sed mariti. *Anaxandrides* apud *Stobæum* Serm. 72.

Χαλεπὴ λέγω σοι καὶ πεφάντης, ὦ τέκνον
Ὁδός ἐστιν, ὡς τὸν πατέρ' ἀπελθεῖν οἴκαδε
Παρ' ἀνδρός, εἴ τις ἐστὶ κοσμία γυνή. i.

Difficile tibi dico & arduum, o filia, iter est, ad patrem abire domum a marito, cuivis honestæ mulieri. Nec abluduntilla *Platonis* Phædro p. 204. ubi de anima amore cujusdam capta: Ἡδονὴν δ' ὦ ταύτην γλυκυτάτην ἐν τῷ παρόντι καρπεῖται, ὅθεν δὴ ἐκοῦσα εἶναι οὐκ ἀπολείπεται οὐδέ τινα τῶν καλῶν ὡς ἐπὶ πλέον ποιεῖται, ἀλλὰ μητέρων τε καὶ ἀδελφῶν καὶ ἑτέρων πάντων λέλησται. i. *Fruitur interim jucundissima illa voluptate in præsenti usque adeo, ut sponte nunquam inde recedat, neque alium quemquam pluris faciat, quam amatum, sed*

In conjugiis Patriarcharum id frequens erat.

matrum, fratrum, cæterorumque obliviſcatur. Speciatim tamen reſpici videtur ad matrimonia myſtica Patriarcharum, in quibus nonnunquam ſponſæ longiſſime a *familia paterna* & *univerſo populo* abducebantur, uti ex conjugio Iſaaci cum Rebecca, Jacobi cum filiabus Labanis & aliorum patet.

Migratio Abrahami hic quoque conferri poteſt.

Nec tamen cuiquam litem intendimus, qui ſimul putet reſpectum eſſe ad vocationem Abrahami, cui Deus dixit Gen. XII, 1. *abi e terra tua & a cognatione tua, atque a familia patris tui in eam terram, quam oſtendam tibi.* Illa enim migratio ex Ure Chaldæorum typus fuit ejusdem myſterii, quod in lege hac maritali latere ſubinnuit Paulus Epheſ. V, 31. 32. Sane aliquid ejusmodi vidiſſe *Chaldæum* ex hac ejus paraphraſi patet: שמעי כנשתא דישראל אוריתא פומיה וחמי פרישת עובדוי ותצלי אודנך לפתגמי אוריתא ותתנשי עובדין בישין דרשיעי עמיך ובית תעות דפלחת בית אבוך: i. *Audi, congregatio Iſrael, legem oris ejus, & vide miracula operum ejus, & inclina aurem ad verba legis, & obliviſcere operum malorum improborum populi tui, & domus idolorum, quæ coluiſti in domo patris tui.* Nec prorſus hic cœcutit *Abenezra* ajens: *ſi de Chriſto, tunc denotat, quod Eccleſia Deo ſoli cum humero uno ſerviet.* Sed certiora & clariora quæramus.

Populus & domus Patris generatim deſignat, quicquid antea jucundum fuit.

X. Ac primo quidem per POPULUM ET DOMUM PATRIS intelligi poteſt, quicquid antea pretioſiſſimum, jucundiſſimumque fuit. Ita proverbii vicem habet apud *Lucianum* Imagin. p. 10. παρεσήξη γὰρ εὖ οἶδ' ὅτι, κεκηλημένος, πατρίδος καὶ οἰκείων ἐπιλαθόμενος i. *Aſtabis enim, ſat ſcio, delinitus, patriæ & domeſticorum oblitus.* Et apud eundem in Hermotimo præſcribitur veræ felicitatis ſectatori: τῶν δ' ἄλλων ἀμελητέον, καὶ μήτε πατρίδος τῆς ἐνταῦθα ἐπιλαμβανομένης, πολὺν ποιεῖσθαι λόγον, μήτε παίδων, ἢ γονέων· οἵῳ εἰσὶν, ἐπικατιχόντων, καὶ κλαυθμυριζομένων ἐπικλᾶσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ κακεῖνος ἀπαγκαλεῖν ἐπὶ τὴν αὐτὴν ὁδόν· εἰ δὲ μὴ ἐθέλοιεν, ἢ μὴ δύναιντο, ὑποσεισάμενον αὐτὸς χωρεῖν εὐθὺ τῆς παγευδαίμονος ἐκείνης πόλεως. i. *Quidvis autem aliud negligendum, & neque patriæ hic retinentis multa ratio habenda eſt, neque exorari oportet parentum aut liberorum, ei qui habuerit, detinentium complorationibus:*

Sed

Landesbibliothek Oldenburg

sed illi maxime, ad iter idem suscipiendum sunt cohortandi. Quod si nolint, aut non possint, excussis illis, recta ad urbem illam ab omni parte beatam erit contendendum. Merito ergo hic generatim de omnibus cogitamus, quæ præter verum & summum bonum in statu peccati æstimantur, desiderantur & in deliciis habentur, sive sint per se turpia, ut peccata, sive apparenter bona, ut divitiæ, honores, voluptates, amici, vita ipsa. Hæc omnia *populo* & *domo patris* comparari possunt 1) quia eorum amor per peccati originalis labem agnatus: 2) quia perversæ naturæ carissima: 3) quia multorum in eodem vesano falsorum bonorum appetitu conspiratio est.

XI. Sed specialiori sensu hæ voces sumi possunt. *Populus tuus* non raro ii sunt, quibuscum in communione non tantum civili, sed etiam Ecclesiastica vivis, eorundem sacrorum particeps, ejusdem cultus studiosus. Vide Ruth. I, 16. Esth. VIII, 6. Jes. LX, 21. &c. Talis *populus* Ecclesiæ, ante desponsationem cum Messia, est aut Judaismus carnalis, aut Gentilismus, aut Antichristianismus.

Populus est, quacum in communione Ecclesiastica vivitur.

XII. Nec longe differt *domus patris*, nisi quod per *populum* communio cum præsentibus, per *domum patris* etiam cum iis, qui præcessere, supponatur. Quod ut evidens sit, non admittendos existimo, qui per *Patrem* hic Deum ipsum intellexere, ut *domum Patris* ad solum templum Hierosolymitanum restringant. Nam hic *Pater* directe opponitur ei, cujus *Filia* Ecclesia per desponsationem cum Messia fit, & esse perhibetur v. 14. Propius ad rem accedunt, qui cum *Arnobio* in h. l. Adamum peccatorem intelligunt. Ego simpliciter cum *Basilio* & *Hieronymo*, quos doctissimus Jurisconsultus *Heresbachius* & alii sequuntur, Diabolum intelligendum reor, *Patrem* omnium, qui Christo adversantur Joh. VIII, 44. Act. XIII, 44. 1. Joh. III, 8. Fundamentum hujus denominationis est in ipso proteuangelio, in quo *serpenti semen* tribuitur Gen. III, 15. Quod tam evidens, ut non opus sit conjectura *Steph. le Moyne* Var. Sacr. T. II. p. 460. qui allusum putat ad

Pater pristinus Ecclesiæ fuit Diabolus.

Semen serpentis impii, quod fabulæ Judaicæ ansam dedit.

Landesbibliothek Oldenburg

iſtam ſententiam, qua Judæi quosdam ex Diabolo & Eva procreatos liberos exiſtimarunt. Quamvis non dubitem fabulam Judaicam de ſpirituum fæmellarum cum Adamo & maſculorum cum Eva commixtione ex eadem hac phraſi originem traxiſſe, quæ fabula prolixius enarratur ibid. p. 457. ſeq. Confer *Saldenum* Ot. Theol. lt, 6 §. 12. *Hackſpanium* Syllog. p. 238. ſq. & alios. *Patris* certe nomen Diabolo ex κακοζηλίᾳ Dei adeo in deliciis fuit, ut nullum communius idolis gentium tributum ſit: de qua re infra Exerc. XII. §. 5. quædam notantur. Satanas impiorum *pater* eſt: 1) quia primus eſt in ordine omnium creaturarum rationalium, quæ peccato ſe inquinarunt. Unde ſicut Jabal Paſtorum *ſtabulantium in tabernaculis* & Jubal *pulſantium cytharam & organum pater* dicitur Gen. IV, 20, 21 ita Diabolus omnium peccatorum *pater* dici poteſt. 2) quia impiorum Doctor eſt, intellectum eorum falſis præjudiciis & erroribus obtenebrans 2. Cor. IV, 4. 3) quia eorum Princeps eſt, cujus voluntatem implent, & bella gerunt Joh. VIII, 44. Patris autem nomen Doctoribus & Principibus competere notum eſt. 4) quia imagine ſua imbuti ſunt, tenebras amantes, lucis oſores, unde opera eorum *opera Diaboli* 1. Joh. III, 8. Omnia vitia, quæ in Diabolo notantur, ſuperbia, inimicitia Dei, hypocriſis, fallacia, homicidium, mendacium &c. ſimiliter ab iis amantur. 5) quia ejus hæredes ſunt, ſtipendium mortis apud eum merituri, & in eundem ignem cum eo conjiciendi.

Rationes cur Satanas ſit Pater impiorum.

XIII. Habet autem infernalis hic pater *domum* ſuam. *Domum* pro familia poni ex ſacris ad hunc locum probavit *Geierus*. Ex *Euripide* quoque exempla addidit *Pfochenius* de ſtylo N. T. editionis Rhenferdianæ p. 216. Poteſt ergo per *domum Diaboli* intelligi tota illa genealogia impiorum, quæ genealogiæ ſanctæ ab ipſis mundi incunabulis contraria fuit. Typice hæc familia a Caino cœpit, & per eos, qui Gen. VI, 2. *filii hominum* dicuntur, propagata eſt. Quod ſine dubio anſam dedit traditionis in Oriente olim vulgatæ, cujus *Eutychius Alexandrinus* mentionem facit. Verba ejus Annalium

Domus Diaboli deſignat familiam impiorum ab origine mundi propagatam.

Traditio de diviſione inter Sethi & Kaini poſteros.

p. m.

p. m. 19. 20. ex versione Cl. *Pocockii* hæc sunt : *Post mortem autem Adami subduxit se familia Sethi a familia Kaini maledicti. Seth ergo , assumtis secum filio primogenito Enoscho & Kainano Enoschi f. & Mahliele Kainani , una cum uxoribus & liberis ipsorum , traduxit in montis fastigium &c.* & paucis interjectis : *Cumque jam appropinquaret Sethi mors , filios suos per Abelis sanguinem adjuravit , neminem ex ipsis de monte isto sancto descensurum , nec permissuros se , ut quispiam e liberis suis ad Caino maledicto prognatos migraret.* Eadem tradidere *Patricides & Elmacinus* , quorum verba excerpit *Hottingerus* Smegm. Orient. lib. I. c. 8. §. 3. quam narratiunculam quomodo *Nauclerus* in gratiam Pontificiorum interpolarit, ostendit Chr. *Schotanus* Bibl. Sacr. T. I. p. 37. Sed missis his notandum , *familiam* Diaboli post diluvium primo per ethnicismum, dein per ipsum degenerantem Judaismum propagatam : & cum detrimentum non exiguum per prædicationem Evangelii pateretur, successionem hujus familiæ in Antichristianismo Paganizante atque Judaizante stabilitam esse. Quin sensu emblematico triplex hæc iniquitatis successio *domus* Satanæ dici potest , quia sicut ibi *domus Dei* est, ubi Deus efficaciter operatur, ita ibi est *domus Satanæ*, ubi Satanas opus suum in filiis tenebrarum habet. Ejus habitatio sunt corda infidelium, sicut Deus domum fixit per Spiritum in cordibus fidelium. De tali domo mystica Diaboli in Judaismo agitur Matth. XIII, 43-45. & in Antichristianismo Apoc. XVIII, 2. qui κατοικητήριον δαιμόνων. Illius regnum palatio seu ædificio comparatur Matth. XII, 29. quod a Christo & ministris ejus expugnandum. Addi potest , proprie dictas quoque in singulis successionibus *domos* fuisse , in quibus infernalis hic pater aut aperte aut indirecte cultus est. Tales *domus* erant in gentilismo templa idolorum. Talis ipsum aliquando templum Judæorum per profanationem eorum evasit , utpote transmutatum in *foveam latronum* Matth. XXI, 13. Et *domus Judæorum* sæpe nuncupatur Ps. LXIX, 26. Zach. XI, 3. Matth.

Domus Satanæ mystice sunt corda infidelium in quibus operatur.

Porro templa falso cultui destinata ejus domus sunt.

XXIII, 38. videlicet, quia Deus eam pro ſua agnoſcere amplius non dignabatur. Nec deſunt idololatricæ *domus* Antichriſtianismi, cujus idolum *Deus Mauſim* i. *fortalitiorum* nuncupatur Dan. XI, 38.

Natura præceptæ oblivionis deſcribitur:

XIV. Quando horum omnium OBLIVIO præſcribitur, 1) præſupponitur ſtatus naturæ, in quo Eccleſia fuit, antequam ad communionem Filii Dei vocabatur. *Oblivi ſcimur* enim earum rerum, quas antea æſtimabamus & poſſidebamus. 2) Actualis deſertio injungitur, conjuncta cum contemtu rerum, quæ antea magni æſtimabantur. Sic Priamus ad Sinonem apud *Virgilium* Æn. II. 141.

- *Amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos.*

Ubi *Servius* ait: *Obliviſcere quidam pro contemne & neglige.* Eodem pacto in exordio ſeriæ converſionis contemtim habentur prærogativæ carnis qualescunque antea poſſeſſæ. 3) Quam perfecta hæc deſertio eſſe debeat, indicatur. Nec enim *obliviſci* penitus rei deſideratæ & æſtumatae poſſumus, niſi omnis ejus amor ita funditus ex corde exſtirpatus ſit, ut ne quidem ulla vel levicula cogitatione eam dignam eſſe cenſeamus. Patet ergo ſub *oblivione* pudorem, contemtum & odium totale includi. *Ita Paullus* ſe introducit, ut τὰ ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος Phil. III, 14. Hinc abnegatio ſui ipſius per *oblivionem* circumſcribitur a Chryſoſtomo Tom. VII. Homil. 2. ἀπαγορ. Ἀρνησις ἑαυτοῦ ἐστιν ἡ παντελὴς τῶν παρελθόντων λήθη, καὶ ἡ τῶν θελημάτων αὐτοῦ ἀναχώρησις. i. *Abnegatio ſui ipſius eſt perfecta præteritorum oblivio, & a cupiditatibus ſuis receſſus.* 4) Denique & conſtantia deſertionis innuitur. Res enim, cujus *obliti* ſumus, nunquam in animum redit. Ad talem oblivionem pertinet, ut *memores ſimus uxoris Lothi* Luc. XVII, 33. Confer IX, 62.

& indicatur, quousque ſe extendere debeat.

Hæc vero *oblivio* ad omnia ſe extendit, quæ per populum & domum patris deſignata ſunt. a) *Oblivioni* danda, quæcunque ad regnum tenebrarum pertinent per ſinceram converſionem Jes. LV, 7. 2. Timoth. II, 19. b) *Oblivione* ſepe-

sepelienda omnia bona falso apparentia & mere mundana, quatenus in bonorum loco habita & extra verum scopum, qui est gloria Dei, appetita sunt, præsertim si Deo placuerit, afflictiones Ecclesiæ immittere, quarum ratio exigit, ut omnia post tergum relinquantur Hebr. XI, 24-27. Matth. X, 37. XIX, 29. In quo facto natura *abnegationis sui ipsius* consistit. c) *Oblivioni* dandus in specie populus & domus Patris, quatenus in Ecclesiastica cum eo communione hactenus animæ periclitarunt. Atque hæc *oblivio* non est universalis omnibus sincere conversis, quod magni mercarentur hodierni Fanatici, sed tantum locum obtinet, quando cœtus, quocum hactenus consueverunt, qui divina vocatione a mundo separantur, in veritatibus fundamentalibus aberrat & Apostaticus seu idololatricus evadit. Merito ergo discessus a communione Judaismi inculcatur Jes. LII, 11. a communione Ethnicismi Cant. II, 10. a communione Antichristianismi, ut Babelis mysticæ Jes. XLVIII, 20. Jerem. L, 8. LI, 6. Apocal. XVIII, 4.

XV. Cum hoc postulato alterum indissolubili nexu cohæret, scilicet: וְהִשְׁתַּחֲוִי לוֹ i. ET ADORA EUM sc. *Regem Messiam.* Hebræorum הִשְׁתַּחֲוָה respondere Græco προσκυνεῖν & denotare gestum religiosum, summae venerationis indicem, quo totum corpus humi prosternebatur, aut saltem incurvato ad terram corpore, ei osculum dabatur, quique non tantum Diis, sed etiam Regibus Persarum exhibebatur, unde etiam ad alios populos fluxit, notatum abunde aliis. Videri possunt de hoc ritu *Saldenus* Ot. Theol. lib. III. Exerc. 1. §. 6. *Gomarus* op. Theol. p. 29. 30. *Pithœus* Adverss. lib. I, c. 7. *Brissonius* de regno Persar. lib. I. §. 15. seq. *Scacchus* prolixe Myroth. III. c. 34. seq. *Vitringa* in Apoc. IV. p. 254. 255. & sexcenti alii. Id unum addimus, nonnunquam fœminas similem venerationem exhibuisse Principibus, a quibus in conjugium petebantur, ut exemplo Abigailis docetur 1. Sam. XXV, 41. Merito ergo a Sponsa Messiae exigitur, & sequentia officia sub se com-

Adorationis gestus breviter describitur.

& docetur, quæ officia implicet.

comprehendit. 1) agnitionem ſummae ὑπεροχῆς, quam Meſſias ut Deus & Rex Eccleſiæ poſſidet, ad cujus ſplendorem mentis acies obſcuratur, omnesque naturæ vires debilitantur & proſternuntur. 2) agnitionem propriæ indignitatis & cum ea junctam profundiſſimam animæ humiliationem, quæ ſe *pulverem* & *cinerem* eſſe agnoſcit Gen. XVIII, 27. 3) exhibitionem honoris divini. 4) pleniſſimam traditionem in fidem illius, in cujus domum & familiam Eccleſia tranſit, ut ab eo protegatur & regatur, qui eſſentialis actus eſt ὁμολογίας fidei promiſſionibus datis credentis, amoremque & obedientiam ſpondentis. Unde patet non longe hoc emblema abludere ab eo, quod Exercit. V. §. 32. explicatum eſt. Hoc officium æque ac antecedens præſcriptum eſt Eccleſiæ relinquenti Judaismum Pſ. II, 11. 12. Pſ. L, 7. 14. 15. XCV, 6. gentilismum, Pſ. C, 1. 2. Jes. XLV, 23. Antichriſtianismum, Apoc. XIV, 7. Atque ita hic conjunguntur duo illa poſtulata *converſionis* & *fidei*, quæ proprie ad eſſentiam fœderis gratiæ pertinent.

Pulchritudo Eccleſiæ eſt ſpiritualis.

XVI. Cumque nihil magis curæ ſit Regi Eccleſiæ, quam ut populum ſpontaneum habeat, talia argumenta adduntur, quæ illam ſpontaneitatem prolicere apta ſunt. Prius hoc eſt: ויתאו המלך יפיך i. ET DESIDERABIT REX PULCHRITUDINEM TUAM. *Sponſa venuſtanda eſt, ut amabilis ſit marito*, ait *Gloſſa* in *Joma* c. 1. hal. 1. Non raro Eccleſiæ *pulchritudo* adſcribitur Cant. I, 15. IV, 1. 7. V, 9. 17. VI, 3, 9. VII, 6. Epheſ. V, 27. Sicut autem *pulchritudo* Sponſi, de qua Exercit. III. §. 3. ſeq. abunde dictum, ita & Sponſæ prorſus ſpiritualis eſt, in interna animæ qualitate, miſſis omnibus carnalibus cogitationibus, unice quærenda. Apud ipſos gentium Philoſophos de *pulchritudine* animæ haut pauca inveniuntur. Inter alia Socratis præclarum monitum fuit, quemque virtutis & honeſti ſtudioſum

Philoſophi pulchritudinem animæ laudare ſolent.

τὴν ἐαυτῦ μορφὴν ἐν κατόπτρῳ θεασάμενον εἰ μὲν καλὸς εἴη τὴν ὄψιν, ἀσκήσαι τοιαύτην εἶναι καὶ τὴν ψυχήν, ἄτοπον ἡγησάμενον ἐν καλῷ σώματι ψυχὴν αἰσχρὰν οἰκεῖν, εἰ δ' αἰσχρὸς αὑτῷ φαίνοιτο τὴν δ' σώ-

ματος

& ἰδέαν εἶναι, τοσῷδε μᾶλλον ἐπιμεληθῆναι τῆς ψυχῆς i. *suam ipsius formam in speculo debere conspicere, ut si forma bona sibi videatur, exerceat eam una cum animo, & faciat, quæ forma digna sunt: ut putet admodum absurdum esse, in pulchro corpore animum deformem continere: quod si deformis sit in iis, quæ corporis sunt, eo magis curandum sibi nitendumque, ut pulchritudinem animi consequatur. Lucianus* in Imaginibus: τῶν ἢ τῆς ψυχῆς ἀγαθῶν ἀθέατοι & εἰ. οὐδὲ οἶσθα ὅσον τὸ καλὸν & ἐκεῖνο ἐστιν αὐτῆς μακρῷ τινι ἄμεινον καὶ θειοτέρου τοῦ σώματος & i. *Sed animi dotes cernere non potes, neque nosti, quanta sit illa ejus pulchritudo, longe quam forma corporis præstantior & divinior. Plutarchus* apud *Stobæum* Serm. LXIV. τὰ μὲν γὰρ τῆς ψυχῆς καλὰ καὶ σωτηρίας ἐλπίδες εἰσὶ φρόνησις, εὐσέβεια, δικαιοπραγία, καὶ τὸ παιδείας εὐπρόσωπον κάλλος &c. i. *Animæ enim pulchritudines cum spe salutis conjunctæ sunt prudentia, pietas, justitia in actionibus, item disciplinæ aspectu egregia pulchritudo.* Quando ergo Ecclesiæ *pulchritudo* tribuitur, supponitur efficacissima animarum transformatio. Nam nullam formam natura homo habet, qua Deo placere possit, *sanguine* & sordibus obtectus Ezech. XVI. 4. 5. *Æthiopi* nigro & *pardo* maculoso similis Jer. XIII. 23. Hæc deformitas tollitur, quando peccatorum tum reatus tum macula sanguine & Spiritu Christi abluitur. Et e contrario splendidissima *forma* inducitur, quando anima perfecta justitia Christi tegitur, & deinde imagine Sponsi sui ornatur, eique & præcipue virtutum ejus exemplo similis redditur. Unde non male in h. l. *Jarchius*: אם תעשה כן יתאוה המלך הבה לנויי מעשיך: i. *Si ita feceris, desiderabit Rex, Sanctus ille Benedictus, pulchritudinem operum tuorum* (bonorum). *Clemens Alexandrinus* Pædag. lib. III. c. 11: Κάλλος ἄριστον, τὸ ψυχικόν· ὅταν ἡ κεκοσμημένη ψυχὴ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ τοῖς ἐκ τούτου ἐμπνεομένη φαιδρύμασι, δικαιοσύνῃ, φρονήσει, ἀνδρίᾳ, σωφροσύνῃ, φιλαγαθίᾳ τε καὶ αἰδοῖ, ἧς οὐδὲν εὐανθέστερον χρῶμα ἐώρακε πώποτε. i. *Pulchritudo optima animæ pulchritudo est, quando fuerit ornata sancto Spiritu, & iis, quæ ab eo oriuntur, ornamentis, justitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore & pudore, quo nullus*

Pulchritudo Ecclesiæ transformationem supponit, justitiamque & imaginem Christi involvit.

Landesbibliothek Oldenburg

lus color nitidior unquam visus est. Plura ex Patribus, huc spectantia excerpsit *Suicerus* in κάλλος. Illumque Ecclesiæ in melius mutatæ habitum *pulchritudini* comparandi non una est ratio. Nam 1) sicut *pulchritudo corporis* omnium membrorum ejus justam συμμετρίαν requirit; ita *pulchritudo* fidelium singulorum in omnium virtutum Christianarum amico concentu, Ecclesiæ vero universæ, in singulorum membrorum apta ad gloriam Dei promovendam dispositione & unione consistit. 2. Petr. I. 4-7. Ephes. IV. 15. 16. 2) Sicut *pulchritudo* externa habet aliquid, quod homini præ aliis præstantiam, eorumque admirationem, honorem, amorem conciliat, ita *justus præstantior est proximo suo* Prov. XII. 26. 3) Sicut *pulchritudo* sponsæ id est, quo oculi sponsi in eam figuntur, & desiderium ejus excitatur, ita nil magis Ecclesiæ affectum tenerrimum & constantissimum Filii Dei conciliat, quam cœptum in ea gratiæ opus.

Desiderium Messiæ metonymice designat

XVII. Hoc autem illud est, quod Psaltes diserte indicat, Messiam hanc pulchritudinem DESIDERANTEM seu in ea *sibi complacentem* introducens. De verbo התאוה præter Lexicographos accurate tractavit *Fesselius* Adverss. Sacr. VIII. cap. 1. Respondet τῷ חמד & signat quemcunque voluntatis *appetitum* ad possidendum rem pulchram, eaque fruendum. In Hithpahel appetitum vehementissimum exprimit. Quia vero talis *appetitus* animi in divinum Sponsum non cadit, metonymice potest sumi pro *summopere delectari, ardenter amare, in maximo pretio habere, arctissime uniri*, qui desiderii talis effectus esse solent. Tale quid hoc verbo indigitatur Eccles. VI. 12: *Cujus animus non destituatur ulla re, qua* יתאוה *delectetur.* Et hæc omnia in Messiam quadrant, ad exprimendum gratiosum modum, quo cum iis agit, qui postulatis fœderis ex animo subscripsere. 1) Amat Ecclesiam intense, ut maritus conjugem Eph. V. 25. *Amavit* cum vadimonium suspiceret & cum sanguinem effunderet: sed amoris hujus sui per Spiritum certiores facit eos, qui lubentes in fœdus suum transiere. Cant. II. 4-6. VIII. 3.

amorem intensum,

2) Vin-

2) Vinculum unionis cum Christo per Spiritum arctius indies contrahitur Joh. VI. 56. XV. 4, 9. Gal. II. 20. 3) Filius Dei in Ecclesia sibi complacet, & acquiescit, quia per opus gratiæ in ea cœptum scopum, quem intenderat, obtinuit, suarumque perfectionum gloriam manifestatam videt. Hoc sensu supra indicavimus, quomodo *per palatia* sive *in palatiis suis* Messias *lætificetur* Exercit. VII. §. 21. 4) Et propterea in maximo pretio eam habet, quod diligentissima custodia demonstrat. Jes. XLIII. 4. XLIX. 15, 16. 5) Denique thesauros gratiæ Messias in eam effundit, & hac ratione compensat exuberantissime, quicquid oblivioni dandum erat, pro populo terrestri communionem cum cœlitibus, pro domo naturali domum stabilem in nova Hierosolyma concedens. Matth. XIX. 28, 29. Confer locum Jes. LXII. 3, 4, 5. ubi hæc omnia conjuncta invenies. *Et eris corona ornatus in manu Jehovæ, & diadema regni in manu Dei tui. Non dicetur tibi amplius, deserta, & terræ tuæ non dicetur amplius, desolatio; sed tu vocaberis, voluptas meæ in ea, & terra tua, maritata. Nam voluptatem habet Jehova in te, & terra tua maritabitur. Nam ut habet juvenis virginem, habebunt te filii tui, & hilaritate sponsi super sponsa hilarabitur super te Deus tuus.*

arctum vinculum, complacentiam, tutam, compensationem.

XVIII. Hæc promissio maximi momenti esse debebat ad persuadendam Sponsam. Nam ita id præcise promittitur, ad quod obtinendum ex lege matrimonii conjux sancta remis velisque contendere debet: cujus est sollicite curare, *ut viro placeat* 1. Cor. VII. 34. Quocum convenit istud *Antipatri* apud *Stobæum* Serm. LXV. *Parentes non iniqui libenter concedunt, imo unicum hunc vitæ scopum & finem liberis suis servandum proponunt, ut suis conjugibus placere conentur, & præcipua benevolentia eos prosequantur, nempe filia maritum, filius uxorem.* Idem Serm. XXII. Θεανὼ, ἡ πυθαγορικὴ φιλόσοφος ἐρωτηθεῖσα, τί πρέπον εἴη γυναικὶ, τὸ τῷ ἰδίῳ, ἔφη, ἀρέσκειν ἀνδρί i. *Theano Pythagorica quærenti, quid deceret uxorem, respondit: viro suo placere.* Quanto magis omne punctum tulit Ecclesia, quando

Vis argumenti ad persuadendam Sponsam indicatur.

Sponſo cœleſti placere potuit? Porro ex hac promiſſione videt, nihil ſibi præſcribi, quam quo ſibi ipſi inæſtimabile lucrum comparare poteſt, quia conſtans Sponſi cœleſtis amor fidelibus æternæ felicitatis perennis fons eſt.

Titulus Domini Meſſiæ competit fatentibus Judæis.

XIX Æquitas poſtulati magis inclareſcit ex jure, quod Meſſias in Eccleſiam habet: כי הוא אדניך i. QUIA ILLE EST DOMINI TUI. *Dominus* eſt, qui dominium in alios exercet. Titulus, quem nec ipſi Judæi Meſſiæ denegant. Hinc *Salomo ben Melech* in Michlol Jophi & *Kimchius* ad Mal. III. 1. confitentur הארון הוא מלך המשיח i. *Dominus hic eſt Rex Meſſias.* Adde quæ congeſſit *Chriſt. Ben. Michaëlis* diſſ. de nominibus Chriſti §. 14. Dominium ejus in univerſas creaturas, ſed potiſſimum in fideles ſe extendit. Fundamenta ejus generalia apud alios videre eſt. Adeantur Cl. *VVitſius* in ſymb. Ex. XIII. & Celeb. *Roëllius* in Epheſ. p. 439. ſqq. Et certe in hoc nexu egregie competit Meſſiæ, quia 1) ut *Deus* 2) ut *Rex* 3) ut *Sponſus* vel *Maritus* in hoc cantico conſideratur. Hos enim ſingulos *Dominos* compellare adſuevit antiquitas. Deo per excellentiam non raro tribuitur, quin leviſſima mutatione in ADONAI inter nomina ſymbolica veri Dei locum occupat: unde ethnicorum *Adoneus*, *Adonis* &c. Confinis eſt ſignificatio בעל, quod in Oriente tam commune Diis fuit, & proprie *Dominum* deſignat. Conferri poteſt *Seldenus* de Diis Syris Synt. II. cap. 1. cum ſuo gloſſatore *Beyero*, *Voſſius* de idolol. lib. II. c. 6. *Fullerus* Miſcell. Sacr. lib. II. cap. 7. &c. *Mithræ* quoque celebris idoli Perſici nomen origine *Dominum* ſignificare exiſtimatur, de quo præter *Seldenum* & *Voſſium* citatos conſulantur *Briſſonius* de regno Perſ. II. p. 157. ſeqq. *Sponius* Miſcellan. I. 1. *Phil. a Turre* in Monumentis veteris Antii, *Hyde* Relig. Perſ. cap. 4. &. 19. *Relandus* diſſ. Miſcell. T. II. p. 197. ſeq. Et quamvis eruditiſſimus *Pearſonius* apud Græcos authores ignotum eſſe hunc titulum divinum exiſtimaverit, contrarium tamen ex *Pindaro* Iſthm. od. V. & *Athenæo* Deipnoſ. IV. c. 14. docuit elegantiſſimus *Author* Hiſt. Crit. Tom. I. p. 52.

1) quia eſt Deus. Domini nomen in ſacris & profanis ſcriptoribus Deo tribuitum.

53. Qui-

53. Quibus addi potest Inscriptio apud *Gruterum* 6. LXVIII. in qua occurrit ΚΥΡΙΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ & nummus apud *Harduinum*, in quo legitur Θεὸς μέγας Κύριος Σάραπις. Vide Celeb. *Cuperum* in notis in *Lactantium* p. m. 255. 256. Inde quoque est, quod potissima Deitatis nomina symbolica apud Hebræos videlicet יהוה, אלהים, אל, שדי &c. a Græcis interpretibus per κύριος vertantur. Merito autem Deo vero hoc nomen datur, quia supremus est Creator, Legislator & Judex, cujus divini honoris Messias indubie cum Patre est particeps. A Deo derivatum est ad Reges, præcipue in Oriente. Quam fuerit id apud Judæos fuerit, patet ex 1. Sam. XXII. 12. 2, Sam II. 5. IV. 8. 1. Reg. I. 13. 17. 31. IV. 17. Et quomodo ad alios populos, Græcos quoque, & demum Romanos fluxerit, docet laudatus Author Historiæ Crit. T. I. p. 55. seq. cui & scriptoribus ab eo citatis jungi velim *Bulengerum* Imp. Roman. I. 36. *Ursatum* Monum. Patavin I. 2. fol. 133. 134. Henr. *Norisium* Cenot. Pisan. p. 50. sqq. Istud tantum addo, quia maxime ad rem præsentem facit, ad ritum adorationis in Oriente hoc pertinuisse, ut eos, quos adorabant, *Dominos Deosque* salutarent. *Ammianus Marcellinus*, de Antonino, qui ad Saporem Persarum Regem transfugerat, verba faciens: *ab Ursicino*, ait, *agnitus, sublata tiara, quam capiti summo ferebat honoris insigne, dissiluit equo, curvatisque membris humum vultu pene contingens salutavit: patronum & DOMINUM appellans, manus post tergum convertens, quod apud Assyrios supplicis indicat formam.* Et *Martialis* lib. X. Epig. 22. blanditias divinorum honorum a Romanis ita ad Parthos ablegat:

Frustra, blanditiæ, venitis ad me
Attritis miserabiles labellis,
Dicturus Dominum Deumque *non sum:*
Jam non est locus hac in urbe vobis;
Ad Parthos procul ite pileatos,

2) *quia Rex est, nam Reges quoque Dominorum titulo gaudent.*

Domini nomen iis datum, qui adorabantur.

Et turpes, humilesque, ſupplicesque,
Pictorum ſola baſiate Regum.

3) *quia Maritus eſt Eccleſiæ. Mariti Domini.*

Quanto majori jure *Domini* titulus cæleſti Regi Meſſiæ, quem *adorare* Eccleſia debebat, tribuitur? Quoniam vero eundem Pſaltes ut Maritum introducit, non prætermittendum videtur, maritos quoque antiquitus *Dominos* compellatos fuiſſe. In ſacris hoc uſitatiſſimum, uti patet ex Gen. XVIII. 12. XX. 3. Judic. XIX. 26. Proverb. XII. 4. Hoſ. II. 16. Hinc eadem vox בעל, quæ *Dominum* deſignat, *maritum* quoque exprimit. Nec dubium, quin hoc fluxerit ex inſtituto Dei Gen. III. 16. ubi Deus Evæ dicit: *Erga virum tuum appetitus tuus eſto, & ipſe præeſto tibi.* Apud Judæos contractui nuptiali hæc verba ſolent inſeri, notante Cl. *de Dieu* Crit. Sacr. p. 757: הוי לי לאנתו ואנא אפלח ואוקיר ואון ואפרנס יתיכי i. *Sis mihi in uxorem, & ego colam & honorabo & alam & regam te.* Apud gentes idem fuit de jure maritiſenſus. *Euripides* in Oedipo:

Μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή. i.

Ingens imperium viro ſunt uxor & liberi. Et idem prudentem mulierem δυλὴν ἀνδρὸς nominat: in Medea vero maritum δεσπότην σώματος. In Andromache autem docet:

Τὴν ἡγεμονίαν τῶν ὅλων τὸν ἄνδρ' ἔχειν

i. *penes virum omnium eſſe imperium. Philemon:*

Ἀγαθῆς γυναικός ἐστιν, ὦ νικοστράτη,
Μὴ κρατεῖν εἶναι τὸν δρὸς ἀλλ' ὑπήκοον.

Bonæ matronæ eſt, Nicoſtrata, non imperare viro, ſed obedire. Hinc illud Didonis apud *Virgilium* Æn. 4.

– *Liceat Phrygio ſervire marito.*

Apud Romanos, quamvis *Domini* nomen valde exoſum fuerit, maritis tamen datum, uti notarunt *Hotmannus* de vet. rit. nupt. c. 23. *Pancirollus* Theſaur. Var. Lect. lib. I. c. 76. *Nonius*

nius *Marcellus* cap. IV. in voce *Dominus*. *Menagius* Amæn. Juris c. 25. *Almeloveen* Antiquit. e sacris Prof. p. 46. sq. Hinc uxores νεογάμοι subiisse *jugum* dicebantur *Brissonius* de ritu nupt. p. 48. 49. & *Barthius* Adversar. VI. 13. Ex quo fundamento fluat, & quousque se extendat dominii maritalis jus, JCtis discipiendum relinquimus. Prodiit post alios nuper Celeberrimi *Alex. Arnoldi Pagenstecheri* sylloge dissertationum, in quarum ultima Jure Naturæ nullum marito in uxorem imperium competere defendit. Ego quamvis agnoscam parum fundamenti in jure naturali inveniri, præcipue quando ad statum integritatis adsurgimus, post lapsum tamen ex lege positiva Gen. III. 16. modo citata *jus dominii* marito in uxorem datum & ab omni antiquitate inter moratiores populos recte exercitum esse, existimo. Habet tamen hoc *dominium* circumscriptos suos limites, quasi dicas Monarchico-Aristocraticum. Interea invictum pro *dominio maritali* argumentum est, quod Ephes. V. 22, 23. in hoc tertio Christus, ut antitypus mariti, introducatur: *Mulieres propriis viris subjectæ estote, ut Domino: quia vir est caput mulieris, sicut & Christus caput Ecclesiæ.* Et frustra vim hujus argumenti elidere Cl. *Pagenstecherus* conatur, quia verbum ὑποτάσσεσθαι ἀλλήλοις sine dubio Paulo heic idem est, quod Gal. V. 13. δουλεύειν ἀλλήλοις & Phil. II. 3. ἀλλήλους ἡγεῖσθαι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. Nil enim evidentius, quam explicatio hujus vocabuli, quæ 1. Petr. III. 5, 6. invenitur, ubi in ὑποτάξεως, quam Petrus præcipit, exemplum Sacra adducitur, ὡς Σάρρα ὑπήκουσε τῷ Ἀβραάμ, ΚΥΡΙΟΝ αὐτὸν καλοῦσα. Qui locus necessario a Viro Consultissimo conferri debuisset. Licet autem vs. 21. de subjectione mutua agatur, quam Christiana humilitas requirit, diversitas tamen subjecti exigit, ut strictiori sensu vs. 22. sumatur, cum præcepti sui hanc rationem Apostolus addat, quia *vir est caput mulieris.* Istud certum est, excellentissime spirituali Marito Ecclesiæ, teste Apostolo, *dominium maritale* competere, qui in omni emphasi est ὁ νυμφίος ὁ ἔχων τὴν νύμφην Joh. III. 29. quam phrasin cum בעל colludere notat *Hieronymus* ad Hos. II. 18. *Lingua*

Dominium mariti in uxorem in sacris fundatum esse contra quosdam Ctos evincitur.

Joh. 3: 29. illustratur.

gua Hebræa & Syra בעל *interpretatur* ὁ ἔχων *id eſt habens, & apud utramque gentem uxores viros ſuos vocant* Baali, *id eſt vir meus: quod intelligitur* habens me, *& eſt ſenſus, qui habet me in conjugio.* Colludit egregie huic phraſi illud *Menandri* de uxore:

Τὸν ἔχοντα παύεται ἐθεραπεύσεν ἐπιμελῶς.

i. *Poſſidenti ſe* (marito) *inſerviit diligenter.* Cur autem Meſſiæ *dominium maritale* tribuatur, facile poteſt *deprehendi.* Eſt enim hoc *dominium* mite & jucundum, eandemque rationem *dominium* Chriſti in Eccleſiam habet, quia *jugum ejus ſuave & onus leve eſt* Matth. XI. 30.

In plurali Meſſias Domini vocatur tum ob emphaſin tum ob myſterium Trinitatis.

XX. Quod vero in textu ſacro pluralis heic adhibetur, id ex Hebræorum uſu fluit, qui *nomina appellativa, quæ dominium notant, ex proprietate linguæ ſanctæ, numero plurali pro ſingulari efferunt.* Ita habet canon 25. apud *Glaſſium* Philolog. Sacr. lib. III. Tract. I. Confer exempla, quæ & ille & *Geierus* in h. l. adduxere. Miror tamen, utrosque omiſiſſe Mal. I. 6: *Si* אדונים *Domini ego, ubi timor meus?* qui locus hic neceſſario conferendus, quia ibi titulus *Dominorum* Deo tribuitur. Nec dubito reſpectum eſſe ſimul ad myſterium Trinitatis: quo & nomen plurale divinum אדוני referendum. Quamobrem vero aliquando ſingulis perſonis SS. Trinitatis nomen plurale tribuatur, oſtenſum Exerc. VI. §. 3.

Emphaticum eſt pronomen הוא.

XXI. Strictius hic titulus Meſſiæ appropriatur per particulam הוא, quæ tantam emphaſin interdum habet, ut a Judæis inter nomina divina referatur. Hinc proverbium apud Judæos: הוא שמו ושמו הוא: *ILLE eſt nomen ejus & nomen ejus eſt ILLE.* Abſconditam eſſentiam & infinitatem Dei per id indigitari docet prolixe *Tykunim Zohar* apud *Rittangelium* lib. Jetzira p. 162. ſq. Adde *Cappellum* Comment. p.m. 23. Quin ita Cabbaliſtæ hoc pronomen uſurpant, ut per id cum EGO & TU collatum ipſum Trinitatis myſterium videatur ab iis deſignari. *Ego* Patrem, *Tu* Filium, *Ille* Spiritum Sanctum reſpicere mul-

Judæi id ita inter nomina Dei retulere, ut ſimul ad myſterium Trinitatis alluſerint.

Landesbibliothek Oldenburg

multis videtur. Confer Cl. *Edzardum* in Berachot c. I. p. 219. seq. Sed ipsum quoque Filium per voculam הוא ILLE potuere Judæi veteres intendisse, qui in Codice *Succa* cap. IV. §. 5. voluerunt Hosanna ita acclamari: אני והו הושיעה נא i. *Ego & Ille, salutem præsta nunc:* ubi *Cl. Altingius* & Cel. *Vitringa* in Apoc. p. 412. latitare mysterium Trinitatis agnoscunt. Respicitur in hoc Judæorum more sine dubio emphatica Dei contestatio Deut. XXXII, 39. ראו עתה כי אני אני הוא ubi mysticum aliquid subesse, & præcipue voculam הוא non merum pronomen esse, sed etiam divinam præstantiam & perfectionem innuere, facile perspicitur. Ad emphaticum pronominis hujus de Deo usum quidam Patres retulerunt istud 2. Reg. II, 14. ubi rogat Propheta Elisæus: איה יהוה אליהו אף הוא. quod a LXX. redditum est: πῦ ὁ Θεὸς ΗΛΙΫ ἀφφώ. Patres ignorantia Hebrææ linguæ ducti in vocem ἀφφώ varia glossati sunt, uti conspicere est apud *Suicerum* Thes. Eccles. T. I. p. 498. Præcipue secundum *Suidam* & *Theodoretum* significavit ὃ ἀποκρύφως, ἢ ὃ ἀποκρυβέντα. Rationem hujus glossæ inquirit *Heinsius* in præfat. Aristarchi. An tamen heic Aristarchus fuerit, merito *Suicerus* dubitat. Ego si quid video, nihil aliud ansam hujus interpretationis bonis Patribus dedit, quam cabbalistica πῦ הוא explicatio, quæ forte jam tum temporis invaluit, & quam ex citato *Jetziræ* loco discere in promtu est. Ibi enim הוא ita explicatur, ut designet: אנת סתים על כל סתימים · לית מחשבה תפיסה בך כלל i. *Tu es absconditus omnium absconditorum: nulla mens te omnino comprehendere valet.* Et fundamentum hujus explicationis, quod præstruitur, illud est, quod הוא sit dictio, quæ de absente usurpatur, qui, quatenus non videtur, occultus est. Quamvis enim hæc meditatio non valde solida videri possit, in promtu tamen fuit Patribus, aliquid fando de ea audivisse, quod pro more in usum suum convertere studuerunt. Habet quoque Græcorum αὐτὸς suam emphasin ad aliquam excellentiam & distinctionem designandam, de qua actum a Gisb. *Voetio* Disp. Sel. T. I. p. 449. 450. Is. *Casaubono* ad Theoph.

De vocula Απφω nova conjectura proponitur.

Αὐτὸς apud Græcos emphaticum.

Charact. c.3.p.m.120.121. Ez *Spanhemio* & Lud. *Kuſtero* in Ariſtoph. Nub. v.219. *Eraſmo* Chil.ll.Cent.5.Adag.87. Apud *Suidam* eſt αὐλὸς ἀντὶ τοῦ ὁ δεσπότης. In *Etymologico Magno* notatur, vocem αὐλὸς ſignare tum τὸν μόνον, tum τὸν κατ' ἐξοχήν. Quod pleno jure obtinet, quando הוא Hebræorum de Deo uſurpatur. Præcipue tamen hæc vox nominaſcere ſolet, ubi de Filio prædicatur. Ille enim præciſe loquitur in citato loco Deut.XXXII. Et ſimiliter Pſ.CII,28. ואתה הוא *Et tu es ILLE*; quod non tantum per αὐλὸς vertitur, ſed etiam ad Filium applicatur Hebr. 1,12. Ipſe eſt הוא quoad eſſentiam, quia æque ac Pater independens, ſumme perfectus, unus, tantæque eſt excellentiæ, ut ea neque voce exprimi neque mente comprehendi poſſit, & dignus interea, qui agnoſcatur & colatur, quæ omnia his tribus literis involvuntur. Maxime autem quoad opus mediatorium dici meretur הוא quia in eo manifeſtatur, tanquam vere unus, omniſufficiens, admirabilis, ſupremus Magiſter & Dominus, perpetuum fidei, amoris & cultus objectum, quem ſemper laudare Eccleſia cupit, quamvis nunquam pro merito poſſit. Similis ferme emphaſis in זה Cant. V,16. *Hic eſt dilectus meus, & hic eſt amicus meus, filiæ Jeruſalem.* Solus enim Meſſias in ſolidum meretur corde, lingua, operibus, non tantum *digito monſtrarier*, HIC EST. Quare Patres in deſcriptione divinæ excellentiæ Filii compoſita ex αὐτὸ amarunt. Hinc dictus eſt αὐτολόγος, αὐτοζωὴ, αὐτοσοφία, αὐτοκαλὸν, αὐτοαγαθὸν, & ſic porro. Quin & αὐτόθεος, apud *Epiphanium* Hæreſi 77. ὁ Θεὸς λόγος ἐν ἑαυτῷ ἔχων τὴν πᾶσαν τελειότητα, αὐτοτέλειος ὢν, αὐτόθεος ὤν, αὐτοδυνάμεις, αὐτοσοφὸς i. *Deus Verbum in ſe ipſo omnem habens perfectionem, IPSE ſive PER SE perfecte exiſtens, IPSE DEUS, IPSA Potentia, IPSA mens, IPSA lux.* Adiri poſſunt *Suicerus* & *Pearſon* in Symbol. p.m.68. ſeq. Vim hujus compoſitionis docet *Suidas* ajens: Ἐν ᾧ γὰρ τὸ αὐτὸ, ἐν τούτῳ μάλιστα καὶ ἀκριβέστερον. i. *In quo enim ineſt hoc* αὐτὸ, *in eo etiam ineſt id, quod maximum & accuratiſſimum eſt.* Heic ſine dubio id intenditur, ut aſſeratur, illam perfectionem omnem

Filius Dei הוא *dicitur.*

Similis vocula זה *emphaſis.*

Filius dictus a Patribus αὐτόθεος.

Landesbibliothek Oldenburg

omnem in solidum Messiæ competere, quæ a *Domino* Ecclesiæ requiritur: adeoque simul excludantur omnes dictitii *Domini*, qui non *sunt* id, quod videri volunt. Tales in Ecclesia Judaica fuere *multi* illi *Domini*, quibus *unicus Dominus Jesus Christus* opponitur 1.Cor. VIII, 5. 6. Talis in Ecclesia Antichristiana est homo peccati, qui quamvis pro marito & Vice-Domino Ecclesiæ se venditet, *mœchus* est, Jes. LVII, 3.

XXII. Denique per affixum TUI declaratur jus, quod Messias habet, *dominium maritale* in Ecclesiam exercendi. Fluit id ex quadruplici fonte. Matrimonia olim contrahebantur authoritate paterna Genes. XXIV, 3. XXVIII, 1. In priori loco Abrahamus de nuptiis filii Isaaci, in posteriori Isaacus de nuptiis Jacobi disponit. Et sanctus hic mos apud antiquissimas gentes fuit. Sic Achilles apud *Homerum* Iliad. IX. recusat uxorem ducere, quam pater suus Peleus ei non desponderat. Ita enim v, 280. sq. ait:

Dominii Messiæ in Ecclesiam jus ex quadruplici fonte fluit: 1) ex authoritate & dispositione Patris sui cœlestis:

κούρην δ' ἐ γαμέω Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο,
Οὐδ' εἰ χρυσείῃ Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι,
Ἔργα δ' Ἀθηναίῃ γλαυκώπιδι ἰσοφαρίζοι.

Et paucis interjectis:

Ην γὰρ δὴ μὲ σώωσι θεοὶ, καὶ οἶκαδε ἵκωμαι,
Πηλεὺς τὴν μοι ἔπειτα γυναῖκα γαμέσσεται αὐτός. i.

Filiam autem non ducam in uxorem Agamemnonis Atridæ, nequidem, si cum aurea Venere pulchritudine certet, operibus autem Minervæ cæsiæ par sit. Si enim me servent Dii & domum perveniam, Peleus mihi tunc uxorem desponsabit ipse. Eodem respicit Hæmon, quando apud *Sophoclem* Antigones v. 658. sq. ad Patrem Creontem ita fatur:

Ἐμοὶ γὰρ ὑδεὶς ἀξίως ἔσω γάμου
Μείζων φέρεσθαι σὸς καλῶς ἡγημένος.
κρ. Οὕτω γὰρ, ὦ παῖ, χρὴ, λαβὼ σέρνων ἔχειν
Γνώμης πατρῴας πάντ' ὄπισθεν ἐσάναι i.

Nullas enim nuptias merito anteferam tibi recte ducenti. Cre.

Sic oportet, fili, ſentire ex animo, paternæ voluntati omnia poſtponenda eſſe. Confer *Pfeiferum* Antiq. Græc. lib. IV. c. 4. *Feithium* Antiq. Homer. lib. ll. c. 13. Et quam æqua ſit hæc poteſtas patris, docent *Briſſonius* de jure connub. p. 226. ſq. *Hotmannus* de rit. nupt. & matr. c. 3. Similiter Chriſtus ex Patris ſui cœleſtis authoritate Eccleſiam poſſidet, quam in teſtamento gratiæ Pater Filio addixit, Pſ. VIII, 7. XXII, 31. Jeſ. XLV, 23 & per Spiritum ei, uti olim Evam Adamo typico Gen. II, 22. adducit. 2) Erat & matrimonium per *emtionem.* Michal a Davide emitur præputiis Philiſtæorum 1. Sam. XVIII, 25. 27. Hinc querela puellarum apud *Sophoclem* in Tereo citante *Stobæo* Sermone LXVI.

2) *ex emtione per lytron ſanguinis ſui.*

Ὠθούμεθ' ἔξω, καὶ διεμπολώμεθα
Θεῶν πατρώων τῶν τε φυσάντων ἄπο. i.

Pellimur foras, atque divendimur procul a Diis patriis & parentibus. *Ariſtoteles* Politic. ll. c. 8. τὰς γὰρ ἀρχαίας νόμους λίαν ἁπλᾶς εἶναι καὶ βαρβαρικὰς· ἐσιδηροφορεῖντο τε γὰρ οἱ ἕλληνες, καὶ τὰς γυναῖκας ἐωνῶντο παρ' ἀλλήλων i. *Antiquas leges nimium rudes eſſe & barbaras; armati ſiquidem ferro incedebant Græci & uxores a ſe invicem emere ſolebant.* Emtionem talem apud Thraces, Babylonios & Aſſyrios itidem obtinuiſſe ex *Herodoto* lib. I. *Pomponio Mela* lib. II. c. 2. & aliis docet *Alex. ab Alexandro* Gen. Dier. lib. I. c. 24. Adde *Potterum* in Lycophr. v. 549. Cumque Jacobo non ſuppeteret pretium, quod ſocero Labani pro filia redderet, ſeptenni ſervitute iſtud compenſavit Gen. XXIX, 18. Er notum eſt a Judæorum magiſtris injungi, ut uxor per emtionem vel unius ſaltem nummi argentei acquiratur, adjectis verbis הרי את מקודשת לי i. *ecce tu mihi dicata ſis.* Conſule *Surenhuſium* Præfat. in Miſchnæ Tom. III. Et in *Maſſechet Kidduſchin* cap. 1. ubi *Bartenora* ex Deut, XXIV. 2. hoc ſtatutum elicere tentat. Summo ergo jure Chriſtus Eccleſiam ſibi vindicat, utpote pro qua lytron ſanguinis ſui Patri obtulit, & propter quam ſervus factus eſt Matth. XX, 28. 1. Petr. I, 18. 3) Non raro

raro belli jure Sponsa in manus Sponsi venit. Permissionem in hanc rem habemus Deut. XXI, 10-13. Et exempla multa mythica & heroica Græcorum tempora subministrant. Quin frequens erat apud varias gentes, pro obtinenda Sponsa certamen inire. Sufficient, quæ *Alex. ab Alexandro* l. cit. ex *Strabone* & aliis in hanc rem notavit: *Nonnunquam*, ait, *posita virgine in victoris præmium decertabant Indi, luctatione & pugnis, victorque præmium Sponsam abducebat. Idem apud Sacas extimas Scythiæ gentes: namque hi solebant pro Sponsa cum rivali pugnis decernere, victusque velut deformatus ignominia, pudibundus & mærens, in latebra degere & alterius aspectum lucemque vitare. Circa Mæotim gens est, Laxamatas vocant, apud quos virgo, nisi qui hostem confecisset, nuptui dabatur nulli. Et ex Carmanis uxorem ducebat nemo, nisi qui hostis caput ad regem detulisset.* Hæc ille. Nota sunt satis in fabulosa ætate Heroum pro desponsandis certamina, Herculis & Acheloi pro Deianeira, Persei pro Andromeda, & alia passim obvia. Atque hoc iterum jure Christus Ecclesiæ, ut maritus, imperat, quia eam ex potestate Diaboli potenti manu asseruit Jes. XLIX, 24. 25. Vidit hoc ipse *Pineda* de reb. Salom. lib. V. c. 2. 4) Efficacissima vero obligatio nascitur ex ipsis sponsalibus, per quæ Sponsa se Sponso in peculium tradit. Exemplum dat Abigail 1. Sam. XXV, 41. se tradens procis Davidis his verbis: *Ecce ancilla tua in famulam, ad lavandum pedes servorum Domini mei.* Coemtio apud Romanos, referente *Cicerone* in Topicis, hoc ritu fiebat: *sese in coemendo invicem interrogabant: Vir, an sibi materfamilias esse vellet, ubi illa respondebat, Velle: item mulier, an vir sibi paterfamilias esse vellet; ille respondebat, Velle. Itaque sic mulier viri conveniebat in manum: & vocabantur hæ nuptiæ per coëmtionem.* Apud *Achillem Tatium* de Clitophontis & Leucippes amoribus lib. V. ita legitur: ὀμνύομεν, ἐγὼ μὲν ἀγαπήσειν ἀδόλως, ἡ δ' ἄνδρα ποιήσασθαι· καὶ πάντων ἄσπερ ἄρχειν δεσπότην i. *juravimus, ego quidem, me illam perfancte amaturum: illa vero, me sibi conjugem adsciturum, rerum-*

3) *ex vindicatione per victoriam de Satana reportatam:*

4) *ex ipsis sponsalibus, in quibus se fideles Christo in peculium tradunt.*

rumque ſuarum omnium dominum habituram. Hoc quoque ex fonte Eccleſia meminiſſe debet, Meſſiam eſſe *Dominum* SUUM, quia in erectione fœderis gratiæ ſe ei deſponſavit & in peculium transſcripſit Jes. XLIV, 5.

Novum ad perſuadendum argumentum.

XXIII. Abunde ergo patet, quam vim hæc teſtificatio habeat, ut Sponſa perſuadeatur ad abnegationem domus patriæ & præcipue ad cultum fidei Meſſiæ præſtandum. Quid enim deneget ei, quem tot nominibus pro Domino ſuo agnoſcere debet? Non ſufficiebat hic dicere, *Domine, Domine,* Matth. VII, 21. ſed actu ipſo id demonſtrandum.

Nihil hic viribus liberi arbitrii conceditur.

Nec tamen ex his & ſimilibus conteſtationibus aliquid lucrantur liberi arbitrii patroni, quaſi hortationes tales locum non haberent, niſi vires aliquæ reſiduæ eſſent. Idolum hoc efficaciſſime corruit, quando genuina fœderis gratiæ & conjugii hujus myſtici indoles conſideratur. Heic duo tantum ἐν παρόδῳ notaſſe ſufficiet. 1) Nihil hic poſtulatur, niſi quod in aliis locis promiſſum eſt. *Tunc acuentur oculi cæcorum, & aures ſurdorum aperientur* Jeſ. XXXV, 5. *Mihi ſe curvabit omne genu, jurabit omnis lingua* Jeſ. XLV, 22. Talia poſtulata, quæ Deus ipſe ſe impleturum fidem dat, homini nihil dant, ſed efficaciæ Spiritus in electis omnia tribuunt. 2) Sermo hic eſt ad electos, ad eos, qui Sponſa ſunt, qui jam pulchritudinem habent, quibusque nihil amplius ad agendum reſtat, quam ut conceſſis bonis fruantur, & vim vitæ, quæ ex morte iis poſtliminio reddita eſt, impendant.

Implementum in N. T. & quidem in tripici periodo.

XXIV. Quare, ut brevibus implementum quoque indicemus, hæc ſunt illa poſtulata Evangelii, quæ in N. T. tum a Chriſto, tum ab Apoſtolis ſerio inculcata ſunt naſcenti Eccleſiæ & veris ejus membris Matth. X, 37. 38. XI, 29. 30. XVI, 24. Marc. I, 15. Act. II, 38. III, 26. Rom. X, 9. 10. Phil. II, 10. 11. Hebr. XIII, 13. 14. &c. Et certe obſequentem mandato huic Sponſam non ſemel in hiſtoria Eccleſiæ reperimus. Oblita eſt populi & domus patris ſui, quando Canaanem, Hieroſolymas, templum, omnesque prærogativas externas his locis annexas reliquit, bona omnia terrena

na vendidit, & ante urbis excidium ex ea profugit: quando in gentilismo non tantum Philosophorum & magorum dogmata, ritusque idololatricos, quibus ab antiquo inoleverat, excussit, sed etiam odio Principum, & periculo honoris, opum, vitæ & persecutionibus atrociſſimis se exposuit, nullisque suppliciis a confessione nominis Christi absterreri potuit: quando denuo jugum Pontificium confregit, prætensam Patrum, Constitutionum, Traditionum Ecclesiasticarum falsa antiquitatis specie incrustatarum authoritatem flocci habuit, & excommunicationum bruta fulmina, Inquisitionis stygium tribunal, omniaque crudelitatis exempla vilipendit. E contra Christum Salvatorem ut unicum cultus sui objectum constanter retinuit, & contra quoscunque nominis sui hostes, Judæos, Philosophos, Arrianos, Photinianos ejus divinitatem mascule defendit.

XXV. Quod vero toti Ecclesiæ injungitur, id singula ejus membra sibi quoque præscriptum esse meminerint. Hic est scopus totius prædicationis Evangelii, ut ad relinquendam domum peccati & homagium Christo præstandum peccator evocetur. Quare necesse est, ut quicunque suæ salutis certus esse vult, inquirat: an vocationi divinæ morigerum se præstiterit? an oculos ad videndum, aures ad audiendum acceperit? an sincero cordis affectu abjuraverit, quicquid in servitio peccati ei utile & jucundum fuit? an cultui unici Servatoris nostri se totum tradiderit? Nisi hoc modo fœdus gratiæ erectum est, omnis spes salutis vana est. Iis autem, qui in hæc vincula dulcissima transiere, nihil sanctius esse debet, quam ut actu ipso officia hæc impleant, quæ in se recepere. Non sufficit, exiisse ex populo improborum & domo Diaboli, *oblivisendum* quoque est penitus omnium falsorum bonorum, quibus antea inescata fuit anima. O utinam nunquam Sponsus noster cœlestis querelæ hujus ansam haberet: *An obliviscitur virgo ornatus sui? Sponsa eorum, quæ obligat sibi? at populus meus obliti sunt mei diebus multis!* Jerem. II, 32. Præcipue devorandæ patienter molestiæ, quæ sæpe ab amicis & cogna-

Eadem universæ Ecclesiæ officia singulis membris tum ad inquisitionem,

tum ad imitationem commendantur.

cognatis ii patiuntur, qui viam mundi tritam relinquunt. Enitendum eo, ut diſcrimen inter filios lucis & tenebrarum magis indies eluceſcat. Quicquid ogganniant, convitientur, illudant miſerrima Diaboli voluptatumque ſuarum mancipia, juvat iis diſplicuiſſe: ab iis proſcindi atque irrideri ſummus honor eſt illis, qui ſoli Chriſto placere quærunt. Quo deformiores videntur mundo, eo gratior eorum forma eſt Chriſto. *Nigra ſum, at decora ſum, o Hieroſolymitanæ: ſimilis ſum Scenitis Kedarenis, at ſimilis ſum aulæis Salomonis* Cant. I, 5. In hujus cœleſtis Sponſi *adoratione* toti ſimus. Honorem debitum ei exhibeamus, amori venerationem miſcentes. Humiliter ambulemus coram facie ejus, quia non tantum ut Sponſus amari, ſed etiam ut ſupremus Dominus ſuſpici vult. Ille compenſabit ex abundantia amoris ſui & divitiis gratiæ ſuæ, quicquid ejus cauſſa relinquitur & oblivioni traditur. *Quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, cauſſa nominis mei, centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure poſſidebit* Matth. XIX, 29.

EXER-

EXERCITATIO DECIMA.

DE

DE TYRI MYSTICÆ AD MESSIAM CONVERSIONE.

1. *Schema novum Pſalmi a domiductione petitum.* 2. *Analyſis.* 3. *Digreſſio de* Tyro myſtica. 4-7. *Spiritualem aliquam Tyrum, Antichriſtianiſmum, literalis antitypum in prophetiis immui probatur.* 8. *Parallelia indicatur:* primo, *quia urbs fuit.* 9. *Secundo, in nomine* צור, Rupes. 10. Tertio, *quia munita.* 11. Quarto, *mari cincta.* 12. Quinto, *pulchra.* 13. Sexto, *antiqua.* 14. Septimo, *filia Sidonis.* 15. Octavo, *idololatrica.* 16. Nono, *ſub Tyrannis.* 17. Decimo, *late imperans.* 18. Undecimo: *mercatrix.* 19. *Mercatores.* 20-22. *Populi, cum quibus commercia ſunt exercita.* 23-28. *Merces ſingulæ Tyri in ſacris adductæ emblematice explicantur.* 29. Duodecimo, *navigatione inclyta.* 30. 31. *Symbolum navium explicatur.* 32. *Nautarum genera illuſtrantur.* 33. Decimo tertio, *ſapientia præſtans.* 34. Decimo quarto, *Muſicæ dedita.* 35. Decimo quinto, *bellicoſa.* 36. Decimo ſexto, *peccaminoſa.* 37. Decimo ſeptimo, *judiciis Dei eruta.* 38. *Emphaſis præfixi.* 39. *Cur Eccleſia Antichriſtiana* filia Tyri? 40. Divites populi *ſunt Miniſtri Evangelii.* 41. *Quo ſenſu* ii faciem ſupplices orare *dicantur.* 42-44. Minchæ *ſeu* muneris *præcipue* veſpertini *in ultimis temporibus offerendi myſterium detegitur.* 45. *Implementum partim adhuc præ foribus.* 46. *Officia ad omnes ſpectantia.*

I.

THeatrum mutatur, & Epithalamiſtes, qui hactenus pulchritudinem Sponſi atque officia Sponſæ in præſenti deſcripſerat, futuros abhinc eventus perſequi incipit. Depingit enim, juxta hypotheſin Exercit. III. §. 1. confirmatam, in iis, quæ reſtant, fata notabiliora in epulis poſtremis ſive in fine feſti nuptialis N. T. exſpectanda. Præcipue alludit ad *domiductionem ſponſæ*, quæ nuptiarum coronis eſt. Unde *Maimoni-*

Schema novum in ſequentibus proponitur.

Alludit ad domiductionem Sponſæ.

monides Halach. Ishot cap. 10: אין ברכה חתנים עושה הנישואין אלא כנישה לחופה i. *Non benedictio Sponſorum nuptias perficit, ſed deductio in thalamum.* Mentio hujus ritus fit Deut. XX. 7. Tob. VII. 18. 19. Conſulatur de ejus in antiquitate Judaica veſtigiis Cl. *Seldenus* Uxor. Ebr. lib. II. c. 13. Apud Græcos idem obtinuiſſe docet *Pfeiferus* Antiq. Græcar. l. IV. c. 15. Et de Romanorum conſimili conſuetudine lectu digna notarunt *Joh. Chriſtfr. Sagittarius* Ot. Jenenſ. diſſ. 1. §. 79. ſqq. *Demſterus* ad Roſini Antiq. Rom. lib. V. c. 37. *Henelius* Ot. Uratisl. c. 38. aliique. Inſpiciatur & *Pineda* de reb. Salom. lib. V. c. 3. Inde idolum *Dei Domiduci* originem trahit, de quo *Auguſtinus* de C. D. lib. IV. c. 9. *Cum mas & fœmina conjunguntur, adhibetur Deus Jugatinus. Sit hoc ferendum. Sed domum eſt ducenda, quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus.* Varios hujus domiductionis ritus ad illuſtranda ſequentia notandi infra ſubnaſcetur occaſio. Cum autem hac ratione finirentur nuptiæ & conſummaretur matrimonium, ecquid aptius per hanc *domiductionem* adumbrabitur, quam colophon ille feliciſſimus viarum Dei in Eccleſia N. T. quem adhuc in fine ſeculi exſpectamus? Qua in hypotheſi, licet nova, non parum firmamur, quia Salvator noſter in parabola de decem virginibus Matth. XXV. 1-13, non obſcure ad hanc prophetiam videtur alludere, quæ tamẽ ſecundum nexum ad eadem poſtrema tempora referri debet.

Deus Domiducus.

Depingitur ſub hoc emblemate finis fatorum N. T.

II. Allegoriæ hujus concinnitas magis eluceſcit ex ordine, quem Vates noſter ſervat. Tria enim pertractat.

Ordo textus analytice indicatur.

a. Deſcribit præparationem ad hanc *domiductionem*, per invitationem *Filiæ Tyri*, ut pompæ huic ſe jungat v. 13.

b. Solennia ipſa domiductionis depingit v. 14-16.

c. De futuro conſummati hujus matrimonii eventu feliciter ominatur v. 17. 18.

De præparatione hac exercitatione diſpiciendum, in qua

α. Compellatur perſona invitanda: *Et* tu, o *Filia Tyri,*

β. In

β. Invitatio ipsa describitur, quam notabilem reddunt,

א. Personæ invitantes : *divites populi.*

ב. Modus invitationis :

aa. *Faciem tuam supplices orabunt.*

bb. *Per* vel *propter oblationem.*

III. Ut persona, quæ invitatur, eo clarius dignoscatur, pace lectoris, antequam verba ipsa aggredimur, præmittemus digressionem ad varia loca & emblemata Scripturæ sacræ explananda perutilem

Digressio instituitur de Tyro mystica.

DE TYRO MYSTICA.

Atque in hac ita procedemus, ut 1) evincamus potissimas, quas habemus de Tyro, prophetias non ad literalem Phæniciæ urbem referri posse, sed aliam quandam civitatem, illius antitypon respicere, quæ Roma est, cumprimis Antichristiana. 2) Ut accuratam inter Tyrum literalem & mysticam comparationem instituamus, ex qua ad oculum emblematis hujus elegantia & emphasis patescet.

IV. Nomen *Tyri* diversæ urbes in Phænicia gessere, sicut ex *Scylacis* Periplo p. 39. & 40. videre est. De ea tamen, quam nos præcipue respicimus, ita fatur: Εἶτα ἄλλη πόλις Τύρος λιμένα ἔχουσα ἐντὸς τείχους. Αὕτη δὲ ἡ νῆσος βασίλεια τυγχάνει, καὶ ἀπέχει σταδίους ἀπὸ θαλάττης γ'. i. *Inde alia urbs Tyrus cum portu, qui intra muros continetur. Hæc insula est Tyriorum regia, & abest a mari stadiis III.* subintellige *regia*, non insula ipsa, quod absurdum esset. Sequitur autem statim: Παλαίτυρος πόλις, καὶ πόταμος διὰ μέσης ῥεῖ. Unde patet, duas has urbes *Palætyrum* & *Tyrum* sibi valde contiguas fuisse. Quare apud *Ptolomæum*, *Stephanum*, aliosque inter se permixtæ, uti *Is. Vossius* in notis ad citatum locum observat. In Scriptura sacra idem fit, dum utræque hæ urbes uno nomine compellantur. Quod non adeo mirum est, quia licet initia atque exitus harum urbium haud paullo diversa fuerint, origo tamen eadem, idemque utrasque incoluit populus. Interea tamen negari nequit, potissimum

Distinguendum inter duas urbes Tyrum & Palætyrum, conterminas, quarum prior hic potissimum spectanda.

Landesbibliothek Oldenburg

in ſacris ad *Tyrum inſulanam* reſpici, quæ potior & conſtantior urbis pars fuit. De his, quantum ſatis, in parallelismo ipſo monebitur. Iſtud ſolum notetur in typo quoque Antichriſtianismi magis ad *Tyrum inſulanam*, quam ad *Palætyrum* reſpici. Aliquando in Prophetis de *Tyro* mere literali agi certum eſt Jerem. XXV. 22. XXVII. 3. XLVII. 4. Amoſ. I. 10. Pſ. LXXXIII. 8. Zach. IX. 3. Aliquando ſynecdochice ſumitur pro integro Gentiliſmo Pſ. LXXXVII. 4. Hoſ. IX. 13 quia excellens ejus pars fuit. Sunt tamen quædam de *Tyro* prophetiæ, quæ in literali nullo pacto implementum habere potuere, quæque propterea ſub typo hujus urbis Interpretibus doctiſſimis depingere ſtatum & fata Antichriſtianismi rationibus haut ſpernendis creditæ ſunt. Tales ſunt Jeſ. XXIII. Ezech. XXVI-XXVIII. & Joel. III. Ipſi Judæi heic aliquid typicum viderunt. Hinc in *Kad Hakkemach* fol. 48. col. 1. legitur:

Diverſæ ſunt prophetiæ, quæ de Tyro ſecundum literam explicari nequeunt. Ipſi Judæi id agnoverunt.

נחיב כאשר שמע למצרים יחילי בשמע צור וזה מפורש שבדמיון גאולת מצרים תהיה גאולתנו העתידה שהרי צור מלכות ארום היא לפי שהוא חסר ואומר צר כתיב ודרשו ז"ל כל צר שבמקרא חסר ויו במלכות הרשעה הכתוב מדבר וכל צור מלא בצור המרינה הכתוב מדבר; i. *Scriptum eſt* (Jeſ. XXIII. 5.) *Quando erit clamor Ægyptiis, terrebuntur ut clamore Tyri: quod ita explicatur, quod ſecundum ſimilitudinem redemtionis ex Ægypto futura noſtra redemtio inſtituetur, Nam ecce Zor ſignificat regnum Edomiticum* (i. Romanum) *quia Zor defective ſcriptum eſt. Et docuerunt Magiſtri noſtri b. m. quod ubicunque in Scriptura* צר *defective absque Vav cholem invenitur, Scriptura de regno impietatis loquatur, ubi vero plene Zor* (cum vav cholem) *invenitur, de urbe Tyro ſcriptura loquatur.* Eadem in *Bereſchit Rabba* aliisque ſcriptis Rabbinicis inveniuntur, quæ adduxit *Eiſenmengerus* Judaism. detect. P. I. cap. 17. p. 774. 775. In *Peſikta Rabbetha* fol. 32. col. 4. ut & ab *Abarbanele* in Jeſaiam *Rabbi Elieſer*, ut author adductæ regulæ laudatur; quæ tamen non ubique ſatis certæ eſſe recte Celeb. *Coccejo* videtur Comment. in Jeſ. XXIII. 1.

V. Ut

V. Ut a prophetia Jesaiæ inchoemus, non diffitemur, in ea ad varias *Tyriorum* res & fata alluſum eſſe, ſed cur in iis ſubſiſtere nequeamus, hæc *prima* atque invincibilis ratio eſt, quia multa occurrunt, quorum implementum in *Tyro literali* demonſtrari nequit. Hoſtes veritatis & religionis Chriſtianae id frequenter nobis objicere auſi ſunt, uti teſtatur *Hieronymus* Comm. ad Ezech. 26. cujus verba notatu digna: *Qui huic hiſtoriæ*, inquit, *contradicunt, ajunt ſe legiſſe Græcas & Phœnicum hiſtorias, maxime Nicolai Damaſceni, & alias Barbarorum, nihilque ſe inveniſſe ſuper oppugnatione Tyri civitatis a Chaldæis.* Ad quam difficultatem nihil aliud reponit, quam multa dici in Scripturis facta, quæ in Græcis voluminibus non reperiantur. Reſponſionem hanc plurimi hodienum Theologi ab Hieronymo mutuati ſunt, & inter alios Cl. Fr. *Burmannus*, cui videtur „quod hæ & ſimiles civitates emble„mata quidem eſſe potuerint myſticæ illius: non tamen id tol„lere, quin de ipſa Tyro ſecundum literalem ſenſum hæc quo„que intelligi poſſint, imo debeant, (NB.) *etiamſi ſingula„rum harum rerum implementum hiſtoriarum defectu indigitare „& oſtendere nequeamus.* Non video, quomodo ad hunc defectum provocari poſſit, cum a plurimis authoribus res *Tyriorum* non negligenter ſint annotatæ. Quicquid ſit, cum de duplici tantum expugnatione Tyri in monumentis antiquis mentio occurrat, altera per Nebucadnezarem, per Alexandrum Magnum altera, de neutra hic agi certum eſt. Expugnationem Babylonicam per Nebucadnezarem intra Palætyri limites ſubſtitiſſe ſtatim docebimus. Hic vero clare de *Tyro inſulana* agitur v. 2. & 6. Putat quidem Celeberrimus Vir, qui nuper doctiſſimo commentario illuſtrare Jeſaiam cœpit, cujus continuationem avidiſſime cum orbe Chriſtiano exſpectamus; hanc objectionem ex eo ſolvi poſſe, quod vox נ de *tractu maritimo* in genere uſurpetur. Nec tamen hoc pacto nodum ſolvit. Nam quamvis vox hæc latiori ſenſu uſurpetur, nullus tamen locus adduci poteſt, ubi, quamvis adjacen-

Prophetiam Jeſaiæ de Tyro literali non poſſe explicari, ſed de myſtica intelligendam eſſe probatur: 1) quia implementum in ea oſtendi nequit.

Non in expugnatione Nebucadnezaris, in qua Tyrus inſulana intacta manſit.

Landesbibliothek Oldenburg

Objectioni, quaſi non opus ſit Tyrum inſulanam apud Jeſaiam intelligere, obviam itur, Jeſ. 20:6. illuſtratur.

tes inſulis in oppoſito littore regiones ſimul אים dicantur, non primario innuantur proprie dictæ inſulæ. Patebit id facile inſpicienti loca ibi adducta. Et poſtquam hæc ſcripſeram, hactenus in eadem mecum hæreſi eſſe Celeb. *Relandum* Geograph. Sacr. Lib. III. p. 1050. 1051. lætor. Præcipue tamen urgetur Jeſ. XX. 6. ubi dicitur: *Et dicent incolæ inſulæ hujus: ecce ſic ſe habet reſpectus noſter, quo confugimus auxilii cauſſa, ut eripiamur a Rege Aſſyriæ; & quomodo evaſerimus nos?* Ego vero nihil inde firmamenti hypotheſi de *Tyro literali* accedere exiſtimo, quia per *inſulam illam* τὴν νῆσον dictam ipſam *Tyrum inſulanam* intelligo, quæ ſicut quædam urbes cum emphaſi nomine עיר, & quidam fluvii, ut Nilus & Euphrates cum emphaſi נהר, ita etiam cum emphaſi האי dici potuit ob eam, quam præ aliis inſulis habuit, præcellentiam. Et convenit ex amuſſi implementum, cum poſt fractas aliquantum *Tyri* per longam, quamvis fruſtraneam, obſidionem vires, Nebucadnezar Ægyptum ſub jugum miſerit, a qua tamen propter arcta inter *Tyrum* & Ægyptum fœdera, ad quæ vſ. 5. noſtræ prophetiæ alluditur, *Tyrii* levamentum & ultionem injuriarum exſpectare alias potuiſſent. Quare totam Phœniciam hic non opus eſt intelligere, niſi in quantum cum *Tyro* fœderata, quæ cumprimis poſtquam continentem Phœniciæ depopulatus eſſet Nebucadnezar, intacta manente inſula, omnium regnorum & regionum Phœniciæ primas ſi non tenuit, ſaltem primaria fuit. Quod vero *Kimchius ipſam terram Iſraelis* per *inſulam* intelligi putat, *quod ſit contermina mari*, frigidiuſculum mihi videtur, cum revera terra Iſraelis mediterranea fuerit, & vix exiguo angulo ad mare excurriſſe eam conſtet. Nec ullum ſimile exemplum talis notationis in ſacris occurrit. Dat quidem Vir meritiſſimus, & a quo non niſi cum præfatione debiti honoris diſſentio, *Tyrum inſulanam* jam temporibus Nebucadnezaris habitatam, ſed ita ut *navale* tantum, non pars primaria *Tyri* fuerit. Verum contrarium patet ex ipſis illis, quæ adduxit, *Scylacis* & *Menandri Epheſii* apud *Joſephum* locis. Prior enim in deſcriptione Tyri dicit: αὐλὴ δὲ ἡ νῆσος βασίλεια πόλις

Tyrus inſulana jam tempore Nebucadnezaris metropolis Regni fuit.

i. *ipſa*

i. *ipsa autem insula est regia Tyrii Regis.* Posterior perhibet, jam tempore Salmanassaris *defeciisse a Tyriis Palætyrum & multas civitates alias, quæ se Regi Assyriorum dediderunt.* Confer quæ de antiquitate Tyri insulanæ & templi Herculis in ea nos infra §. 13. monemus. Hæc sane tanta sunt, ut immerito Cl. *Perizonius*, Orig. Bab. pag. 82. aut *Menandrum* memoria lapsum, aut locum ejus depravatum prætendat. Quod cum eadem facilitate rejiciatur, qua ponitur, quis non clare inde perspicit, Tyrum insulanam jam tum metropolin Regni fuisse, quæ etiam Palætyro deficiente subsistere & florere perrexit? Ut jam taceam, difficultatem ratione LXX. annorum, quibus elapsis *Tyrus* dicitur reditura ad pristinum splendorem, quæ a subsistentibus in Palaetyri excidio, tolli nequit. Nam Palætyrus, quantum ex historia constat, nunquam resurrexit. Unde nec mercimonium ejus sanctum Jehovæ fieri potuit. Si ergo literalis sensus hic esset eligendus, implementum prophetiæ in expugnatione Alexandri M. esset quærendum. Sed quam pauca occurrunt, quæ in eam quadrant? Videntur quidem aliquid roboris habere, qui per terram *Chittim* vs. 1. Macedoniam intelligi autumant, quos tamen egregie refutavit Cl. *Bochartus* Phaleg. lib. III. cap. 5. Ipse per eos intellexit *Italos*. Nos infra statuimus, posse quoque insulas maris mediterranei Tyro oppositas intelligi. Quid vero illis cum expeditione Alexandri in Tyrum commune fuit? Aut quomodo Tyrii expugnati in *Tharsis* effugerint, v. 6. quæ secundum eundem *Hispania* & secundum *Bootium* Animadv. Sacr. IV. c. 4. speciatim *Tarteſſus* est, cum *Curtius* lib. IV. 4. indicet, præter quindecim millia furto a Sidoniis subducta reliquos omnes sævitia victoris absumtos esse? Ubi *septuaginta anni*, post quos Tyrus iterum emerserit & *cum omnibus regnis terræ scortata fuerit*, cum tantum splendorem nunquam recuperarit? Quo pacto mercatura politica *scortationi* comparabitur? Et quomodo *mercimonium ejus & quæstus ejus* facta sunt *sanctum Jehovæ, investimentum durabile* &c. v. 18. cum Christianissimo invalescen-

70. anni oblivionis & restitutio post eos in Palætyro non habent locum.

Multo minus prophetia impleta est in expugnatione Alexandri Magni.

scente res *Tyriorum* admodum mediocres fuerint, ipsique mature a Saracenis & Turcis subacti sint? Nam quod quidam de donis a *Tyriis* Hierosolymam post restauratum templum missis hic cogitant, frigidiusculum est: & recte heic *Hieronymus* fatetur: *haec secundum historiam necdum facta comperimus.*

2) *quia phrases ex hoc capite in Apocalypsi Antichristianismo applicantur.*

Secundum argumentum ex collatione Apoc. XVIII. potest exsculpi, ubi phrases ex hoc capite, praecipue ex v. 8. transferuntur ad describendum regnum Antichristianum, quod ipsum multos Viros doctos cætera pro literali sensu decertantes induxit, ut fassi sint, civitatem hanc praebuisse emblema avaritiæ, fraudis, scortationis & dominii in alia regna plane analogicum Romæ.

3) *quia hoc caput cum duobus sequentibus cohæret, quæ fata ultimorum temporum N. T. describunt.*

Cui addi potest *tertio*, non tantum, quod in vs. 18. bonum novi Testamenti describatur, ubi solum *comeditur ad satietatem*, sed etiam quod sequentia capita XXIV. & XXV. ita immediate cum hoc cohæreant, absque ulla distinctionis nota, ut non dubitari possit, de ejusdem urbis fatis agi. Jam vero clara utrobique vestigia vaticinii de tempore N. T. habemus. Unde alias c. 24: 14. *jubila a mari*, & v. 15. *glorificatio nominis Domini in insulis maris*, & v. 16. *cantiones ab ora terræ*? In c. XXV. autem, ubi ad ejusdem urbis ruinas epinicia cantantur, vs. 8. clarissime Apoc. XXI. 4. tranfertur ad describendum Ecclesiæ novissimae statum glorioſum. Quod filum sequendo non potest aptior nexus deprehendi, quam si c. XXIII. de prima concussione Antichristianismi per Reformationem, sequentia vero de speranda adhuc παναλετρία explicentur.

4) *quia in Tyro mystica accuratum implementum potest demonstrari. Difficultates aliæ a quibusdam motæ minoris ponderis sunt.*

Ut jam taceam *quarto*, accuratum singularum phrasium, quod demonstrari potest in Tyro nostra spirituali, implementum, cujus rei statim specimina quædam dabuntur. Quæ vero a quibusdam contra hanc hypothesin objecta sunt, præcipue a Cl. *Witsio* Miscellan. T. I. in diatriba de 7. Ep. Apocal. Joh. Fr. *Buddeo* de peccat. typicis §. 31. & aliis, ea tantum specialiores quaspiam Celeberrimi *Cocceji* vocum exegeses feriunt, a quibus quamvis in paucis dissentias, nihil tamen

inde

inde robori argumentorum, quæ dedimus, decedit. Et has ipsas quoque excusari posse, Cl. *Salomon van Till* abunde demonstravit in MS. Prophetiæ analysi, quæ fors propediem lucem adspiciet.

VI. Ezechielis vaticinium adhuc clarius Tyro mysticæ vindicari potest. Nam *primo* deficit penitus implementum in Tyro literali, quæ quantum ex historia constat, nunquam a Nebucadnezare expugnata, nedum funditus erura est. Oppugnatam ex *Philostrato* docet *Josephus* Antiq. lib. X. c. 11. per tredecim annos. Idem primo adversus Appionem ex Phœnicum historia hæc recitat: Επι Ιθωβάλε δ βασιλέως επολιόρκησε Ναβυχοδονόσορ τὴν τύρον ἔτη ιγία καὶ δέκα. μ τοῦτον ἐβασίλευσε Βαάλ ἔτη δέκα. μ τοῦτον δικαστὰς κατεστάθησαν i. *Ithobalo Rege, oppugnavit Nabuchodonosorus Tyrum annos tredecim. Post hunc Baal regnavit decem annis. Post hunc Judices constituti sunt.* Oppugnata ergo quidem, sed non capta & destructa, quia non interrupta hac expeditione mansit Regum *Tyriorum* successio. Et hoc confirmari potest ex ipso Ezechiele, ad quem verbum Domini c. XXIX, 18. factum est: *Fili hominis, Nebucadnezar Rex Babel copias suas exercuit labore magno apud Tyrum, omne caput decalvatum & omnis humerus depilatus: & merces non contigit ipsi & copiis ipsius ex Tyro, pro labore, quo functus est contra eam.* Putat quidem rem expedire *Abarbanel*, quando vaticinium in *Palætyro*, impletum esse censet. Eam enim dirutam & non reædificatam esse. Post expugnationem per Nebucadnezarem factam *Tyrios* in insulam se recepisse, ut in sedem tutiorem. Cui opinioni nollem faventiorem se exhibuisse Celeb. *Coccejum.* Duplici enim vitio laborat. Concesserim quidem *Palætyrum* a Nebucadnezare destructam. Et firmant conjecturam ruinæ veteris Tyri apud *Diodorum* l. XVII, & *Curtium* lib. IV, 2. *magnam vim saxorum præbentes* Alexandro ad oppugnandam *Tyrum insulanam.* Sed hoc nullum hic locum habet, cum Propheta evidenter de *Tyro insulana* vaticinetur, quæ in *medio mari* c. 26. 5. posita est, & c. 27. 4. in

Idem de vaticinio Ezechielis evincitur: 1) quia illius implementum in Tyro literali deficit. Tyrum insulanam a Nebucadnezare non esse expugnatam latius confirmatur:

sed tantum Palætyrum, quod Prophetiæ non satisfacit.

Landesbibliothek Oldenburg

corde marium termini ejus ponuntur. Confer v. 26. & cap. 28. 2. 8. Itidemque aperte falſum eſt, poſt Nebucadnezaris expeditionem in inſulam ſe *Tyrios* recepiſſe, quia ea longo jam ante tempore habitata fuit. Jacta ejus fundamenta unanimi fere conſenſu authores longe ante Salomonis tempora docent: & ad *Tyrum inſulanam Jeſaias*, qui tanto intervallo ante captivitatem Babyſonicam vaticinatus eſt, in adducta modo Prophetia plus ſemel alludit. Et quamvis quidam deſtructionem, quam *Ezechiel* deſcribit, a Nebucadnezare tantum inchoatam, ſed ab Alexandro M. conſummatam autument, ne ſic quidem ſatisfaciunt ejus vaticinio. Ecquando enim ea aut *nuda petra* facta eſt, aut *deſcendit in abyſſum & operta eſt aquis multis*? ſecundum c. XXVI, 4. 19. Quantum abeſt illud, quod v. 21 additur, a *Tyro* literali: *nebulas dabo te & non eris, & requireris & non reperieris amplius in ſeculum*? Adde c. XXVII, 36. XXVIII, 19. Nam quamvis poſt Alexandrum M. ad priſtinum ſplendorem nunquam reſurrexerit, reædificata tamen eſt brevi, ipſo Alexandro novos inquilinos in urbem migrare jubente, uti narrat Arrianus lib. 2. Ad quos coloni ante obſidionem Carthaginem miſſi, cum iis, quos Sidonii flammis eripuerant, confluentes breviſſimo temporis ſpatio tantum robur *Tyro* reddidere, ut anno a memorata clade decimo octavo Antigono potentiſſimo Aſiæ Regi quindecim menſibus reſtiterit. Antigono autem victo & interemto ejusque filio Demetrio a Seleuco capto, in Seleuci poteſtatem venit, magnumque conſtanter nomen ſub ipſis deinde Romanis ſervavit, de quare ex profeſſo egit Cl. *Noriſius* de Epoch. Syro-Macedonum diſſ. IV. cap. 2. 3. 4. Tempore *Hieronymi* fuit pulcherrima & nobiliſſima Phœnices civitas, ut ipſe dicit in commentario. Quum Chriſtiani regnum in Palæſtina obtinerent, fuit ſedes Archiepiſcopalis, cujus Archiepiſcopus *Wilhelmus Tyrenſis* eam deſcripſit lib. XIII. c. 3. Tantum abeſt, ut minæ hæ a Nebucadnezare Alexandrove impletæ fuerint. Nec ſufficit, quod *Hieronymus* reſpondet, *quod nequaquam ſit ultra regina popu-*

Exceptio eorum, qui putant innui deſtructionem a Nebucadnezare cœptam ab Alexandro M. conſummatam reſellitur.

Tyrus poſt cladem Alexandri denuo lacertos movit.

populorum, nec proprium habeat imperium, uti habuit sub Hiramo & cæteris Regibus, sed vel Chaldæis vel Macedonibus vel Ptolomæis & ad postremum Romanis servitura sit. Quam longissime enim hoc abest a phrasibus universalem & perpetuam deletionem spirantibus? Aliam elabendi rimam quærunt, qui cum Celeb. *Perizonio* Origin. Babyl. p. 364. 365. censent, denunciationes propheticas sæpissime aliquid hyperbolici habere, quod non ita ad minimam literam semper est exigendum, quodque ideo in hac re turbare adeo non debuisset Viros doctos. Liquere illud ex Ezech. XXX. & præcipue ex Jerem. L. & LI. ubi æque gravia Babyloni denunciantur, *Babylonem subversam esse, prout subversa est Sodoma & Gomorra: non habitaturum deinceps in ea quenquam hominis filium, nec jumentum; redigendam in acervos, in latibulum draconum &c.* Sed liceat mihi reponere, hyperbolas in dictione prophetica immediate a Deo inspirata, quæ revera aliquid falsi spirant, non posse statui, nisi omnem fidem verbi prophetici vacillare velimus. Quare ad eas confugere, tantum non est caussam relinquere. Nec pro talibus hyperbolis adducta loca militant. Ezech. XXX. in expeditione Nebucadnezaris contra Ægyptios accurate impletum est. Et nusquam in toto illo capite tam totalis & perpetua Ægypti deletio, ut hic Tyri prædicitur. Quod vero Prophetiam Jeremiæ attinet, fateor Viro Clarissimo: *Sudarent ibi Viri docti, si ad literam id de Babylone a Medis & Persis capta probare deberent.* Sed ea propter Viri δυνατοὶ in Scriptura prophetica eadem capita felicius ad Babylonem mysticam transtulere. Qui vero cum Celeb. *Scaligero* in elencho orat. Chronolog. putant *inexhaustam Dei misericordiam hinc elucescere, qui non semper clades immittit aut flagella, quæ per famulos suos Prophetas nationibus intentat*, næ illi sub specioso titulo prophetici sermonis veritatem hostibus produnt. Demus enim, quod Jerem. XVIII, 7, 8. Deus testatur: *aliquando loquor de gente & de regno, de avulsione & destructione & de perditione. Et si conver-*

Nec audiendi, qui hyperbolicæ dictionis Prophetam reum faciant.

Multo minus, qui statuunt, implementum necessum non fuisse.

vertatur gens illa a malo ſuo, quod locutus ſum contra eam, pœnitet me mali, quod cogitaveram ei facere. Et fateor exemplum harum viarum Dei in hiſtoria Jonæ dari poſſe. Sed aliud eſt, ore minas Dei intentare, aliud, in perpetuum Eccleſiæ uſum Prophetias ſcripto conſignare. Scopus enim, cur ſcripto conſignatæ ſunt, eſt ut Deus omniſcientiam ſuam, & decreti ſui inconcuſſam ſtabilitatem, & verbi ſui indubitatam divinitatem perhibeat. Quare non tantum gnorisma Prophetæ veri Deut. XVIII,22. datum exſpiraret, ſed & honori Sacræ Scripturæ male conſuleretur, ſi ulla rima adverſariis patefieret, qua fidem vaticiniorum dubiam reddere poſſent. Quæ omnis iis occluditur, ſervata hac in Prophetiis regula hermeneutica: *Omnis Prophetia, cujus implementum in ſenſu literali demonſtrari nequit, neceſſario ſenſum myſticum habere credenda eſt.* In concionibus propheticis, quæ ore tantum publicatæ fuere, liberior fuit Dei diſpenſatio, præſertim cum ea ſemper conditionem pœnitentiæ aut tacite incluſerint, aut expreſſam addiderint: cujus itidem pœnitentiæ apud *Tyrios* ne gry quidem reperitur, ſed potius memorantibus hiſtoricis vanitas, ſuperbia, crudelitas, ad extremam usque internecionem.

Argumenta potiſſima, quibus Tyrum inſulanam a Nebucadnezare expugnatam probabile fit, examinantur.

Celeberrimus Jeſaiæ Interpres, cujus hypotheſin de *Tyro literali* oppugnare, ſeries diſputationis me invitum cogit, duo potiſſimum agit, quæ noſtræ ſenrentiæ obeſſe videntur. Primo enim operoſe evincit, Ezechielem æque ac Jeſaiam *Palætyrum* continentis urbem potiſſimum reſpexiſſe: deinde vero etiam probabile facere contendit, quod ipſa *Tyrus inſulana* vi a Nebucadnezare capta fuerit. I. Quoad prius lubens fateor, *Palætyrum*, cum Nebucadnezar contra *Tyrum* moveret, non contemnendam Tyriæ magnitudinis partem fuiſſe, nego vero potiſſimam. Quare non mirum eſt, ad utramque partem *Tyri* alludi diverſis phraſibus. Certum eſt quoque, Tyrum inſulanam ex captura Palætyri non mediocriter afflictam fuiſſe; quæ tamen afflictio non fuit tanta, ut energia

phra-

phraſium propheticarum de excidio Tyri exhauriatur. Id cauſſæ noſtræ nihil officit. II. Magis officeret poſterius, ſi evictum eſſet. Sed nihil hic adductum video, quod perſuadere poſſit. Nihil ulterius probatur ex Ezechiele, niſi in genere *Tyrum* oppugnatam eſſe. De expugnatione nihil memoratur; Nihilque magis apud profanos ſcriptores. Iſtud unum aliquam ſpeciem habere poſſit, quod p. 699. putatur in Annalibus *Tyrüs* a *Joſepho* adductis ſupponi expugnationem hanc. "Docent enim (verba ſunt Viri doctiſſimi) illi "manifeſte, *Tyrios* ſub Imperio Babylonico Reges ſuos, & "quidem ortu *Tyrios*, accepiſſe Babylone. Sic exerte poſt "Balatorum: Τότε τελευτήσαντος ἀποστείλαντες μετεπέμψαντο Μέρβαλον ἐκ "τῆς Βαβυλῶνος. *Quo mortuo mittentes evocarunt Merbalem ex* "*Babylone.* Rurſus: Τότε τελευτήσαντος μετεπέμψαντο τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ "Ιρωμον. *Hoc mortuo accerſiverunt* (Babylone ſc.) *fratrem* "*ejus Hiromum.* Ex his vero certis purisque verbis Annalium "*Tyriorum* non id tantum colligo, Tyrios hoc tempore ſub- "fuiſſe Babyloniis, ac proinde ab iis fuiſſe ſubactos: ſed Tyrum "vi captam expugnatamque fuiſſe. Si enim per deditionem "veniſſet in poteſtatem Nebucadnezaris, Principes Domus "Regiæ & Proceres non fuiſſent abducti Babylonem." Quia hoc fortiſſimum hypotheſeos nobis adverſæ telum eſt, pauca monere neceſſum habemus. In genere negari nequit, potuiſſe Principum filios ut obſides Regi Babylonis eſſe traditos, quamvis Tyrus ipſa nunquam expugnata fuerit: potuiſſe Tyrios aliqua ratione Monarchis Aſſyriorum fide junctos fuiſſe, quamvis res ſuas ſibi ſervaverint. Æque ac poſtmodum ſecundum *Arrianum* Perſarum partes ſecuti ſunt, cum ab Alexandro infeſtarentur. Quin memorabile eſt, quod idem *Arrianus* lib. II. p 125. memoret, idem Tyrios per Legatos, inter quos ipſe Regis filius (ſine dubio pro more ejus temporis in obſidem fidei ceſſurus) Alexandro obtuliſſe, imperata facere promtos, ſed ut p. 127. additur: cæterum viſum eſt illis εἰς τὴν πόλιν μήτε τινὰ Περσῶν μήτε Μακεδόνων δέχεσθαι i. *neminem vel*

Præcipua inquiritur, an ex Joſepho poſſit probari, Tyrios poſt expeditionem Nebucadnezaris a Babylone Reges accepiſſe.

Græcorum, vel Macedonum in urbem admittere. Unde facilis est conjectura, quod ita cum præcedentibus Monarchis contrahere consueverint. Sed præterea inspicientibus *Josephi* adductum locum contra Appion. lib. I. p. 1046. ad oculum patebit, antequam Merbalus Babylone accerseretur, inter sublatam oppugnationem *Tyri* a Nebucadnezare, & Merbalum, diversos intercessisse Principes, Baalem, aliosque Judices, de quibus nihil minus dicitur, quam hoc. Soli Merbal & Hiromus frater ejus in catalogo Principum *Tyri* memorantur ex Babylone ad regnum accersiti. Si vero hoc consequens fuisset expugnationis *Tyri*, an probabile esset, in Regibus, qui proxime post expugnationem rem tenuere, idem non obtinuisse? Et si obtinuisset, an *Annalistæ Tyrii* non statim ab initio de hac re submonuissent? Annon ergo multæ aliæ caussæ intercedere potuere, ob quas hi fratres in aula Babylonica forte substiterunt? Annon post fractas Ægyptiorum vires, quibus antea potissimum *Tyrii* confisi erant, ii ultro fortunam increscentis Monarchiæ sequi potuere? Sed hæc nos historiæ silentium ignorare jubet. Cætera adducta loca ex vetustis historiæ *Tyriæ* scriptoribus magis pro nobis militant. Oppugnationis enim *Tyri* mentionem faciunt, quod heic in concesso est, sed ne unus quidem ex tota antiquitate expugnationis. Nec testimonium ex *Seder Olam* a Celeb. *Relando* l. cit. adductum nos morari debet. Non ita antiquus hic liber est, ut pro idoneo teste haberi possit. Et notum est in vulgus, quam parum in Historiis exoticis Judæis sæpe fidendum sit. Præterea non eversionem, sed *traditionem* tantum *in manus Nebucadnezaris* memorat, quocum convenit *Usserius*, qui An. 3432. *Tyrum* non vi captam aut prædæ expositam, sed certis conditionibus deditam conjectatur. *Petavius* probabile putat, *Tyrum a Nabuchodonosore minime fuisse subversam, sed deditione ac pactione tributi suis Regibus permissam*, quod fateor proxime ad verisimitudinem accedere & sufficere ad demonstrandam levitatem argumenti, quod oppu-

pugnavimus. Omnia tamen precario & non nisi conjecturis nixa, ea fini excogitatis, ut literali Prophetiæ sensui aliquis color imbueretur. Quin evidenter hæc effugia monstrant, Viros quamvis in hoc studiorum genere exercitatissimos nihil minus quam totalem *Tyri* eversionem in monumentis antiquis deprehendisse. Quam vero longe hæc absint a minarum propheticarum emphasi, nemo non perspicit.

Sicut autem eventibus Tyri cum Prophetia longissima intercedit dissimilitudo, ita *secundo* nihil minus, quam ipsa descriptio tum Regis, tum regionis quadrat. In descriptione Regis illa quoad literam intelligi nequeunt, quod se *Daniele sapientiorem* gerit & *pro Deo* venditat: quod *sanctuarium contaminavit*: quod in *monte Domini tanquam Cherub expansus*, qui & *inter lapides ignis ambulat*: quod *die nativitatis suæ sine macula* exstitit: quod sano sensu *circumcisus* fuit, cum *mors præputiatorum* in pœnam illi in comminatione proponatur. Nec magis ad regionem Tyri pertinet, quod *Eden* seu *hortus Dei* appellatur, nisi cum quodam Viro docto in confiniis Tyri paradisi situm quæras, quod leviſſimo tibicine fulcitum est.

2) *Abludit longissime a Tyro literali descriptio Regis & regionis.*

Accedit *tertio* authoritas Spiritus Sancti Apoc. XVIII. quamplurima ex hac Prophetia ad describendum casum Babylonis mysticæ transferentis. Confer Ezech. XXVI, 13. cum v. 22. & XXVII. 27. seq. cum v. 9. seq.

3) *In Apocalypsi Ezechielis descriptio ad Tyrum mysticam transfertur:*

Pauli *quarto* testimonium jungendum, qui ex capite XXVIII, 2. mutuatur ἀποστασία Antichristi 2. Thess. II, 4.

4) *ut & a Paulo.*

Quinto finis Prophetiæ c. XXIII, 24-26. haut obscure ad ultimam perpetuamque Ecclesiæ tranquillitatem & Judæorum conversionem collimat, quæ cum casu Antichristianismi conjuncta erit.

5) *Finis Prophetiæ ad ultima tempora spectat.*

Denique hic quoque sensui singularum partium Prophetiæ, quod frustra in *literali Tyro* quæsiveris, plenissime satisfit. Quare æquum est, ut judicemus, Spiritum Dei, qui immi-

6) *Singulæ phrases in Tyro my-*

ſtica verant.

imminentem *Tyriis* Nebucadnezarem videbat, hac occaſione progreſſum eſſe ad depingenda fata, quæ antitypo Tyri a ſpirituali Nebucadnezare infligenda erant. Et certe Tyrum hanc typum Antichriſtianismi eſſe ipſi Pontificii fatentur *Thomas Malvenda* lib. V. de Antichr. cap. 14. *Hector Pintus* in Ezech. XXXVIII. *Bellarminus* lib. III. de Rom. Pontif. c. 17. *Pineda* de rebus Salom. lib. IV. c. 15.

Joelis quoque Prophetia ad Tyrum myſticam reſpicit.

VII. Ad *Tyrum* hanc *myſticam Joelis* quoque vaticinium pertinere tum ex nexu, tum ex verbis ipſis ſatis patet. *Agitur* enim, ut recte Celeb. *Coccejus* inquit, de eo tempore, quod ſecutum eſt effuſionem Spiritus Sancti ad abundan-" tiam & conſummationem Prophetiæ: & conſervationem " reliquiarum in Sion, atque adeo Judæorum calamitatem & " vocationem ſupplementi: quodque antecedit deductionem " gentium congregatarum in vallem Joſaphat & reſtitutionem " Eccleſiæ in integrum. " Accedit, quod de talibus ſermo ſit, qui gloriantur *ſe de Jehova mereri*; qui *argentum & aurum Jehovæ ſuis templis* intulere, qui *vendidere filios Judæ Græcis*, qui ipſi jure talionis aliquando a populo Dei *vendendi Sabæis*. Horum omnium nihil in hiſtoria *Tyri literalis* oſtendi poteſt, ſed in *Tyro ſpirituali* accuratiſſime ſingula impleta ſunt.

Analogia indicatur. 1) quia Tyros urbs & civitas.

VIII. Nihil ergo reſtat, niſi ut per partes analogiam inter Tyrum literalem & myſticam indicemus.

Primo Tyrus *urbs* fuit, & in urbe ſuis legibus utens *civitas*. Hoc in comparationem venit, quia Spiritus præit Jeſ. XXIII, 16. XXIV, 10. XXV, 2. 3. Antichriſtianismus frequenter, ut ſingularis quædam *civitas* inducitur. De ea Bileam vaticinatur Num. XXIV, 19. Hinc *Abarbanel* Præc. Salu. 1. p. m. 23. *Vox autem* v. 19. מעיר *ex urbe, intelligi poteſt de magna Edomi civitate, Roma ſcilicet, de qua accipienda eſt.* Et ſtatim eandem eſſe *urbem munitam* cenſet, de qua Jer. XXVII, 10. Per hanc *civitatem circumit* Sponſa & a *cuſtodibus circumeuntibus civitatem* male tractatur Cant. V, 2. 7. &c. *urbs ſublimis* Jeſ. XXVI, 5. *urbs in ſanguine ædificata & civitas compacta*

Antichriſtianismus civitati comparatur.

cta per injuſtitiam Habac. II, 12. *civitas magna* Apoc. XI, 2. & paſſim. Variæ inde urbes inclytæ Antichriſtianismi typum geſſere, Babylon, Sodoma, Jericho, Ninive, Botzra. Ratio, *tum* quia cœleſti Hieroſolymæ, civitati ſanctæ, oppoſita; *tum* quia urbium inſtar ſuam periodum, ſuasque viciſſitudines habet, quibus fundata, paulatim crevit, itidemque decreſcit: *tum* quia ſuos poſſidet, quibus circumſcribitur, *terminos* Ezech. XXVII, 4. canones Eccleſiaſticos, definitiones Conciliorum, Papæ &c. *tum* quia vi humana in ordinem ſub certum caput redacta, quamvis *civitas inordinationis* Jeſ. XXIV, 10. Nec male oſtendit Cl. *Heideggerus* Myſter. Babylon. diſſ. III, §. 14. ſeq. diſtinguendum inter *urbem* & *civitatem* myſticam: *urbem* eſſe ipſam Romam, *civitatem* vero latius ſe extendere & includere omnes, qui undiquaque imperio Antichriſtiano ſubjecti ſunt, ſecundum illud *Euſtathii* ad Iliad. ζ. Οἱ δὲ παλαιοὶ φασὶ πόλιν μὲν τὴν πολιτείαν, ἄστυ δὲ τὸ τεῖχος i. *veteres civitatem vocant politiam* ſeu jus civitatis, *urbem vero mœnia.* Firmare hoc in rem præſentem potuiſſet ex adducto *Habacuci* loco, & altero Jes. XXV, 2. ubi de Tyro myſtica: *poſuiſti urbem* (מעיר) *acervum, civitatem arduam* (קריה בצורה ubi ad ipſum nomen צור alluſum) *ruinam.*

Diſcrimen inter urbem & civitatem Antichriſtianam.

IX. *Secundo*, urbi nomen צור fuit, quod *rupem* deſignat. Ridicule *Servius* in lib. IV. Georg. a piſce quodam *Sar* appellatam putat, quamvis ipſe *Smetius* Antiq. Neomag. p. 96. eum ſequatur. Nec melius *Origenes* in Matth. XV. *Tyrus*, inquit, *apud Hebræos ſonat idem, quod nobis venantes.* Confer *Bochartum* Canaan lib. II. c. 10. Ratio etymi, quod *rupibus* inædificata. *Nonnus* Dionyſ. lib. XL. de Tyro:

2) Tyrus a rupe dicta, quia in rupibus inædificata.

Τίς σκοπέλους ἀνάειρε καὶ ἐρρίζωσε θαλάσσῃ;

i. *Quis ſcopulos ſuſtulit & radicavit mari?* Et paulo poſt:

Οἱ πόλιν ἰσοΰψῶν δαπέδων αὐτόχθονι πέχυϊ
Πετραίοις ἀπάνακτιν ἐπυργώσαντο θεμείθλοις.


COL TYRO METR
AMBPOCIE
IIETPE
SEP TYRVS MERO COLON
METRO TYRI SEPT COLON
COL TYRO METR
ACTIA
EKACL
COL TYR O METR
ΚΑΙΑΣΥΛΟΥ ΤΥΡΟΥΙΕΡΑΣ
ΕΚ
ΥΗΛΣ
ΡΙΕΡΑΣ
ΜΗΤΡΟΠΟ
ΛΕΩΣ
TYR METRO COL
COL TYR O METR
COL TYRO METR

i. *Qui urbem consimilis soli indigena arte saxeis inconcussam exstruxerunt fundamentis.* Et in sequentibus addit fabulam de duabus *petris Ambrosiis*, antea natantibus, Hercules auspiciis, mactatæ aquilæ sanguine immobilibus factis. Inter alia hæc habet: *Ambrosiæ petræ.*

-- -- Ακινήτοις ἢ θεμέθλοις
Αὐτομάτη ζωσθεῖσα σιωπῶσετω ἄζυγι πέτρη.
Πήξατε δ' ἀμφοτέρωθι ὄπι κείμενον ἔσω κολώνας,
Ἀμφοτέρης ἑκάτερθεν ὄπι κρηπίδι θαλάσσης

i. *Immotis vero fundamentis spontanea cincta conjungetur injugi petræ. Figite vero utrisque incumbentem urbem rupibus utriusque utrimque in fundamento maris.* Instar harum petrarum passim in nummis, ex quibus præcipue notari meretur, quem *Tristanus* tom. I. p. 91. & *Vaillant* Num. Imperat. P. II. p. 151. Inter Gordiani III. nummos exhibet, habens subscriptionem AMBPOΣIE ΠETPE. V. Tabellam adjectam no. 1.

Commemoro hæc eo lubentius, quia ad has *petras* in descriptione *Tyri mysticæ* alluditur Ez. XXVI, 11. quod *attinet columnas tuas robustas, id in terram descendet.* Et v. 4. interminatur Deus, se eam redditurum *nudam petram.* Apprime hæc conveniunt Ecclesiæ, *quæ* falso *columnas* veritatis, Prophetas & Apostolos, suos esse jactat, *quæ* Petrum præcipue pro *petra* habet, cui inædificata est Ecclesia Matth. XVI, 18. *quæ* Papam pro *rupe* habet, rupi seculorum opposita, in quem omnis fides, omnis authoritas Ecclesiæ, Scripturæ, Conciliorum resolvitur: *quæ* denique nomen D. Petri ubique prætendit. Unde Hierarchici C. *sic omnes Dist.* 19. pronuntiarunt: *Omnes sanctiones Apostolicæ sedis accipiendas esse, tanquam ipsius divina voce Petri firmatas.* Et C. *in memor. Dist.* 19. decreverunt: *licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen ferendum esse in memoriam B. Petri.* Consule *Heideggerum* Myst. Babyl. diss. IX. §. 19. *Antichristianismus Petro se inædificatum venditat.*

3) *Tyrus muris & turribus munita.*

X. *Tertio : Tyrus* urbs fuit *muris* & *turribus* prælatis contra vim humanam munita. *Arrianus* de expedit. Alex. lib. 2 καὶ δὴ καὶ μέγα ἔργον τῆς τύρε ἡ πολιορκία ἐφαίνετο· νῆσός τε γὰρ αὐτὴ ἡ πόλις ἦν, καὶ τείχεσιν ὑψηλοῖς πάντη ὠχύρωτο i. *Et certe Tyri expugnatio laboriosa valde videbatur. Nam & ipsa urbs insula erat, altisque mœnibus ex omni parte munita.* Et postea p. 133. Ην δὲ αὐτοῖς καὶ τὸ τεῖχος κῆ τὸ χῶμα, τό, τε ὕψος εἰς πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα πόδας ἐς πλάτος ξύμμετρον, λίθοις μεγάλοις ἐν γύψῳ κειμένοις ξυμπεπηγότα. i. *Erat autem murus aggeri oppositus CL. summum pedes altus, latitudine altitudini respondente, & saxis ingentibus gypso inter se commissis.* Paulo ante muro turres ligneas superstructas memoraverat. *Muros turresque urbis* laudat & *Curtius* lib. IV. cap. I. *Diodorus Siculus* lib. XVII. c. 43. *Mox Tyrii, ut mœnia duplo firmiora redderent, quinque cubitorum intervallo in medio relicto, murum alterum decem cubitos latum ædificant, & vacuum inter utrumque spatium lapidibus & ingesta terra complent.*

Muri & turres emblema defensorum.

Nil ergo mirum, munimenta quoque Tyri mysticæ memorari. De *muris & turribus* ejus legimus Ezech. XXVI, 4. 9. XXVII. unde *valida in mari* XXVI, 17. & *arx maris* Jes. XXIII, 4. Hanc ob caussam quidam dictam esse v. 8. המעטירה putant, quasi dicas εὐτείχιστον, quod Suidas exponit per εὐτείχιστον. Lege *Majum* observ. Sacr. lib. II. p. 26. Non opus, ut hic in fortalitiis urbis Romæ, Castelli S. Angeli & Vaticani montis subsistamus. Habet enim suum quoque *murum* & suas *turres* mysticas. *Murus* & *turris* principalis Hierosolymæ est Deus, *murus* ille *igneus* Zach. II, 5. & *turris valida* Pſ. LXI, 4. Porro defensores strenui veræ fidei, qui intelligi possunt Pſ. XLVII. 13. 14. Jes. XLIX, 16. disciplina quoque Ecclesiastica secundum institutas leges hoc nomine venire videtur Cant. VIII, 9. 10. Jes. XLIX, 16. E contra habet Tyrus *muros* prælatos, quia & spiritualis est Jericho, *turresque* munitas, de quibus ut Antichristianismi præsidiis agitur Jes. II, 15. XXX, 25. Per hos intellige Reges carnalibus armis Antichristianismum contra Præcones veritatis defendentes. Tritum est hoc emblema.

1. Sam.

1. Sam. XXI, 16. defensores *muri* dicuntur. Sic Achilles apud *Homerum* Iliad. I. vs. 283. 285. dicitur μέγα πᾶσιν ἔρκος Ἀχαιοῖσιν i. *magnus murus omnibus Achivis.* Et de Ajace Ibid. lib. VII. v. 211.

Τοῖος ἄρ' Αἴας ὦρτο πελώριος ἕρκος Ἀχαιῶν i.

Talis Ajax motus est magnus, murus Archivorum. Prius videtur imitatus esse *Ovidius* lib. XIII. Metamorph.

Temporis illius, quo Grajum murus Achilles
Occubuit - -

Similiter *Seneca* in Troade:

Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos.

Turris emblema simili sensu occurrit apud *Euripidem* Alcestide Act. 2.

καὶ παῖς μὲν ἄρσην πάπε' ἔχει, πύργον μέγαν

i. *Et puer masculus patrem habet, turrem magnam. Claudianus* in Rufin. I. v. 264. de Stilicone:

Hic cunctis optata quies, hic sola pericli
Turris erat, clypeusque trucem porrectus in hostem.

Adde *Potterum* in Lycophr. Cassandr. V. 281. utrumque symbolum eleganter conjunctum est in nummo Constantini Junioris, ubi stella cum *muro* duabus *turribus* instructo depingit *providentiam Cæsarum.* Damus eum ex *Begeri* Thesauro Palatino p. 373.

Ecquid autem certius, quam regno Antichristiano Imperium Romanum *muri* instar esse, cæteros Reges religioni Pontificiæ addictos tanquam *turres* considerari posse? Patet ex ju- *quales sunt in Antichristianismo potentes terræ.*



ramentis, quibus olim in inauguratione ſua ſedi Romanæ obſtricti, quale illud Othonis M. Johanni XII. Papæ præſtitum, quod in *decretis* Diſt. 36. can. *Tibi domus*, legere eſt: *Tibi Domino Johanni Papæ, ego Rex Otho promittere & jurare facio per Patrem & Filium, & Spiritum S. & per lignum hoc vivifice crucis & per has reliquias S. quod ſi permittente Domino Romam venero, Sanctam Romanam Eccleſiam & te rectorem ipſius exaltabo ſecundum poſſe meum &c. & cuicunque regnum Italicum commiſero, jurare faciam illum, ut adjutor tibi ſit ad defendendam terram S. Petri ſecundum ſuum poſſe. Sic me Deus adjuvet & hæc S. Evangelia.* Alia jurandi formula extat *Sac. Cerem. S. R. E.* lib. I. Tit. 5. p. 23. *Ego Rex Romanorum futurus Imperator promitto & juro, me de cætero Protectorem & Procuratorem fore Summi Pontificis, in omnibus neceſſitatibus & utilitatibus ſuis cuſtodiendo & conſervando poſſeſſiones, honores, jura &c.* De hoc *muro* poteſt intelligi vaticinium Jacobi Gen. XLIX, 22. ubi *ſurculi, qui ingrediuntur ſuper murum*, in antitypo Joſephi deſignant Eccleſiam Proteſtantium, quæ muro

Ro-

Romani Imperii contineri nequibat, quo minus dilataretur. Cæteri Reges, ut *cornua bestiæ*, vah quoties *robur suum dedere* Bestiæ! Apoc. XVII, 13. Unde patet vera ratio, cur dicatur *Deus Mauzim* seu *fortalitiorum* Dan. XI. 38.39. Addi tamen potest & significatio disciplinæ. Leges *murum* civitatis esse agnovit Heraclitus apud *Diogenem Laertium* lib. IX. cap. 2. perhibens: Μάχεσθαι χρὴ τὸν δῆμον ὑπὲρ τοῦ νόμου, ὅπως ὑπὲρ τείχεος i. *populum pro lege non secus ac pro muro pugnare oportere.* Quocum collusit illud *Pythagoreum*, Στέφανον μὴ τίλλειν· τυτέοι, νόμος μὴ λυμαίνεσθαι· στέφανοι γὰρ πόλεων ἔτοι. Sint ergo *muri* Tyri rigidissimi Ecclesiæ canones, sint *turres* horrenda Inquisitionis Tribunalia. *Muri quoque esse possunt canones & turres tribunalia Inquisitionis.*

XI. *Quarto*: Munitionem Tyri augebat circumdans mare. *Strabo* lib. XVI. Τύρος δ' ἐστὶν ὅλη νῆσος i. *Tyrus undiquaque insula est.* *Euripides* in Phœnissæ prologo ἁλίαν χθόνα appellitat Phœniciam cum respectu ad *Tyrum* metropolin ejus. *Plinius* lib. V. c. 19. *Tyrus quondam insula, prælato mari septingentis passibus divisa: nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens.* Adde *Curtium* lib. IV. c. 2. Tabulato tamen aliquando mobili in continentem patuisse iter disco ex *Achille Tatio* de CL. & L. Amor. lib. 2. Καὶ γὰρ ἐν θαλάσσῃ κάθηται, καὶ οὐκ ἀφῆκε τὴν γῆν· σωδεῖ γὰρ αὐτὴν πρὸς τὴν ἤπειρον στενὸς αὐχήν, καὶ ἔστιν ὥσπερ τῆς νήσου πρόχυμα. οὐκ ἐρείζωται δὲ κατὰ τῆς θαλάσσης, ἀλλὰ τὸ ὕδωρ ὑποῤῥεῖ κάτωθεν. ὑπόκειται δὲ πρόμος κάτωθεν ἀθμῷ καὶ γίνεται τὸ θέαμα καινὸν, πόλις ἐν θαλάσσῃ, καὶ νῆσος ἐν γῇ i. *In mari enim jacet, nec tamen a terra disjungitur, sed angusti cujusdam callis beneficio continenti adnectitur, qui quasi collum insulæ est & maris fundo minime adhærescens, sed aqua subterlabente sustentatus novum prorsus spectaculum exhibet, urbem sc. in mari & insulam in terra.* Videtur hoc tabulatum antiquioribus temporibus inserviisse ad Palætyrum cum Tyro insulana connectendam, ex qua conjunctione explicari potest locus *Nonni* Dionysiac. lib. XL. *4) Tyrus fuit insula mari cincta:* *aliquando tamen tabulato terræ cohærens.*

Διπλόον ἔλαχε θάμβος, ἐπεὶ Τύρος εἰν ἁλὶ κεῖτο
Εἰς χθόνα μειγνυθεῖσα, σωαπτομένη ὑ θαλάσσῃ

Ter-

Τειχηδίαις λαγόνεσι μίαν ξυνώσατο μίτρην.
Μηχομένη δ' ἀτίναχτον ὁμοίιον ἔπλετο κούρη
Καὶ κεφαλὴν, καὶ στέρνα, καὶ αὐχένα δῶκε θαλάσσῃ,
χεῖρας ἑφαπλώσατα μέσῃ διδυμάονι πόντῳ,
Γείτονι λευκαίνουσα θαλασσαίῳ δέμας ἀφρῷ,
Καὶ πόδας ἀμφοτέρους ἐπερείσατο μητέρι γαίῃ i.

Duplicem concepit admirationem, poſtquam Tyrus in mari jacet
In terram diviſa, conjuncta vero mari
Triplicibus angiportibus unam conjunxit coronam.
Natanti vero inconcuſſa ſimilis erat puellæ,
Et caput & pectus & cervicem dedit mari,
Manus conjungens media gemino ponto,
Vicina dealbans marina corpus ſpuma,
Et pedes utrosque firmavit in matre terra, &c.

Antichriſtianismus mari comparatur.

Ad hunc ſitum in deſcriptione *Tyri* myſticæ ſæpe alluditur Jeſ. XXIII. 2. 4. 6. Ezech. XXVI. 17. XXVII. 4. XXVIII. 2. Nihilque in ſtylo ſancto magis conſuetum, quam totum imperium Antichriſtianum ſub *maris* ſymbolo proponere Pſ. LXVIII. 23. CVII. 23. Jeſ. II. 16. LVII. 19. 20. Jerem. LI. 13. Ezech. XLVII. 8. Habac. III. 15. Apoc. XVIII. XVI. XVII. In interpretationibus Indorum, Perſarum & Ægyptiorum, *mare* vaſtorum regnorum emblema gerit. *Achmetes* c. 178. Εαν ἴδῃ τις, ὅτι ἐδέσποσε τὴν θάλασσαν, κληρόνομος ἔσαι τῆς βασιλείας πάσης i. *Si quis ſomniaverit, ſe Dominum factum maris, ex integro regni fiet ſucceſſor.* Conſule *Heur. Morum* Synopſ. Prophet. lib. I. c. 7. Nec ſymbolum hoc diſplicuit *Innocentio III.* in Epiſtola ad Patriarcham Conſtantinopolitanum perhibens: *Cum aquæ multæ ſint populi multi, congregationesque aquarum ſint maria, per hoc quod Petrus ſuper aquas maris inceſſit, ſuper univerſos populos ſe poteſtatem accepiſſe monſtravit.* Pejorem ſymboli applicationem fecit

Au-

Author rhytmorum, quos *Lydius* Nic. *de Clemangis* libro de corrupto Eccleſiæ ſtatu junxit:

Vidi, vidi, caput mundi
Inſtar maris & profundi
Vorax guttur Siculi.
Ibi mundi διθάλασσα,
Ibi ſorbet aurum Craſſus
Et argentum ſeculi.
Ibi latet Scylla rapax
Et Charybdis auri capax
Potius quam navium.

Et quæ ſequuntur. Elegantiſſimum hoc eſt emblema ad depingendum iſtud Imperium, quod (liceat mihi hic uti verbis Symmyſtæ Clariſſimi D. *Gerh. Buſchii* in egregia diſſertatione de inceſſu Dei in ſanct. §. 15.) „*ſi* fines ejus ſpectes, amplisſimum; *ſi* multitudinem, abundans; *ſi* motus, maxime terribile; *ſi* dracones, quos alit, triſtem antiqui Draconis progeniem, ſæviſſimum; *ſi* occultam rationem ſtatus, per quam factum, ut in tantam excreſceret magnitudinem, & callida conſilia, meram videri abyſſum; *ſi* ejus ambitionem, avaritiam, omniaque rapiendi libidinem, inſatiabile; *ſi* vires & impetum, invictum omnino & indomitum. Adde, *quod* terræ habitabili, veræ Eccleſiæ, ſemper contrarium: *quod* ſalſugine doctrinæ ſterile, unde deſertum maris: *quod* horrendis tempeſtatibus naufragium circa fidem excitans: *quod* vitiorum, motuumque impurorum animi barathrum.

XII. *Quinto*: Sicut *Tyrus* externe munitiſſima, ita interne *pulchritudine* & ſplendore eximio ornata erat. Domus amplæ, magnificæ, pluribus tabulatis, & altiores quam Romæ, ſecundum *Strabonem* lib. XVI. *Claritate & magnitudine* 5) *Tyrus urbs pulchræ ædificiis & ornamentis.*

ante omnes urbes Syriæ, Phœniciæque memorabilis, ut habet *Curtius* lib. IV. c. 2.

In Tyro myſtica externa pulchritudo inter notas Eccleſiæ cenſetur,

Hoc in typum Antichriſtianiſmi adhibetur Ez. XXVII. 3: *Tyre, tu dixiſti, ego ſum perfecta pulchritudine.* Non minus ac Babylon myſtica, quæ *laus univerſæ terræ* Jerem. LI. 41. *gloria regnorum, decus ſuperbiæ Chaldæorum* Jeſ. XIII. 19. *aurea* Jeſ. XIV. 4. Confer Jeſ. XLVII. 8. Hinc & Tyrus *urbs exultabunda* Jeſ. XXIII. 7. in florente ſcilicet rerum ſuarum ſtatu. Gloriatio hæc Papiſmo propria eſt, tum quia amplitudo, magnificentia viſibilis, & externa felicitas ab aſſeclis ejus inter notas veræ Eccleſiæ refertur, quibus ſuperbiunt, tum præcipue quia meritum bonorum operum inaniter crepat. Unde Joël. III. 9. *Numquid meritum rependitis mihi? & numquid vos meremini de me?* Hinc blasphemæ voces *Andradii* Conc. Trident. orthod. explicat. lib. 6. *bona opera mereri ſecundum operis debitum*: *Pererii* Comm. in Rom. 6. *habere convenientem proportionem æqualitatis & dignitatis cum præmio ipſo vitæ æternæ*, perhibentis: idque in ſe ipſo, *abſque ulla meritorum mortisque Chriſti ratione*, ſecundum *Suarez* Tom. I. in Thom. 3. d. 11. & *Bayum* de merit. oper. lib. II. 9. quarum horrendarum jactantiarum tantum non ipſos cordatiores ex Pontificiis pudet.

& ſpecioſorum operum meritum crepatur.

6) Tyrus antiquitate fuit inſignis.

XIII. *Sexto*: *Tyrus* præcipue antiquitate inclyta fuit. *Strabo* lib. XVI. Μετὰ Σιδόνα μεγίϛη τῶν Φοινίκων καὶ ἀρχαιοτάτη πόλις τύρος ἐϛὶν i. *Poſt Sidonem maxima Phœniciorum & antiquiſſima urbs Tyrus eſt.* Apud *Herodotum* Sacerdotes Herculis a condita *Tyro* eſſe annorum duo millia ac trecentos gloriabantur lib. II. c 44. *Curtius* de *Tyro* lib. IV. c. 4: *Capta eſt urbs & vetuſtate originis & crebra fortunæ varietate ad poſteritatem inſignis.* *Arrianus* lib. 2. c. 16. Templum Herculis ait eſſe Tyri παλαιότατον, ὧν μνήμη ἀνθρωπίνη διασώζεται i. *vetuſtiſſimum eorum, quæ humana memoria ſervantur.* Et *Ulpianus* l. 1. ff. de cenſibus *ſerie ſeculorum antiquiſſimam appellat.* Hinc Ωγυγίη dicta a *Dionyſio Periegete* v. 911. In ſacris Joſ. XIX. 29. *Tyri* jam mentio fit,

fit, quæ sorte tribui Aser cessit, quamvis non fuerit occupata Jud. III. 3. Hanc *Palætyrum* esse quidam opinantur, quibus contrariatur Cl. *Relandus*. De ea quoque *Sanchuniathonem* apud *Eusebium* Præparat. Ev. lib. II. p. 35. fabulantem intelligi cupit *Bochartus* Canaan lib. II. c. 17. Sed Tyrii illius, ut prætenditur, scriptoris suppositio jam abunde ab *Ursino*, H. *Dodwello*, R. *Simonio*, aliisque evicta est. Serius insulanam cœpisse constat, si sequamur cum *Eusebio Josephum* Antiq. Jud. l. VIII. c. 2. ἀπὸ δὲ τῆς οἰκήσεως τύρε εἰς τὴν οἰκοδομίαν τε ναε διαγεγόνει χρόνος ἐτῶν πεσσαράκοντα καὶ διακοσίων i. *ab ædificatione Tyri usque ad structuram templi distat intervallum* CCXL. *annorum*. Incidit hoc in tempora Gideonis, & brevi antevertit excidium urbis Trojæ. Atque inde facile intelligitur, cur *Homerus* Sidonis frequenter, Tyri autem nusquam meminerit, quod observavit *Strabo* lib. XVI. quod non infert, *Homeri* temporibus Tyrum nondum cognitam fuisse, uti argumentatur Cl. *Perizonius* Orig. Bab. c. 6. p. 83. sed tantum seculo, quo Trojam captam fingebat *Homerus*, fors circa matrem suam adhuc luctatam esse. Ita enim τὸ πρέπον poematis requirebat, ut quamvis hæc urbs Poetæ ætate celebris esset, ejus tamen non meminisset, si Troja obsessa nondum in id fastigium crevisset. Consuli possunt de hac antiquitate *Scaliger* in Euseb. Chron. p. 46. *Marshamus* Canon. Chron. p. 304. H. *Relandus* Geograph. Sacr. L. III. p. 1052. *Gurtlerus* Origin. Mundi p. 396. Ultra nongentos annos floruit, quia exstructio ejus in annum A. C. 1247. destructio A. C. 332. secundum computum *Petavii* incidit. Notanda autem præcipue jactantia Tyriorum, quorum licet esset antiquitas spectabilis, ipsi tamen pro more Gentium antiquarum longe vetustiores faciebant suas origines, quam vero consentaneum erat.

Circa tempora Gideonis videtur structa.

Objectio Cl. Perizonii solvitur.

Tyri quoque *mysticæ* antiquitatem adducit Jes. XXIII. 7. *A diebus priscis ante ipsam provehebant eam pedes ejus*. Idque merito, quia nil magis Papicolæ vociferantur, quam antiquitatem Ecclesiæ suæ, ex qua notam itidem peculiarem veræ Ecclesiæ faciunt. In qua eorum gloriatione observan-

Quomodo Tyrus mystica in sua antiquitate se jactet, indicatur.

Landesbibliothek Oldenburg

da est veri falsique mixtura. Antiquitatem erroris non disputamus, quatenus Kainus primus fuit justitiarius, qui externis operibus placare Deum sine fide volebat Hebr. XI. 4. & in N. T. jam temporibus Apostolorum mysterium iniquitatis erat ἐνεργούμενον 2. Thess. II. 7. Sed falsi sunt, quando antiquitatem veritatis eo pacto destruere & super eam se elevare conantur. Fumum falsis hic titulis abunde absterstere *Casaubonus*, *Dallæus*, *Molinæus*, *Claudius*, aliique sexcenti. Nobis epocha *Tyri* inde quoque memorabilis videtur, quia maxime in tempus Regum Israelis, captivitatis Babylonicæ & liberationis ex ea incidit, quod typus fuit Ecclesiæ Christianæ sub Imperatoribus Christianis, invalescente Papæ circa tempora Waldensium tyrannide & Reformatione.

7) *Origo Tyri est per Sidonios a Canaane.*

XIV. *Septimo*: origo quoque *Tyri* memoranda, quam procul dubio a Sidoniis traxit. *Justinus* lib. XVIII. c. 3. *Tyriorum gens condita a Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati relicto patriæ solo, Assyrium stagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piscium ubertate Sidona appellaverunt. Nam piscem Sidon Phœnices vocant. Post multos deinde annos a Rege Ascaloniorum expugnati, navibus appulsi, Tyron urbem, ante annum. . . Trojanæ cladis condiderunt.* An vero Agenor secundum *Curtium*, aut cum *Nonno* Hercules Tyrius pro conditore urbis habendus sit, incertum est. Notetur tantum *Sidonem* primogenitum *Canaanis* fuisse Gen. X. 13. adeoque *Tyrios* genuinos *Chami* posteros esse.

Tyrus mystica tum a Roma pagana,

In antitypo similiter *filiæ Sidonis* Tyrus nuncupatur Jes. XXIII. 2. 12. Quamvis enim alias *Filiæ* ipsæ urbes & regiones dicantur, sicut in nostro Psalmo *Filia Tyri* est quadantenus Tyrus ipsa, & ita per *filiam Sidonis* ipsa *Sidon* possit notari, contextus tamen suadet, hic de Tyro agi. Forte hoc dubium non movisset Cl. *Relandus*, si Cl. *Vitringæ* in h. l. annotata consuluisset. Porro & Tyrum mysticam e Canaanis posteris mysticis esse innuitur eodem capite Jesaiæ v. 11. *Jehova præcepit de Canaane, ut munimenta ejus devastentur.* Sane Antichristianismi origo a *Sido-*

a *Sidone* arcessiri potest, quia Sidoni in multis cum Roma veteri convenit, uti §. 21. monebo. Jam vero Imperium Romanum Pseudochristianum a Dracone seu Imperio Romano Ethnico thronum & potestatem accepit. Apoc. XIII. 4. Sed addi potest, quod *Canaan* typus fuit Israelis carnalis, qui itidem in Papismo revixit, quia in cathedra Petri cathedram Mosis restituit, saturam addidit sitienti, novam servitutem populo Dei induxit, ceremonias abrogatas restituit &c.

tum ab Israele carnali reliquias servat.

XV. Sed propius statum urbis tum ecclesiasticum tum politicum contemplemur. In ecclesiastico notamus

Octavo: urbem fuisse idololatricam. Coluit enim Herculem, Venerem Astarten, Apollinem, Silenum, quod adductis authoritatibus evincere supersedemus, ne nimis dispatiemur. Sufficiet hæc idola in nummis *Tyriorum* ex *Vaillantio* adductis contemplari, apud quem, qui volet, de num. Imperat. Tom. II. ut & apud *Seldenum* de Diis Syris, aliosque, collatos authorum locos inveniet. Nummus 2, 6. & 9. Herculem, 3. Dianam, 5. Astarten cum Sileno, 4. Actios ludos in Apollinis honorem *Tyri* habitos exhibet. Addit *Strabo* lib. XVI. Jovem Olympium, unde forsan aquila in Nummo sexto. Et sine dubio hic idem cum Belo, quem Tyriorum Deum nominat *Josephus* Ant. Jud. lib. VIII. c. 7. & cum *Baal Schemen*, cujus *Sanchoniathon* mentionem facit & *Augustinus* Quæst. lib. 7. qu. 16. *Curtius* lib. IV. c. 4. Saturnum jungit, qui victimis humanis placabatur: *Sacrum quoque, quod quidem Diis minime cordi esse crediderim, multis seculis intermissum repetendi auctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur: quod sacrilegium verus, quam sacrum, Carthaginenses a conditoribus traditum usque ad excidium urbis suæ feciſſe dicuntur.* Adde *Geusium* de victim. human. lib. I. c. 4. Mercurium quoque, seu Phœnicum Thaautum a *Tyriis* in honore habitum ex Nummo decimo colligi potest. Inde ἄγιος sine dubio νησ& Pseudo-Sanchoniathoni apud *Eusebium* Præpar. Ev. lib. II. p. 38. & in nummis sexto ac septimo ΙΕΡΑ & ΑΣΥΛΟC, quos

8) Tyrus idololatrica fuit.

Cur ἄσυλος dicta.

quos ex *Noriſii* de Epochis Syro-Maced. diſſ. IV. c. 3. damus. Ασυλ& forſan ob templum Herculis, qui antiquiſſimus aſylorum author creditur. Niſi potius ex faſtu Græcarum urbium, quæ hoc titulo paſſim in nummis provincialibus utuntur, præcipue ex quo integrae urbes a Regibus aſyli jure donabantur. Sic de Smyrna in *Marmore Arundel.* II. p. 23: ubi Rex Seleucus in Smyrnaeorum gratiam ſancivit: τὸ τε ἱερὸν τῆς Στρατονίκιδ& Αφροδίτης ἄσυλον εἶναι, καὶ τὴν πόλιν ἱερὰν καὶ ἄσυλον i. *& templum Veneris Stratonicidis fore aſylum & urbem ipſam ſacram & inviolabilem.*

Idololatria Tyri myſtice proponitur ut ſcortatio ſpiritualis.

Proprie quidem in antitypo idololatriae a Prophetis non fit mentio. Sed metaphorice tamen indigitatur, quando Tyrus *meretrix* nominatur Jeſ. XXIII. 15. 16. Notum enim *ſcortationem* in ſacris commune idololatriae eſſe ſymbolum. Hinc idolum Hebraeis מעך a radice עכב, quae Chaldaeis *ſcortari* deſignat. Videantur Exod. XXXIV. 15. Num. XV. 29. Deut. XXXI. 16. Judic. II. 17. VIII. 27. 33. Jeſ. I. 21. Jerem. c. II. & III. Ezech. c. XVI. & XXIII. &c. Et convenientia eſt multiplex, *tum* quia anima affectum Deo uni debitum transfert cœco vetitoque impetu in creaturam, *tum* quia extrema eſt naturae humanae in hoc peccatum proclivitas, *tum* quia zelus Dei provocatur, *tum* quia dignitas animae miſerandum in modum proſtituitur, *tum* quia pompa ac ſplendor idololatriae fuco meritricio reſpondet, *tum* quia arctiſſima inter Diabolum & animam unio nectitur, *tum* quia aeterna ſequitur ignominia, & præcipue Roma, ut antitypus filiæ Sacerdotis ſummi ſcortantis, *igne cremabitur.* Et hæc metaphora eo aptius de *Tyri* idololatria adhibetur, quia fœdiſſimæ ſcortationes per totam Syriam & Phœniciam inſignis idololatriæ pars erant, qua Aſtarten Venerem, ſeu mavis Uraniam, Deamque Syriam colebant. Inde *Athanaſius* prima ſua Orat. contra gentes p. 21: Γυναῖκες γὰρ ἐν εἰδώλοις τῆς Φοινίκης πάλαι προεκαθέζοντο ἀπαρχόμεναι τοῖς ἐκεῖ Θεοῖς ἑαυτῶν τὴν τῦ σώμαλ& ἀυλῶν μιθαρνίαν, νομίζουσαι τῇ πορνείᾳ τὸν θεὸν ἑαυλῶν ἱλάσκεσθ& καὶ εἰς ἐυμένειαν ἄγειν ἀυλὴν διὰ τύτων i. *Olim certe Phæ-*

Phœnissæ mulieres ante idola prostituebantur, dedicantes numinibus corporis sui quæstum, persuasæ, meretricatu ea propitiari, ac prosperitatem inde rerum nasci. Sed nolo spurcitiei huic retegundæ amplius immorari, quam sexcenti authores plusquam ad satietatem jam memorarunt.

Inde est, quod idololatria Ecclesiæ Antichristianæ sub eodem symbolo frequenter exprimatur. Hæc est spiritualis Sodoma & Jesabel, adultera Prov. VI. VII. & IX. *meretrix* Apoc. XVII. 1,15,16. XVIII. 2. Quin & aperte de idololatria fœdissima symbolum hoc explicatur Jes. LVII. Conferri quoque de idolorum in Antichristianismo cultu merentur Jerem. L. & LI. Dan. XI. 38. Apoc. IX. 20. XIII. 4. 14. Quanto jure hujus criminis a nobis incusetur Papismus, tractatibus integris evicerunt *Valkenierius* in Roma Paganizante, *Heur. Morus* Opp. Theolog. p. 837. seqq. & *Joh. Rainoldus* in eruditissimo libro de Romanæ Ecclesiæ idololatria. Præcipue huc spectant quatuor cultus genera, artolatria, hagiolatria, iconolatria, lipsanolatria. Involvit autem scortatio Pontificia non tantum idololatriæ studium ab asseclis, sed etiam zelum alios in eandem illiciendi, qui præcipue a Capite præfertur. Sufficiat hic audire testem domesticum *Nicol. de Clemangis* in tractatu de corrupto eccles. statu c. 13: *Sed me præterire non decebat, priusquam de hac curia egrediar, quantam & quam abominabilem fornicationem Papa & hi sui fratres* (Cardinales) *cum seculi Principibus inierint* &c. *Colludunt aliæ Prophetiæ.*

XVI. Politicum Tyri statum contemplantibus a Capite ordiendum. Ergo *9) Tyrus Regibus subfuit.*

Nono Tyrus sub Regum jure fuit, qui in sacris literis frequenter memorantur. Antiquissimus fuisse creditur Abibalus Hirami pater. Sed fors jam ab Herculis Tyrii temporibus regnatum, qui inde Μέλκαρθος, quod idem est ac Melech-Charta, *Rex urbis*, apud *Eusebium* Præpar. Ev. lib. I. Catalogum sequentium Hiramum Regum *Josephus* & *Eusebius* conservarunt, inter quos octavus Ithobalus Astartæ Sacerdos, cujus

jus filiam Jeſabelem in matrimonium accepit impius Achabus Iſraelitarum Rex, quæ ipſa quoque Antichriſti typus eſt. Ille enim quamvis *Sidonis Rex* 1. Reg. XVI. 31. dicatur, *Tyrum* tamen & Sidonem ſimul imperio tenuit, ſecundum *Joſephum* Antiq. Jud. VIII. c. 7.

Antitypus monſtratur in hierarchatu Papæ,

Caput *Tyri* myſticæ etiam *Rex* & *Princeps* dicitur Ez. 28:12. & jure, propter fœdiſſimam hierarchiam ab eo in Eccleſiam invectam, quam ipſos Pontificios non puder fateri, uti exprobrat *Heideggerus* Myſter. Babyl. diſſ. VIII. p. 1. §. 18. ſeq.

& prætenſo vicariatu, tum Dei,

Singularis character hujus *Regis* eſt ſuperbia, quam monſtrat in *vicariatu* prætenſo tum Dei, tum Chriſti, tum Petri.

De *vicariatu Dei* agitur Ezech. XXVIII. 2. *Exaltavit ſe cor tuum, & dixiſti, Deus ſum, conſedi in corde marium, cum ſis homo & non Deus, & dediſti cor tuum, ut cor Dei.* Nihil hic nimium dici, ſi in ſumma emphaſi hæc ad ſedem Romanam applicentur, patet ex blaſphemis adulationibus paſſim obviis. Sufficiant nunciſta a *Fauſto Sabæo Brixiano* Bibliothecæ Vaticanæ cuſtode Romæ A. 1556. edita Epigrammata. Epigr. lib. III. p. 480.

AD PAULUM III. PONT. MAX.

Quum triplici ſanctum caput immortale corona
Ornarent Patres, optime Paule, tuum:
Sedibus æternis ſuperi huc venere, volentes
Noſtrum admirari te Dominum atque Deum.
Poſtquam mirati te majeſtate verendum,
Nomine tum Numen non minus eſſe tuum;
Et Proceres auro inſignes, ſacrumque Senatum,
Quæ radiant ſtellis atria & alta ſuis:
Tunc dixere: vale, o cœlum! tenet inclyta & ingens
Aſtra, ſuoſque Deos Roma, ſuumque Jovem.

Eodem libro p. 513.

AD

AD JULIUM III. PONT. MAX.

In te ſperavi, fac ne confundar in ævum
Juli & egeſtatis pondere me exonera.
Porge aurem, accelera, meque eripe ab hoſte ſequaci:
Libera ab ærumnis, retibus, inſidiis.
Eſto & apud temet Dominum mihi, maxime Juli,
Confugiique domus, præſidiumque meum:
Tuque meæ vires, portus, ſpes una, ſalusque
Dulce tuum ob nomen, Numen & eſto meum:
Inque tuas commendo manus, Juli optime Princeps,
Spiritum, & hos canos, plectra, lyram, calamum.

Porro & *vicarium Chriſti* Ezechiel *Regem* Tyri facit, idque ſecundum ſingula officia mediatoria. *tum Chriſti, quoad ſingula munera mediatoria,*

In munere prophetico vicarius eſt vſ. 3. *Ecce ſapiens es præ Daniele, nihil obſignatum te celatum eſt.* Ironicum hoc eſſe patet ex v. 4. & 5. ubi finis & uſus hujus ſapientiæ deſcribitur ad parandum opes. Sed cur *præ Daniele*? *Sive* quia ille Ezechielis σύγχρονος erat, *ſive* quia ille ſcrutatus eſt Scripturas, quas hic *Vice-Chriſtus* ſusque deque habet, *ſive* quia ille faſſus eſt prophetiarum obſignatarum ignorantiam, cujus Papam Pſeudoprophetam pudet, *ſive* quia *Danielem* de regno Antichriſti vaticinantem pro mendace habet, *ſive* quia miracula venditat.

Omnia tria munera conjunguntur vſ. 12. *Signator* enim *menſuræ* dicitur, quoad ſupremam præcipiendi poteſtatem & infallibilitatem, *plenus ſapientiæ* quoad doctrinam, *perfectus pulchritudine*, quoad munus ſacerdotale.

Sed muneris ſacerdotalis perfectio uberius deſcribitur v. 13. ubi pectorale Pontificis ſummi ſed quarta ſui parte truncatum ingenioſe detexit Clar. *Loërſius* in eleganti diſſertatiuncula, quam edidit. Quamvis enim intertexta ſit mentio priſtinæ

Landesbibliothek Oldenburg

ſtinæ puritatis Romanæ Eccleſiæ, quod ejus hypotheſi oppoſuit Celeberr. *Hulſius* de prærogat. V. T. diſſ. V. §. 39. totus contextus tamen monſtrat ironiam, quæ vanam jactantiam Regis Tyri repræſentat, qui hic introducitur recenſens putatitias ſuas prærogativas.

tum Petri, at Cherub unctus.

Denique & *Vicarius Petri* eſt, tanquam *Cherub unctus a tegente, & in medio lapidum ignis ambulans.* Cherubim enim ſingulare Apoſtolorum emblema apud Ezechielem in *opere Mercava*, quod præcipuum Prophetiarum ejus fundamentum eſt, gerunt. Fuit ergo & Petrus *Cherub*, & qua talis in *medio lapidum ignis*, in choro primorum Chriſtianorum, *ambulavit.* Pro tali *Cherubo* Papa ſe venditat, ſed quam infeliciter, *Gualtherus Mapes* Oxonienſis Archidiaconus in verſibus a *VVolfio* Lect. Memor. lib. I. p. m. 355. revelavit, quando ita formam Cherubinorum Ezechielis ad Papam ejusque aſſeclos applicat:

Eſt leo Pontifex ſummus, qui devorat,
Marcam reſpiciens, Marcum dedecorat,
Qui libras ſitiens, libros impignorat:
In ſummis navigans, in nummis anchorat.
Eſt ille vitulus Præſul, qui prævius
In loco paſcuæ præcurrit citius,
Roditque ruminans, quod novit melius,
Et ſaginatus eſt bonis alterius.
Eſt alter aquila, quæ alis nititur,
Archidiaconus, qui prædo dicitur,
Qui videt a longe, prædam quam ſequitur,
Et cum circumvolat, ex rapto vivitur.
Eſt quod induitur humana facie
Decanus tacitæ plenus verſutiæ,

Qui

Qui fraudes operit forma juſtitiæ,
Piumque ſimplici mentitur ſpecie.
Iſta ſunt quatuor alas habentia,
Quia circumvolant rerum negotia.
Plena ſunt oculis, eo quod prævia
Luſtra proſpiciunt & ſubſequentia.
Incedit quilibet cum rota mobili,
Dum mens revolvitur axe volubili,
Et circumflectitur voto mutabili,
Intusque ſequitur rotam a ſimili.

XVII. *Decimo* : Vaſtiſſimum fuit *Tyriorum* regnum. *Curtius* lib. IV. c. 4. *Diu mare, non vicinum modo, ſed quodcunque claſſes ejus adierunt, ditionis ſuæ fecit.* Fines regni tam late extenſi ſunt ope coloniarum deductarum. *Plinius* lib. V. c. 19: de Tyro: *Olim partu clara, urbibus genitis, Lepti, Utica, illa Romani imperii æmula, terrarum orbis avida, Carthagine: etiam Gadibus extra orbem conditis.* *Diodorus Siculus* lib. V. de eadem: πολλὰς μὲν τῆς λιβύης ἀποικίας ἐποιήσαντο, οὐκ ὀλίγας δὲ καὶ τῆς Εὐρώπης ἐν τοῖς δύσιν κειμένοις μέρεσιν i. *Quo factum, ut multarum in Africa coloniarum, nec paucarum in his Europæ partibus, quæ occidentem vergunt, authores fierent.* De his paſſim *Bochartus* & in compendio *Reineſius* de ling. Punica c. 2. & 3. Quin & Reges data occaſione inſtituiſſe, tributariosque feciſſe credendum eſt. *10) Tyriorum regnum late patuit.*

En iterum faciem *Tyri* myſticae, quam *pedes ejus provexere in longinquum ad cohabitandum*, quæque inde *coronatricis* nomen ſortita eſt, cujus *mercatores ſunt Principes, inſtitores honorati terræ.* Jeſ. XXIII. 7. 8. Magnifica enim & longe ultra terminos antiqui imperii Romani ad Orientem & Occidentem porrecta eſt regni Antichriſtiani amplitudo: & licet de poſſeſſione multum diminutum ſit, jus tamen ſibi in omnia regna mundi, eorumque Principes reſervat. Innocentii III. ſuperbum *Eccleſiæ Antichriſtianæ amplitudo confertur.*

Landesbibliothek Oldenburg

bum ſcriptum §. XI. adduximus. Nec minus intolerabilis fuit faſtus Sixti V. qui teſte *G. Barclajo* de poteſtate Papae lib. I. 13. *ſe ſupremam in omnes Reges & Principes terræ, cunctosque populos, gentes & nationes, non humana ſed divina inſtitutione ſibi traditam poteſtatem obtinere, affirmabat in bulla contra Henricum III. Francorum Regem.* Quare non mirum, aequis auribus auditum eſſe a Leone X. in *Concilio Lateranenſi* Seſſ. 8. concionantem Balthaſarem Detrionem: *Ac ceu Leo Rex quadrupedum, tu alter Leo hominum, non alter Rex tantum, ſed Regum & orbis terrarum Monarcha effectus, alias oves, quas habes, quæ non ſunt de hoc ovili, ad tuum ovile reduceres, alliceres, revocares. Accingere ergo gladio ſuper femur tuum, potentiſſime* &c. Mirum mirumq; iterum, Principes mundi, de ſuo alias ſuprematu ſtabiliendo adeo ſollicitos, tales inſultus ultro tamdiu paſſos eſſe, & adhuc dum pati; qui ſane, ſi non amore veritatis, ſaltem propriae gloriae adigi deberent ad inquirendum ſollicite, quo jure ſedis Antichriſtianae praetenſum illud dominium fundatum ſit.

π) Tyrus præcipue mercatura antecelluit.

XVIII. *Undecimo*: Nervus ingentis *Tyriorum* potentiæ fuit *mercatura*, qua olim ſupra omnes nationes Phœnices, & inter eos Tyrii excelluerunt. *Hieronymus* lib. V. in Eſaiam: *Tyrum negociatione gaudere & totius orbis eſſe emporiam, & preſentia tempora probant & Ezechiel lato ſermone deſcribit.* De eadem urbe vetus orbis deſcriptor ἀνέκδοτος apud *Reineſium* de ling. Punic. c. 2: Η πάντων ἐμπορίαν ζεχῶς ἄγουσα μεγαλύνως ἐυδαίμων ἐστι. Ουδεμία γὰρ ἀρχαιοτέρα πόλις τῆς ἀνατολῆς ἐστιν αὐτῆς πυκνοτέρως ἐν ἐμπορίᾳ, καὶ πλουσίους ἄνδρας ἔχουσα, καὶ δυναστεύοντας ἐν πάσαις πόλεσι i. *quæ cum ſervide omnivariis mercimoniis occupata ſit, felicisſima eſt. Non enim facile in Oriente urbs mercatura potentior invenitur, divites viros habens, omnibusque maris faucibus dominantes.*

Antichriſtianiſmi mercatura myſtica per partes con-

Tyri myſticæ mercatura non minus decantatur Jeſ. XXIII. 3. Ezech. XXVII. 3. ſq. XXVIII. 5. In quo & ſymbolum Babelis colludit, quæ עיר רכלים i. *civitas negotiatorum* Ezech. XVII. 4. Jeſ. XLVII. 15. Confer Apoc. XVIII. 11. 12.

Mer-

Landesbibliothek Oldenburg

Mercatura hæc partim ſpiritualis partim literalis eſt. Spiritualis, qua in habenda ſufficiente propria juſtitia *ſtat Inſtitor cum lance doloſa* Hoſ. XII. 7. meritumque proprium venditat, aut aliorum pro re nata diſpenſat. Literalis ſpectatur in avaritia inſatiabili, qua Hierarchici Pontificii theſauros cumulare, divinaque & humana omnia pretio vendere aſſueverunt. Eſt adhuc tertia, ex utraque mixta, quando eos, qui extra communionem ſuam ſunt, objecto ſpecioſo lucri honorisque bolo irretire quærunt. *templanda eſt.*

Ut vero hujus emblematis amplitudo eo penitius perſpiciatur, juvat diſtinctim videre *primo* mercatores Tyrios, *dein* populos, quibuscum negotiantur, *denique* ipſas merces.

XIX. De *mercatoribus Tyri* myſticis agitur Jeſ. XXIII. 8. Ezech. XXVII. 17. 27. Atque eo alluditur Apoc. XVIII. 11. 15. Nec alii intelliguntur per *venditores* Matth. XXV. 9. & *trapezitas* ibid. v. 27. & *Cananæos*, ſive *mercatores* exterminandos ex domo Dei Zach. XIV. 21. Apud Jeſaiam in duas claſſes diſtribuuntur tum *mercatores*, qui *ſunt Principes*, tum *inſtitores*, qui nominantur *honorati terræ*. Merito heic per *mercatores* ii intelliguntur, qui ſunt cum imperio, faſtumque regium oſtentant, Cardinales, quos *Numularios ſupremæ tabulæ* vocari ſolitos *Nicol. de Clemangis* de corr. eccl. ſtatu c. 12. author eſt: porro Archiepiſcopi, Epiſcopi; per *inſtitores* inſervientes mercatoribus ad merces eorum diſtrahendas, clerici inferiorum ordinum, qui quamvis imperium in alios non habeant, in ſumma tamen veneratione ſunt apud populum. Et quis non vividiſſime Clerum Romanum ſub *mercatorum* ſymbolo effictum eſſe cenſeat? *tum* quia emunt potentiam, opes, terras, populos, gradus, vigente ubique Simonia turpiſſima: *tum* quia vendunt remiſſionem peccatorum, verbum Dei, ſacramenta, miniſterium, ſuffragia Sanctorum &c. de quibus ſtatim: *tum* quia ſummam ampliandis Eccleſiæ opibus adhibent induſtriam: *tum* quia mercatorum vitia, fraudes, mendacia, reſervationes mentales, nusquam magis, quam in- *Mercatores myſtici ſunt Clerus pontificius.*

ter eos vigent. Hinc *Gualtherus Dyſſe* in rhytmico carmine a *Joh. Lydio* publicato:

Qui ſunt, qui Eccleſiam vendunt & prædantur,
Qui ſunt fornicarii, qui ſunt qui mercantur,
Qui naturam transvolant & abhominantur?
Qui ſunt, niſi Clerici, ne exempla petantur?

Populi quibuscum Tyrus myſtica commercium habet, ipſi quoque myſtice ſunt explicandi.

XX. Memorat quoque prophetia *populos* multos, quibuscum *Tyriis* commercia interceſſere. Tales ſunt *Kittæi*, *Ægyptus*, *Sidon*, *Tarſis* apud Jeſaiam: *Javan*, *Tubal*, *Meſchech*, *Togarma*, *Filii Dedan*, *Juda & terra Iſrael*, *Damaſcus*, *Arabia*, *Aſſur* &c. apud Ezechielem; *Javan*, *Sabæique* apud Joelem. Disquiritur inter Interpretes, an hi populi literali, an in myſtico ſenſu ſint intelligendi? Ego quamvis fatear, aliquos ſupereſſe etiam ſecundum ſenſum literalem ex his populis, quibuscum negotiatur Roma, præferendum tamen ſenſum myſticum exiſtumo, *tum* quia haut pauci ex his populis periere, *tum* quia *Tyrus* ipſa myſtice ſumitur, *tum* quia χέρις externa harum nationum ad Tyrum fuit alia, ac ad Romam eſt. Nil ergo abſurdi committitur, quando priſcæ illæ nationes conſiderantur ut emblemata earum nationum, quæ nunc talem relationem ad Romam habent, qualem illæ ad *Tyrum* olim habuere. Nec male non tantum ad ſtatum, ſed etiam originem, quin & ad ipſa nomina alludi a Spiritu ſancto ſtatuitur, cujus rei exemplum ab iis datum eſt, qui ſeptem Eccleſias Aſiæ in Apocalypſi myſtice conſiderandas eſſe evicere. Multa fateor obſcura in his nomenclaturis reſtant, ſed liceat ſaltem veroſimilia ſectari. *Bochartus* in originibus nominum harum gentium fors felicior fuiſſet, ſi non ubique fere cauſſas eorum in regionum ipſarum ratione quæſiviſſet, cum tamen oportuiſſet eum meminiſſe, regiones plerasque a primis incolis nomen ſuum ſortitas eſſe, quibus nomina a parentibus ſuis impoſita fuere: cui onomatotheſiæ jam ab antiquiſſimis temporibus multum myſterii ſubfuit,

ſive

Landesbibliothek Oldenburg

sive Spiritu prophetico fata posteritatis in primis patriarchis prævidente, *sive* Deo dirigente arcano modo animum, *sive* simpliciter parentibus spem suam, fidem, officia aliaque notabilia per nomina exprimentibus. Liceat mihi hic tentamen facere, quo ulterius cogitandi saltem ansa dari poterit.

Ac in genere quidem notandum, populos hos, quibuscum mercaturam instituerunt olim Tyrii, per totum terrarum orbem olim, qua notus erat, divisos fuisse: eodem modo ac nunc Roma totius mundi spirituale emporium est, & in omnibus ejus partibus stabilire suam potentiam tentat.

Ut vero eo accuratius applicatio specialior institui possit, notandum est, nationes in prophetiis memoratas in duas partes dispesci posse: aliæ enim TYRO subjectæ, aut ex ea ortæ, aut fœdere conjuncti fuere, aliis nihil fere aliud commercii cum *Tyriis* interfuit, nisi quod ex iis pro re nata quæstum facere *Tyrii* curabant. Sic & Antichristianismus lucrum suum quærit promovere, tum ratione eorum, qui in ecclesiastica communione secum vivunt, tum ratione eorum, qui extra eum sunt constituti.

XXI. Ad priorem classem refero CHITTAEOS, qui in relatione ad *Tyrum* obveniunt Jes. XXIII, 1. 12. Ezech. XXVII, 6. Ego per illos intelligo insulas quasdam maris mediterranei inter Græciam & Asiam, *tum* quia Ezechiel memorat *insulas Chittæorum*, *tum* quia Chittæi descendunt ab Elisa Javanis filio, qui Græciam insedit, *tum* quia sub ditione Tyri fuere teste *Menandro* apud *Josephum* de Antiq. lib. IX. 14. qui de Elulæo Rege Tyri dicit: ὃς ἐπολέμησε Κιτταίων ἀναπλέυσας στρατεύσας αὐτὰς πάλιν. Insulæ sunt commune rerumpublicarum symbolum. Consule *Vitringam* in Apocal. p. 382. Intelligi ergo possunt Respublicæ, præsertim viciniores Romæ, Veneta, Helvetica, Genevensis, aliæque in Italia & ejus finibus, ex quarum numero quædam defecerunt & origo vastationis Tyri fuerunt, quædam autem in ditione permanserunt. Et ratione priorum verat etymon, quod est à כתת *contundere*, quia pro-

Chittæi secundum literam insulæ maris mediterranei; sed mystice Respublicæ, in quibus opus Reformationis cœpit.

prodeuntes inde primi Reformatores contuderunt munitiones Tyri.

Tzidon exprimit Imperium Romanum politicum.

TZIDON aptiſſime deſignat Imperium Romanum politicum. Relatio ejus arcta cum *Tyro* innuitur Jes. XXIII, 2, 4. Ezech. XXVII, 8. XXVIII, 21. ſeq. Analogiam ſane deprehendimus. 1) in nomine, quod *venationem* deſignat; monarchia enim venationis, Monarchæ venatorum inſtar jam a Nimrodo habent. Confer *Bochartum* Phaleg. lib. IV. cap. 12. 2) quia *Tyro* originem dedit: 3) quia res utrorumque arctiſſime inter ſe unitæ: 4) quia tractu temporis *Tyrus* imperium *Zidonis* ad ſe traxit, & filia devoravit matrem. 5) quia utriusque excidium ab Ezechiele cap. XXVIII. connectitur.

Ægyptus myſtica idololatriam,

Cum AEGYPTO literali, cujus mentio eſt Jes. XXIII, 3. 5. Ezech. XXVII, 7. quomodo conveniat Romanæ Eccleſiæ, ſcriptor domeſticus *Caſalius* oſtendit, quando ex ipſa Ægypto fœdiſſima idololatriæ matre Eccleſiæ ſuæ ritus magno labore repetitum ivit. Sed ipſum quoque Antichriſtianum imperium *Ægyptus* eſt Jeſ. XIX. 21. ſq. Zach. XIV, 18. Apoc. XI, 8. Similitudinem agnoſcit *Baptiſta Mantuanus*, Monachus Bucol. Eclog. IX. de Roma loquens:

ferarum cultum,

Fama eſt Ægyptum coluiſſe animalia quædam
Et pro Numinibus multas habuiſſe ferarum:
Iſta ſuperſtitio minor eſt, quam noſtra, ferarum
Hic aras habet omne genus - -

Quibus verbis, ut ibi interpretatur *Jodocus Badius*, Mantuanus docet, *omne genus ferarum habere aras ſuas Romæ, id eſt, omne genus vitiorum eſſe in honore & pretio.* Monſtrarunt autem Viri docti, *Ægyptum* præcipue tyrannidis in Eccleſia Romana ſymbolum eſſe. Conſule *Juriæum* l' Accompliſſ. des Prophet. T. I. p. 60. *Vitringam* in Apocal. p. 638. Heic ergo eodem ſenſu ſumi poteſt pro iis, qui ſævitiei Romanæ potiſſima inſtru-

præcipue vero tyrannidem Antichriſtianismi reſpicit, & tribunal Inquiſitionis.

instrumenta sunt, præcipue pro stygio illo Tribunali Inquisitionis, quod in Italia potissimum & Hispania erectum quasi מצורים *Metzorajim* i. duplex munimentum Ecclesiæ Romanæ præstat. Illic imago bestiæ hieroglyphica, de qua Apoc. XIII, 14. Illic fluvius sanguinis & in sanguinem conversus, monstra vehens, *Nilus*, id est doctrina infernalis, nil nisi cruorem spirans atque sitiens. *Mitzraim. Nilus.*

SYRIA quoque merces Tyro sistit Ezech. XXVII, 16. quam Germaniæ typum gerere posse puto, *tum* quia Aram nomen habet ab altitudine, *tum* quia ejus arcta est cum Italia communio, *tum* quia in varia regna discissa, quæ ipsa quoque per montes *Senir* vel *Chermon* & *Libanum* possunt depingi, unde Tyrus itidem suum usumfructum habet Ezech. XXVII, 5. Ibi est *Damascus* i. *terra rubra* v. 18. ob bella religionis causa gesta, & *Chelbon* i. *pinguedo*, eodem vs. 18. ob lucrum egregium inde per nundinationes spirituales ad sacram sedem rediens. *Syria respondet Germaniæ. Senir. Hermon. Libanus. Damascus. Chelbon.*

Septentrionali Syriæ parti cohæret BASAN, Ammonitarum regio, quorum & urbs *Minnith*. De utrisque Ez. XXVII, 6. & 17. mentio fit. *Basanem* aliquando totius Antichristianismi typum esse patet ex Ps. LXVIII, 23. quem locum docte illustravit Clar. *Buschius* de incessu Dei in sanct. §. 11. 12. Eodem referendum Jes. II, 13. Sed in specialiori sensu pro talibus provinciis sumi potest, in quibus Ecclesia a Papali contaminatione sedem quietam habuit, quamvis progressu temporis iterum absorpta sit, aliquando tamen restituenda, uti ex collatis Jer. L, 19. Jes. XXXIII, 9. Mich. VII, 14. constat. Quid si ergo hic de Bohemia & Hungaria & Gallia cogitaremus? *Basan confertur cum Bohemia, Hungaria, Gallia.*

Quam arctum fuerit Tyriis cum Phœnicibus in opposita continente sitis commercium, facile est cogitatu. Prophetia in specie commemorat *Gebalem* urbem & *Gammidæos* Exech. XXVII, 9. 11. Lubens hic quoque de Gallia cogitaverim, quorum Punica fides per orbem nota. Sed facile cedo clariora docenti. *Gebal quoque Gallis non absimilis:*

Landesbibliothek Oldenburg

Aradus Britannis: ARADUS insula in Phœnicio mari Ezech. XXVII, 8. 11. forte Britannos designare posset.

Thogarma Polonis. THOGARMA vero, Ezech. XXVII, 14. quæ Cappadocia fuisse creditur, Polonos, aliosque populos Septentrionales exprimere apta est; sed hæc obscuriora esse fateor, quæ adhuc Oedipum requirunt.

Juda & Israel Ecclesia Protestantium. XXII. In secunda classe principem locum occupant JUDA & ISRAEL Ecclesiæ Protestantium perpetuum emblema, quæ non tantum in duas eheu partes Jes. XI, 13. scissa, sed etiam tum ex supino sopore & indigna veris confessoribus circa res sacras indifferentia, tum ex politicis rationibus, res nimis cum Antichristianismo communes habet. Hinc ejus quoque merces recensentur Ez. XXVII, 17. præcipue tribus DAN v. 19. quæ Tyriorum finibus proxime adjacens vivide eos exprimit, qui superstitiosa imaginum asservatione, nimioque hierarchiæ amore nimis prope ad fines Antichristianismi habitant.

Javan pertinet ad Ecclesiam Græcam: JAVAN Ezech. XXVII, 13. Joel. III, 11. secundum literam Græcos, mystice vero Ecclesiam orientalem, quæ & a potiori sui parte Græca dicitur, exhibet, cum qua mercatura multiplex, *tum* quia philosophia, quæ majorem obtinuit inter Pontificios authoritatem, a Græcis inventa est, prælecto sæpe pro concione & explicato textu Aristotelis ipsisque sacris mysteriis a *Lombardo* atque aliis Scholasticis ad sensum Græci illius Philosophi detortis: *tum* quia multa instituta in Ecclesia Pontificia, Monachatus, Cælibatus &c. a Græcis manifestam originem trahunt: *tum* quia pro syncretismo Ecclesiæ Romanæ & Græcæ multum operæ insumtum est.

Thubal & Mesech ad Georgianos, Armenos, Moscovitas. Cum *Javane* Ezechiel immediate THUBAL & MESECH connectit. Per illum Tibareni, per hunc Moschi intelliguntur in litera. Quid si ergo mystice de remotioribus & magis ad Orientem & Septentrionem diffusis Ecclesiæ Græcæ tam in Asia, Palæstina & circa Pontum Euxinum, quam in ipsa Moscovitica Ecclesia reliquiis cogitemus, quas Pastor

ſtor ille generalis in caulam ſuam adducere omni modo tentat?

ASSUR in relatione ad Tyrum Ez. XXVII, 23. Turcarum frequens in Prophetia ſymbolum eſt. *Aſſur ſunt Turcæ:*

Eodem refero ARABIAM Ez. XXVII, 21. quæ hujus gentis incunabula habet: cujusque diverſæ nationes *Kedar*, *Seba*, *Raama*, *Charan*, *Caune*, *Eden* recenſentur, quia Muhamedismus in multas partes diviſus eſt. *ut & Arabia.*

THARSIS cumprimis ſæpius memoratur in *mercatura Tyri* Jeſ. XXIII, 1. 6. 10. 14. Ezech. XXVII, 12. 25. Eodem alludi Jes. II, 16. recte Celeb. *Vitringa* ad hunc locum monet, ubi & de Tharſidis ſitu quædam addit, quæ ulteriorem meditationem merentur. Secundum literam eſt Hiſpania, in qua duplex Tharſis ſeu Tarteſſus, uti erudite notavit *Arnold. Bootius* Animadv. Sacr. lib. IV. c. 7. Sed quid ſecundum myſterium? *Coccejus Galliam* in Jeſaia putavit: ego ſaltem apud Ezechielem etiam ulterius poſſe cogitari puto, præcipue quando & ſitum longe a Phœnicia diſſitum, & mercaturæ modum confero, quem ita deſcribit citatus a *Bootio* author libri περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, qui inter *Ariſtotelis* opera circumfertur: Τὰς πρώτας τῶν Φοινίκων ὅπλα παρεσκευασαντας λέγεται πασσίτερον ἄργυρον ἀντιφορτίσασθαι, ἔλαιον καὶ ἄλλον ναυτικὸν ῥυπον εἰσάγοντας, ὥστε μηκέτι ἔχειν δικαίως μήτε καταδέξασθαι τὸν ἄργυρον, ἀλλ' ἀναγκασθῆναι ὑποπλέοντας ἐκ τῶν τόπων, τά τε ἄλλα πάντ' ἀργυρᾶ, οἷς ἐχρῶντο, κατασκευάζεσθαι, καὶ δὴ καὶ τὰς ἀγκύρας πάσας i. *Qui primi Phœnicum navigaverunt Tarteſſum, dicuntur tantum argenti ſibi comparaſſe, permutatione olei aliarumque rerum non magni pretii, ut navibus omne recipere ac continere nequeuntes, cogerentur inde abſcedentes & omnem ſuppellectilem & totas anchoras ex argento fabricari.* Conferri poteſt ſimilis locus apud *Diodorum Siculum* lib. V. Quis autem vitio nobis vortet, iſtud commercium heic intelligere, quod in remotiſſimas & ditiſſimas regiones Indiæ Occidentalis Romana ſedes habet? *Tharſis ſeu Tarteſſus poteſt emblema eſſe miſſionum in Indiam Occidentalem.*

Landesbibliothek Oldenburg

Lud, Phut, ad Africam & Abyſſinos ſpectare videtur:

LUD Æthiopes in ſenſu literali deſignat: PHUT Mauros Africæ incolas: utrique conjunguntur Ez. XXVII, 10. Senſu ergo figurato externas Africæ oras, ab Occidente Guineam & conterminas, ab Oriente Abyſſiniam intelligere in promtu eſt, quas omnes lucrandi animas, an regiones? cauſſa miſſionarii Papæ Romani jam perreptarunt.

Perſæ, Dedan, Kilmad, Inſulæ ad Aſiæ extremas oras.

Finiant PERSÆ Ez. XXVII, 10; DEDAN v. 15. qui fuit filius Cuſchi, cujus poſteritas in littore maris Perſici conſediſſe putatur: cum eo junguntur INSULAE MULTAE, quas qui pro inſulis in mari Indico habuerit, ille a vero non multum abluſerit, præſertim cum cornua eburna & hebenus jungantur, quas merces Ophiram Tyriis præſtitiſſe, & adhuc dum ex India advehi conſtat. Jungitur KILMAD v. 23. Medorum ſecundum Paraphraſten Chaldæum urbs. Figuram in his diſſitiſſimarum Aſiæ provinciarum Indiæ, Chinæ, Tartariæ, Japoniæ habes, in quibus plus ſemel clerus Romanus nidos novos quæſivit, quanquam parum felici hactenus ſucceſſu.

Merces Tyriæ pretioſæ etiam quoad literam in Antichriſtianismo monſtrari poſſunt.

XXIII. Reſtant jam *merces*, quarum ingens catalogus Ez. XXVII. & Apoc. XVIII. reperitur. *Tyrias merces* pro maximis divitiis ponit *Horatius* Carm lib III. Od. 29.

Ne Cypriæ, Tyriæqus merces
Addant avaro divitias mari.

Sed multo magis commemorari merentur *merces Tyri myſticæ*, ſive proprium, ſive figuratum ſenſum quæras. Proprio ſenſu in Antichriſtianismo quanti hæ *merces* valeant, teſtes habemus domeſticos. *Platina* in Gregorio IV. quiritatur: *In omnem luxum & libidinem ſeſe effundit Eccleſiaſticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inſpiceres, non homines, quod leve fortaſſe videretur, ſed equos & jumenta: præcedente, dum incedunt, magno adoleſcentum, & altero Presbyterorum agmine ſubſequente: non in aſinis, ut Chriſtus noſtri dogmatis author*

author, & bene vivendi unicum in terris exemplar; sed etiam in equis præferocibus, & phaleratis, ac si ex hoste devicto triumphum ducerent. De argenteis vasis & egregia eorum supellectile, deque cibariis non attinet dicere: cum & Siciliæ dapes & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius pretii dici possint. Idem in vita Sylvestri: *Venere proventus ad eandem Basilicam* (Romanam) *ex Tarso Ciliciæ: ex possessione Tyri venit oleum, venere aromata & cassiæ: venit balsamum ex locis hæc eadem ferentibus: venit crocum, sal, piper, cinnama.* Quod si id jam Constantini Magni temporibus, quibus ille vixit, cœpit, quanto majori jure *Mantuanus* de Calamit. Tempor. lib. 3. suo seculo questus est:

Quid miramur opes, recidivaque surgere tecta?
Thuris odorati globulos & cinnama vendit
Mollis Arabs, Tyrii vestes & muricis imbrem,
Indus ebur, croceum Cilices, & Tmolus odorem,
Mel Siculi, ferrum Calibes, tenuissima Seres
Vellera, Cretenses mollissima vina, Tanager
Pernices mercatur equos: venalia nobis
Templa, Sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum est venale, Deusque.

Ganfredus de statu curiæ Romanæ apud *Wolfium* Lect. Memorab. Tom. I. p. m. 340.

Omnia de circum veniunt regione jacenti,
Protinus ut Papam Roma beata videt.
Grana Ceres mittit & grandia dona Lyæus,
Transmittit fœtus pinguis oliva sacros.
Byssus ab Æthiopum Romam deducitur oris,
Et tellus alias barbara mittit opes.
Cocco bis tinctos urbi dat Græcia pannos,
Quid moror? huic urbi servit uterque polus.

Cultus Dei Mauzim.

Merces has in compendio Miſſa Papiſtica cum inſtrumentis ad eam pertinentibus exhibet; quo Danielis c. XI, 38. de Deo Mauſim prophetia itidem pertinet: *Deum quendam, quem non agnoverunt Patres ipſius, honorabit auro & argento & lapide pretioſo & deſiderabilibus.* Notanda autem καχοζηλία Romæ, cum merces pleræque Tyri in tabernaculo a Moſe juſſu Dei exſtructo & deinde templo comparuerint. Nam eo reſpici, non tantum ex ipſo *mercium* catalogo, ſed etiam ex mentione Montis ſanctitatis, Cherubinorum, aliorumque ad cultum veteris Œconomiæ ſpectantium apud Ezechielem patet. Et certe has pretioſitates Antichriſtianismus, a Deo licet reprobatas, ab Apoſtolis abrogatas, & cum veteri Synagoga ſepultas, proprio auſu reduxit. Si cui placeat propius eas in compendio contemplari, Celeb. *Heideggeri* verba Myſter. Babyl. P. 2. diſſert. XVI. adſcribere lubet ex §. 7. "Quicquid etiam vos diſſimu-
"letis, vel talpa Tireſia cæcior videbit in cultu veſtro obvias
"has merces: *Aurum*, *argentum*, *lapides pretioſos*, *margari-*
"*tas*, *byſſum*, *purpuram* aut *coccum* in Miſſali idolo, Papa,
"Cardinalibus, aliisque Magnatibus Babylonicis, eorumque
"miniſtris exornandis: *lignum thyinum* in Templorum teſtu-
"dinibus adornandis ſculpendisque idolis: *thura*, *ſuffimenta*
"in imaginibus colendis: *lignum*, *æs*, *ferrum*, *marmor*, in
"imaginibus iisdem, aliisque utenſilibus ſacris fabricandis:
"*cinnamomum* odoresque aromaticos ſimiles, & *unguenta* in
"ſacris unctionibus conficiendis: *ſimilam* & *triticum* in Nu-
"mine panaceo conficiendo: *vinum* in calice aurato, quod ſo-
"lus ſacrificulus conficiens pitiſſat: *jumenta*, puta vituli,
"ovesque, ſeu agni Dei & vellera ſacra: *equi*, *rhedæ*, *corpo-*
"*ra*, rhedas bijugas, quadrijugas, ſejugas, id eſt equos binos,
"quaternos, ſenosve habentes, & pediſſequos utrimque ad
"latera rhedæ currentes, qui σώματα *corpora* hic vocantur, non
"eo ſolum ſenſu, quo vox ea *ſervos*, *mancipia* ſignificat,
"quales certe etiam pediſſequi ii ſunt, ſed eo etiam, quod
"hi ſervuli *nudi* id eſt ſine pallio penulave currere ſoleant;
"qua-

Reſpicitur in his mercibus ad opes tabernaculi & templi.

quales equi, rhedæ, corpora in Papæ, Cardinalium, Epi-" scoporum, Magnatum omnium cavalcadis, equitationibus," vecturis, adeoque ipsarum Ecclesiasticarum dignitatum" nundinationibus maxime conspicui sunt: denique *animæ*," quas in purgatorio detineri, atque inde pretio auri, argen-" ti, lapidum pretiosorum, byssi &c. redimi posse, Babylo-" nii mercatores illi nugantur. Hæc *Heideggerus*; quanquam" in *corporum & animarum* explicatione non facile suam opinio- *Animæ sunt servi, corpora prostibula.* nem quoad sensum literalem persuasurus sit, cum certum sit in stylo S. Scripturæ *animas* pro servis sumi: quia illorum conditio infert, ut voluntatem suam imperio alieno subjiciant. Per *corpora* autem, si ea distingui ab animabus fas est, *Grotius* eleganter intelligit homines liberos, qui se pro pecunia prostituebant, sive mares, sive fœminas, quorum *corporum* seu prostibulorum copia Romæ suppetit. Ita sane malo, quam cum *Vorstio* Philol. Sacr. p. l. cap. 13. p. 340. 341. aliisque Grammaticis inanem hic sub voce ψυχὴ latentem pleonasmum statuere. In stylo Spiritus Sancti non facile aliquid redundans credendum est, præcipue quando sufficiens ratio suppetit, qua probari potest, id quod Criticis pro pleonasmo habetur, sensum divitem fundere.

XXIV. Nec tamen in his subsistendum, *tum* ne ni- *Potissimum hic de mercibus mysticis cogitandum.* mia hyperbole statuatur in stylo prophetico, *tum* quia de externis *mercibus* vix potest dici, quod de mercibus Tyri promittitur Jes. XXIII, 18. *Et fiet mercimonium ejus & quæstus ejus sanctum Jehovæ: non ponetur in thesauris, neque possidebitur* (nempe ab Ecclesia Antichristiana, quæ falso sibi de his mercibus mystice intellectis gloriatur) *sed sedentibus coram Jehova cedet mercimonium ejus, ut comedant* AD SATIETATEM & VESTIMENTUM DURABILE. Quamvis enim fieri possit, ut ipsa Ecclesia etiam participet de *mercibus* temporalibus Babylonis, uti sane fieri cœpit in Reformatione, non tamen exinde *satietas* & *vestimentum durabile* Ecclesiæ confici potest. Hæc augustius quid spirant. Cum ergo præsuppoſuerim, *quarum significatio* mer-

ex typo supellectilis sanctuarii optime detegitur, adhibita tamen cautione.

merces has quoad maximam partem coincidere cum partibus illis, ex quibus tabernaculum est compositum, non difficulter ex earum collatione colligitur mystica mercium Tyri significatio. Ubi tamen notandum triplex discrimen. *Primum* est, quod tabernaculum repræsenter Ecclesiam vere bona illa possidentem, Tyrus vero cœtum falso in iis gloriantem. *Secundo* & in eo differunt, quod munera hæc ultro ab Israele collata in tabernaculo perdurent: in Tyro vero ut merito proprio conquisita *mercimoniorum* instar habeant, pretioque turpi aliis vendantur, secundum illud epigramma:

Vendit Alexander claves, altaria, Christum:
Vendere jure potest, emerat ille prius.

Tertium est, quod in catalogo *mercium* Tyriarum multa addantur, quæ in supellectile tabernaculi locum non habebant. Quod mirandum non est, quia multa supernumeraria Antichristianismus habet, quæ quamvis ad salutem non requirantur, pro talibus tamen venditantur. Unde duo exsurgunt mercium Tyriarum genera, alterum cum opibus tabernaculi Tyro commune, alterum ei privum est.

Gemmæ Tyri mysticæ exprimunt gloriationem in perfectionibus veræ Ecclesiæ:

XXV. Singula brevibus excutiamus. GEMMAE in cultu Regis Tyri obveniunt Ez. XXVIII, 13. unde transferuntur Apoc. XVII, 4. XVIII, 12. Hæc sunt *desiderabilia*, de quibus Joel. III. 10, Alludi apud Ezechielem ad pectorale Pontificis Maximi valde probabile reddidit Clar. *Loërsius* in singulari dissertatione. Cum autem hæ *gemmæ* insignis typus fuerint Ecclesiæ Novi Testamenti, ejusque perfectionum & virtutum, quibus per Spiritum Sanctum exornata est; exprimitur hic primaria Antichristianismi in nomine Catholicæ Ecclesiæ gloriatio, cujus vanitatem Spiritus Sanctus recte videtur insinuare voluisse, dum non duodecim, sed *novem* duntaxat *gemmas* Regi Tyri dat.

Inter

Inter gemmas elucent MARGARITAE, quæ commune ſymbolum ſunt veritatum Evangelicarum Matth. VII, 6. XIII, 46. Hinc & portæ novæ Hieroſolymæ ex *margaritis duodecim* Apoc. XXI, 21. quia per veritatum harum in teſtimonio Apoſtolorum fundatarum agnitionem in regnum cœlorum intratur. Emblema eſt elegans, ob originem ex rore matutino: ob difficultatem piſcaturæ: ob ingens pretium mundo ignotum: ob albedinem: ob ſplendorem: ob perfectam rotunditatem: ob multiplicem in medicina uſum: ob operam, quæ in earum acquiſitione impenditur: quæ ſingula applicari poſſunt. Has *margaritas* ſibi vindicat Papatus, quia Evangelium Jeſu Chriſti in ore gerit. *Margaritæ doctrinam Evangelicam, quæ venditatur:*

AURUM in relatione ad veram Eccleſiam meritum Chriſti & dona Spiritus exprimere Exerc. VIII. §. 20. docui. Idem ſymbolum hic uſu venit, quia Papatus non tantum in his pretioſitatibus gloriatur, ſed etiam turpe lucrum inde quærit, dum quotidianam Chriſti, præſertim in Miſſis pro defunctis, oblationem vendit, & multiplicis Simoniæ in collatione munerum Eccleſiaſticorum rea eſt. De hoc deinceps. Ob illud Judæ Iſchariotis antitypus eſt Antichriſtus, quod *Gualtherus Dyſſe* ſuo tempore jam notavit, canens: *aurum oſtentationem meriti & Spiritus Chriſti:*

Ecce ſponſi comites vendunt Sponſæ dotes,
Furantur in cacabo carnes Sacerdotes,
Si ſpectes medullitus, ſi rem bene notes,
Chriſtum vendunt hodie novi Iſchariotes.

ARGENTUM in tabernaculo, ex quo præcipue pedes & baſes parietum conſtabant, exprimebat tum obedientiam Chriſti, tum præcipue verbum Dei: collato Pſ. XII, 7. Apud ipſum *Lucianum* exploratores veritatis cum ἀργυρογνώμοσι comparantur Hermotimo p. m. 556. Similitudo eſt in ſplendore: in puritate: in pretio: in utilitate: in conſtantia: in multiplici per ignem afflictionum probatione. Quam turpiter hic *argentum mercaturam cum verbo Dei:*

thesaurus occultetur in Papatu, & nonnisi corruptus ac interpolatus, idque certis tantum personis aperiatur, notum est.

æs pretensam sanctitatem:

AERIS in Phœnicia abunde olim erat. Hinc Sidon πολυχάλκ@ apud *Homerum* Odyss. ι. v. 425. In tabernaculo æs sanctitatis symbolum fuit. *Æs* altaris holocaustorum sanctitatem humanæ naturæ Christi figurabat. In Antichristianismo sanctitas singularis venditatur, & ex ea lucrum Ecclesiæ quæritur.

stannum traditiones Ecclesiasticas:

STANNUM argento opponitur Jes. I, 22. cujus quidem speciem, sed non pretium habet: adeoque imago potest esse traditionum, canonum, Conciliorum, Patrum, legendarum, quæ omnia verbo Dei assuuntur, similisque authoritatis & pretii esse perhibentur.

ferrum asperitatem Monachatus:

FERRUM commune apud antiquos symbolum duritatis & crudelitatis fuit. Hinc apud *Homerum*, *Sophoclem* aliosque *ferreus homo* pro duro habetur, quod in adagium abiit, uti notat *Apostolius* Cent. III, 13. Rem satis illustrarunt *Duportus* Gnomolog. Homer. p. 175. *Roa* singular. Tom. I. lib. 2. c. 3. sq. *Barthius* ad Claudian. p. 328. 329. Ad quantum immanitatis fastigium Clerus Pontificius adscenderit, quam *ferrea* sint pectora monachorum, præcipue qui infernale illud Inquisitionis tribunal possident, experientia per tot secula docet. Fors quoque non male, cum & *ferrum argento* opponatur, Jes. LX, 17. intellexeris *ferreum* vitæ institutum, totque asperas religiosorum Ordinum regulas, quæ itidem apud illos assumenta Scripturæ sunt. Sic *ferrea jura* memorat *Virgilius* Georg. II. 501. quæ *Servius* explicat, *dura*, *inexorabilia*, *immutabilia*. Conjungi hæc duo possunt, quia vita monastica non ultima caussa est extremæ illius μισανθρωπίας, quæ hos homines plerumque occupavit, & cujus tot tristissimis fidemque ferme superantibus exemplis martyrologia nostra scatent.

plumbum piæ ignorantiæ:

PLUMBUM pro invento Midæ habetur, uti notat *Junius* de pictura vet. P. II. 224. Videtur symbolum esse ignorantiæ

rantiæ & ſtupiditatis Ezech. XXII, 18. atque adeo doctrinæ talis, quæ eam ſtudio fovet, & piam pronuntiat, qualis eſt Theologia Scholaſtica. Ut res exemplo illuſtretur, narrat & laudat *Gregorius de Valentia* Anal. de Eccleſ. p. 205. conſilium mercatoris cujusdam Placentini, qui ita ratiocinatus eſt: Mecum ſic ſtatuo, velle me Pontificiam potius, quam Lutheranam Religionem amplecti, ob id imprimis, quia illic compendio quodam diſcere poſſum veritatem, videlicet ſi ajo, quod ait Pontifex, nego, quod negat Pontifex. Hic vero, ſi Lutheranus vellem fieri, *Catechiſmus mihi diſcendus, & Scriptura ſcrutanda eſſet*, quod equidem facere non poſſum, cum potius Italicæ naves mihi obſervandæ, & transmarinæ merces inveſtigandæ ſint. Ἐπίκλησις Valentiani eſt: *Deum omnino nihil habiturum, quod in tremendo illo judicio ei opponere poſſit.* O cor Zenodoti, jecur Cratetis!

ebur gnoriſmata Eccleſiæ?

EBUR qualitates veræ Eccleſiæ, pretioſitatem, firmitudinem, puritatem repræſentare docui Exercit. VII. §. 19. quas, ſi Diis placet, ſibi privas eſſe perſuadere vult Romana ſedes.

marmor pretenſos veros fideles.

MARMOR lapidis præſtantiſſimi genus eſt: unde & *marmorei* lapides ad ædificationem templi parati 1. Chron. XXIX, 2. Inter merces Babylonis myſticæ merito recenſetur, tum quia ſe petræ inædificatam eſſe, tum quia lapides vivos, id eſt veros fideles, tantum in ſua communione inveniri falſo gloriatur.

Lignum cedrinum & thyinum inter Tyri merces.

LIGNUM pretioſum in domo Dei typica olim fuit adhibitum, in tabernaculo *Sittim*, quod credibile eſt ſpinam albam fuiſſe, in templo *cedrinum*. Hoc poſtremum quoque inter *Tyri merces* recenſetur Ezech. XXVII, 24. & fors Apoc. XVIII, 12. per ξύλον τιμιώτατον intelligitur, a quo diſtinguitur ξύλον θύινον, quod æque ac *cedrinum* magno in pretio apud antiquos fuit. Utrumque jungit *Homerus* Odyſſ. ε.

πῦρ μὲν ἐπ' ἐσχαρόφιν μέγα καίετο, τηλόθι δ' ὀδμὴ
Κέδρου δ' ἐυκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

i. *Ignis quidem ad focum ingens ardebat, procul vero odor cedrique fissilis & thyini per insulam redolebat:* Sed qualis *ligni* species per θύινον designetur, de eo non exigua lis est. Viri summi *Grotius* in hunc locum & *Salmasius* Exerc. Plin. p. 667. sqq. *lignum citreum* intelligentes catervatim alios in suam sententiam duxerunt. Ego vero fateor lignum θύινον saltem in nostro loco me pro *hebeno* habere. Allusum enim existumo ad Ezech. XXVII, 15. ubi inter merces Tyri *cornua eburna & hebenus* recensentur. Nec aliud occurrit in illo catalogo Ezechielis, quod cum hoc *ligno* conferri possit. Et memoratu fors non indignum, authores profanos similiter, ut Propheta & ex eo Johannes, ebur & θύινον frequenter conjungere. *Diodorus Siculus* lib. V. Bibl. τὰ δ' θυρώματα δ' ναῦ θαυμασίας ἔχει τὰς κατασκευὰς ἐξ ἀργύρου, καὶ χρύσου, καὶ ἐλέφαντος, ἔτι δὲ θύου δεδημιουργημένας i. *Januæ templi mirando artificio sunt constructæ, argentoque & auro, nec non ebore & ebeno concinnatæ.* *Athenæus* Deipnosoph. lib. V. αἱ δὲ τῆς πρόσταστως θύραι τὸν ἀριθμὸν εἴκοσι δοαι θύναις κατεκεκόλλητο σάνισιν, ἐλεφαντίνας ἔχουσαι τὰς κόσμους i. *fores per ambitum numero viginti tabulis ex hebeno coagmentatæ fuere cum eburneis ornamentis.* Ex *Suidæ* quoque locum excerpsit *Salmasius*: Μασσάνας μὲν δὲ ἀπέστειλεν αὐτοῖς ἐλέφαντος τριάκοντα τάλαντα, θύου δὲ πεντήκοντα πρὸς κατασκευὴν ἀγαλμάτων i. *Mæssanas misit illis* (Rhodiis) *eboris XXX. hebeni vero L. talenta ad confectionem statuarum.* Nec dubito, hæc inter se in ornamentis templorum & statuarum conjuncta, ob elegantissimam perfecti in ebore candoris & in ebeno nigroris mixturam. Cæterum hæc hypothesis quadrat egregie cum eo, quod supposui, plerasque Tyri merces cum pretiositatibus templi coincidere, in cujus cultu *ligna* אלמגים insignem occuparunt locum 1. Reg. X, 11. 12. quæ *Vulgata*, *Hieronymus*, *Tostatus*, *Sanctius*, *Junius* & *Tremellius* aliique per *thyina* verterunt, revera autem fuere *hebenus*, quod egregie probavit *Lipenius* Navig. Ophirit. cap. 8. Sect. 4. Videtur quidem obstare, quod *Almugim* 2. Chron. II, 7. ab Hiramo ex Syria petantur, unde *pinum* post τὸ multi intel-

Posterius idem cum hebeno esse probabile fit.

Ebur & hebenum frequenter conjungun-tur.

Ligna almugim hebenus fuere.

intelligunt, inter quos *Tillius* de Music. Ebr. p. m. 494. Sed quid impedit, quo minus ibi per *Almugim Terebinthos* intelligamus, quæ colore aliisque qualitatibus prope ad hebenum accedunt & in Syria secundum *Plinium* frequentes fuere? Unde a nautis ob similitudinem idem nomen facile ad *hebenum* Indicum transferri potuit. A qua sententia non multum abludunt, quæ habet *Pineda* de reb. Salom. lib. IV. c. 18. *Huetius* in navigat. Salomon. c. 6. ipse quoque post *Ursinum* Arbor. Bibl. c. 43. §. 9. aliosque per אלמגים *lignum thyinum* intelligit, sed istud esse citrum putat, inductus sine dubio hypothesi sua paradoxa, qua Ophiram nos in Africa quærere jubet. Interea, quamvis eorum opinionem similiter adducat, qui per Almugim *hebenum* intelligunt, nihil tamen opponit, quod infringere hanc sententiam potest. Scio quidem *Plinium* θυόν Græcorum per citrum interpretari. Sed quamvis illud præfracte negare nolim, certus tamen sum, aliis quoque arborum speciebus idem nominis a Græcis esse impositum. Ipsum *Theophrastum*, quem Plinius sequi sæpe solet, diversam a citro arborem Hist. Plant. lib. V. c. 5. per θύον designare contra *Salmasium* evicit *Joh. Bodæus a Stapel* in Commentar. p. 522. seq. Generatim ergo arboribus quibusdam odoriferis hoc nomen impositum fuisse vel ex etymo ipso mihi persuadeo. Hinc & inter arbores odoratas Arabiæ a *Dionysio Periegete* θύος memoratur, quod de citro intelligi non posse ipse *Salmasius* agnoscit. Meliori ergo jure *hebenus* præ aliis θύον dici meretur, quod *usta jucundissimum spargit odorem*, teste *Plinio* lib. XII. c. 4. fricta quoque & attritu *fragrantissima* est apud *Dioscoridem* lib. I. c. 130. Hæc in antecessum monenda, ne quis rem pro citro ita confectam putet, uti Celeberrimo *Vitringæ* in locum Apocal. XVIII. videtur. Sic quoque eo facilius emblema lignorum tum *cedrini* tum *thyini* detegitur. Utraque pretiosissima, venenis contraria, durabilia, odorata, similia attributa Ecclesiæ exprimunt, quæ falso Papatus sibi tribuit. Præcipue elegans est hic *ebeni* emblema, cujus suavis odor cum nigro-

θυόν ligna odorata generatim significat.

Designant autem hæc ligna veros confessores & martyres, quos Papicolæ crepant.

nigrore junctus depingit ſuaviſſimam coram Deo & ſanctis ejus fructuum fidei in perſecutionibus conſtantiam. Confer Cant. I. 6. ubi ad ornatum aulæorum Salomonis reſpici ex præcedente v. 5. patet. Hanc quoque ſibi vellet tribui Eccleſia Antichriſtiana aureolam, multas perſecutiones jactans, quamvis ipſa ſemper fuerit perſecutrix. Eo usque, ut *Bellarminus* ſcribere audeat lib. III. de R. P. c. 7. *Multo plures Catholicorum hæretici noſtri occiderunt his decem vel quindecim annis in Gallia & Flandria, quam Inquiſitores combuſſerint hæreticorum forte in centum annis. Itaque non poſſunt appellare hanc perſecutionem, ſed bellum civile. Si vero perſecutio dicenda eſt, Catholici potius eam patiuntur, quam Lutherani & Calviniſtæ: Catholici enim ſunt, qui ex multis Provinciis ejecti Eccleſias, patrimonia, & ipſam etiam patriam amiſerunt &c.* Impudenti huic gloriatori os obtundit *Heideggerus* Tom. II. Diſſ. 10. §. 70. 71. De cœtero negare nolumus, quæ Papatus aſſeclæ ab Americanis, Japanenſibus, & nunc nuper a Chinenſibus quoque paſſi ſunt. Sed notæ quoque nobis ſunt fraudes & crudelitates, quibus horum hominum furores in ſe provocarunt.

Vaſa diverſa ſunt diverſi ſanctorum ordines.

VASA ex memoratis materiis, ex ebore, ligno, ære, ferro, marmore, deſignant ipſas perſonas & ſubjecta, quibus tales qualitates virtutesve inſunt, aut ineſſe venditantur. 2. Tim. II, 20. *In domo magna non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & teſtacea: & hæc quidem ad honorem, illa vero ad opprobrium.* Confer Zach. XIV, 20, 21. Cogitemus ergo hic de Sanctis & eorum variis ordinibus, quibus Romana Eccleſia ſuperbit.

Fructus diverſi ad veritates fundamentales referendi.

XXVI. TRITICUM, SIMILA, VINUM, OLEUM ſymbola propinqua ſunt, quæ ſolent veritates fundamentales deſignare. Earum enim agnitione & fideli applicatione anima paſcitur, roboratur, recreatur. Exempli gratia Apoc. VI, 6. *Chœnix tritici denario & tres chœnices hordei denario, & vinum & oleum ne læſeris.* Confer Jerem. XXXI, 12. ubi

eadem

eadem inter bona Ecclesiæ memorantur. Sed sunt etiam inter *merces Tyri*, quoniam Antichristianismus in harum veritatum confessione nequicquam gloriatur, cum prout ei utile videtur, reapse iis addat, demat, varieque eas invertat. Sed possunt etiam singula suam emphasin habere.

TRITICUM apud Ezechielem & Johannem fors idem est, quod Jes. XXIII, 3. *semen Nili* nuncupatur. Hujus flos est SIMILAGO, סולת in cultu Levitico frequentissima, semperque designans sanctissimam Christi carnem, veram ejus e terra originem, totamque obedientiam & passiones in ea præstitas. Hujus thesauri possessionem sibi eousque adscribunt Pontificii, ut etiam corporaliter in Missa præsentem esse perhibeant, quin adorare jubeant. *Triticum præcipue potest respicere ad Deum panaceum:*

VINUM quoque doctrinæ symbolum habere Judæi in *Pirke Avoth* c. 4. fatentur. Loca exscripsit *Lud. de Dieu* Crit. Sacr. p. 443. Cumprimis tamen potest exprimere doctrinam de sanguine Christi seu obedientia ejus passiva, ejusque merito & bonis N. T. ex ejus effusione actuali promanantibus. In propatulo enim est, huc *vinum* sacrificiis additum & in instituta sacra synaxi a Christo ad exemplum Melchisedeci adhibitum respexisse. Hanc etiam doctrinam, quamvis miserrime interpolarit & mutilarit, suam tamen esse jactat Papismus. *Vinum ad doctrinam de sanguine Christi:*

OLEUM commune symbolum Spiritus Sancti, uti docui Exercit. VI. §. 27. hic eodem modo doctrinam de Spiritu Sancto ejusque operationibus designat, quæ tota in Antichristianismo ita exponitur, uti conservando quæstui & honori Ecclesiasticorum quam maxime conducit. *Oleum ad doctrinam de Spiritu Sancto:*

MEL quamvis ab altari Dei exularet Levit. II, 11. in nundinis *Tyri* conspicitur. In genere mel symbolum verborum amœnorum Prov. XVI, 24. *Favus mellis verba amœna, dulcia animæ, & medicina ossibus.* Dictum aliquid in hanc rem Exerc, IV. §, 6. Et sine dubio verba sapientiæ atque eloquentiæ humanæ intelliguntur, quando melli præfertur lex *Mel ad depravationem doctrinæ per inventa hominum:*

Dei

Dei Pſ. XIX. 11, CXIX. 103. Nil magis in promtu eſt Papismi aſſeclis, quam lenociniis verborum incautos fallere, errores-que peſtilentes ad palatum carnis incruſtare, quibus tamen deglutititis nil niſi tormina interius naſcuntur.

Unguentum ad dona Spiritus & chriſma:

UNGUENTUM ferme cum OLEO quoad δήλωσιν coincidit. In ſpecie deſignat ſuavem donorum Spiritus mixturam, quibus veſtes Chriſti redolere ſupra oſtenſum. Nil ergo mirum, in unguentis quoque ſuis gloriari prætenſum Chriſti in terris Vicarium, ſuamque crepare unctionem, cujus alios pro lubitu κοινωνὸς facit, adhibito etiam ad fidem majorem faciendam vario externo chrismate. Sed de quo citatus jam ſupra *Gualtherus Mapes* recte canit:

Sacros vendunt ordines, ſacrum vendunt chriſma,
Vendunt in ſe quantum eſt, ſpiritus chariſma.

Balſamum נטף *ad remiſſionem peccatorum:*

BALSAMUM inter unguenta locum obtinet primarium. Hoc videtur innui per נטף Ezech. XXVII. 17. Saltem *Hieronymus* ita vertit. Et Hebræorum Magiſtri *Joſephus Gorionides* cum *Jarchio* per אפרסמון i. *opobalſamum* interpretantur. Eos vero, qui regionis & ipſius Phœniciæ nomen eſſe putant, refutat *Bochartus* Geogr. Sacr. Parte II. lib. I. c. 1. Saltem cum hæc inter pretioſiſſimas Canaanis *merces* fuerit, non eſt veroſimile, in earum catalogo eam prorſus ſilentio præteritam fuiſſe. Et myſtice deſignare poteſt id, quod inter omnia dona Spiritus Sancti pretioſiſſimum eſt, & vulneribus conſcientiæ medendis aptiſſimum, remiſſionem nempe peccatorum & inde naſcens jus ad vitam æternam, quæ dona turpiſſime per indulgentias Papales in Tyro ſpirituali venduntur.

Reſina ad indulgentias:

RESINA prope accedit. צרי dicitur ab Ezechiele, quod non balſamum ſed *reſinam* deſignare laudatus modo *Bochartus* docet Hieroz. P. I. lib. 2. c. 51. p. 628. Cum autem hæc quoque in medicina ſimilem cum balſamo uſum habeat, fors indulgentias & abſolutiones minoris momenti, quales per confeſſionarios in Papatu dantur, depingere apta eſt, qui in hanc rem miſere promiſſionibus Evangelii abutuntur. CA-

CASIA quid ratione veſtium Meſſiæ deſignet V. Exerc. VII. §. 11. Ea eſt קדה de qua Ezech. XXVII. 19. cujus loco fors Johannes κινάμωμον exhibet, quæ ſaltem confinia odoramenta eſſe ibidem docui. Cum CASIA ſive CINNAMOMO conjungitur CALAMUS, aromaticus nempe & inter odores veterum pretii haut exigui. Prov. VII. 16. lectus meretricis Babyloniæ his odoribus delibutus eſt. Hæc ſimul juncta eodem reſpiciunt & ſanctitatis odorem, quem vivis & mortuis lucri cauſſa affricat Papismus repræſentant. Poſſunt autem eædem hæ aromatum ſpecies non tantum ut materia unguentorum ſed etiam ſuffimentorum conſiderari, quæ aliquid diverſi deſignant. *Caſia & calamus ad odorem ſanctitatis:*

SUFFITUS apud *Tyrios* in magnis fuit deliciis, in quorum ſacrificiis πολλὴ μὲν ἡ τῶν θυμιαμάτων πομπή, ποικίλη δὲ ἡ τῶν ἀνθέων συμπλοκή. τὰ θυμιάματα, κασσιὰ, καὶ λιβανωτὸς, καὶ κρόκος. τὰ ἄνθη, νάρκισσοι καὶ ῥόδα, καὶ μυρρίναι. i. *Magnifico enim apparatu ingenti videlicet ſuffimentorum copia, magnaque florum varietate inſtructa fuerat. In ſuffimentis caſia, thus, crocus: in floribus narciſſus, roſa, myrtus erant.* Ita *Achilles Tatius* de Clit. & Leuc. lib. 2. Præcipuum autem & frequentiſſimum inter ſuffimenta ſacra proculdubio THUS fuit. Suffitus preces adumbravit Apoc. VIII. 3. Et cui non dictus Hylas, nundinatio *Tyri myſticæ* cum precibus & interceſſionibus ſanctorum? *Suffitus & thus ad preces.*

XXVII. ANIMÆ HOMINUM ſunt conſcientiæ, quas ſuperſtitione imbutas quæſtui ſuo inſervire Papa cogit, & de æterna earum damnatione ſecurus eſt, ſi ſua ſolum ſtet authoritas. Et quia ANIMA ſæpe pro vita & ſanguine uſurpatur, ſimul immanes perſecutiones intelligi poſſunt, ad quas vel pretio expenſo Filios ſuos Primogenitos Roma invitat. Huc pertinent *animæ ſub altari* Apoc. VI. 9. per quas martyres a perſecutoribus Antichriſtianis interfecti deſignantur, & alluditur ad ſanguinem ſacrificiorum: non illum, qui coram Domino in propitiationem aſpergebatur, hæc enim ſolius ſanguinis Chriſti virtus eſt, ſed illum, qui ſub altari effundebatur. *Animæ hominum ſunt conſcientiæ & ſanguis martyrum:*

corpora Doctores fucati: CORPORA in ſenſu literali ſumſimus pro mancipiis libidinis. In ſenſu myſtico *proſtibula* imago ſunt falſorum doctorum. Eleganter falſam philoſophiam in meretricio cultu pingit *Lucianus* Reviviſc. p.m. 396. ubi inter alia: ὑπεφαίνετο δέ π καὶ ψιμύθιον, καὶ φῦκος, καὶ τὰ ῥήματα πάνυ ἑταιρικά. καὶ ἐπαινεμένη ὑπὸ τῶν ἐραστῶν ἐς τὸ κάλλος, ἔχαιρε. καὶ εἴ δοίη τις, προχείρως ἐδέχετο, καὶ τὰς πλουσιωτέρας ἀνταφεστιαμένη πλησίον, τὰς πένητας τῶν ἐραστῶν οὐδὲ προσέβλεπε &c. i. *Apparebat autem creta, fucus, & verba per quam meretricia. Ab amatoribus autem laudata valde gaudebat: & ſi quis aliquid dediſſet, avide excipiebat: & prope ſe opulentiores collocabat: at ne aſpiciebat quidem pauperes amatores.* Facile hæc ad Doctores Theologiæ falſæ transferri poſſunt. Hi ſunt *mulieres*, quibus veri Confeſſores non ſunt inquinati Apoc. XIV. 4. Eodem referendi ſunt οἱ ἐβδελυγμένοι, quos *Grotius* interpretatur ἀρσενοκοίτας & μαλακὸς Apoc. XXI. 8. quibus reſpondent κυνες in altero catalogo Apoc. XXII. 15.

Jumenta, equi, muli, rhedæ miſſionarii &c. JUMENTA, EQUI, MULI, RHEDAE quo ſint referenda, patet ex Jeſ LXVI. 20. *Et adducent omnes fratres veſtros ex omnibus gentibus munus Jehovæ in equis & in carpentis & in mulis & in Circarod ad montem ſanctum meum Hieroſolymam.* Intelliguntur heic in bono ſenſu illi inter gentes, qui promovendo operi Domini opem miniſtrant. Unde ex oppoſito in falſa Eccleſia *jumenta* & *rhedæ* ſunt inſtrumenta politica, quorum auxilio error & ſuperſtitio propagatur, qui vires & opes ſuas Beſtiæ conſecrant, eo majori jure *equis* & *mulis* comparati, quod ſtupiditatis ſymbola ſint Pſ. XXXII. 9. Prov. XXVI. 3. Nec excludenda hic miſſionariorum turba ſimilis illis, de quibus Matth. XXIII. 15.

Hirci arietes, oves, agni Laici. HIRCI, ARIETES, OVES, AGNI. Aliam claſſem animantium quadrupedum vides, quæ cum ſuperiori comparata ſpectat ad tales, qui minoris quidem momenti ſunt, ſed tamen ipſi quoq; pro virili rem Eccleſiaſticorum augent. Ecquid enim eſt populus in Papismo, niſi lanigerum pecus, quod non tantum a paſtoribus ſuis tondetur, ſed etiam deglubitur? cujus ſimplicitate & ignorantia ad emungendum Clerus egregie abutitur?

XXVIII.

XXVIII. VESTIMENTA *Tyriorum* & Phœnicum æstimata fuisse apud veteres vel ex *Scylace* constat. *Polymitarios* eos solertes ingeniososque fuisse, qui pretiosa vestium tenuissimarum, mollissimorum linteorum, tapetumvé e serico byssoque genera pectine, radiové texerent, docet *Reinesius* de ling. Punic. c. II. *Vestimenta* mystica Christi vidimus Exerc. VII. §. 3. seq. quæ sunt tum qualitates ejus gloriosæ, tum populus. Vestimenta mystica Ecclesiæ enarrata sunt Exerc. VIII. §. 18. seq. quibus tum justificationis tum sanctificationis dona exprimuntur. Sed habet & Antichristianismus mysticum vestitum Apoc. XVII. 4. Quicquid enim vere sub his symbolis tum Christo tum Ecclesiæ tribuitur, istud omne per insignem impudentiam, illud ad Papam, hoc ad Ecclesiam Romanam rapitur. Quin aliud quoque hic addi potest. Vestimenta speciatim dignitatum symbolum sunt, & præsertim in Ecclesia Antichristiana esse possunt, ubi omnes ordines ex vestitu distincti. Quis vero nescit, quantus ex dignitatum Ecclesiasticarum nundinatione quæstus colligatur? *Gualtherus Dysse* ita jam suo tempore cecinit: *Vestimenta referenda ad falsam speciem & ad varios honorum gradus.*

Vis Decanus fieri, Præsul, Patriarcha,
Auri multa tibi sit vel argenti marca,
Tantum habent fidei, teste manu parca,
Quantum quisque sua nummorum servat in arca.

Guilielmus Mamelsburgiensis lib. IV. de Regibus:

Proh dolor, Ecclesiæ nummis venduntur & aræ:
Filius est Præsul, pater Abba, Simon uterque.
Quid non speremus, si nummos possideamus?
Omnia nummus habet: quod vult facit, addit & aufert.
Res nimis injusta, nummus sit Præsul & Abba.

PURPURA heic præ cæteris eminet, non tantum, quod pretio reliquas vestes vincat, sed etiam quod Tyro sit domestica, adeo ut aliquando *omnis ejus nobilitas conchylio atque purpura constiterit*, memorante *Plinio* lib. V. c. 19. *Nonnus* Dionys. lib. XL. *Purpura a Tyriis inventa designat gloriationem in*

cruce & sanguine Christi.

Καὶ τυρίης σκοπίαζε δεδευμένα φάρεα κόχλῳ
Πορφυρέης σπινθῆρας ἀκοντίζοντα θαλάσσης,
Ἠχι κύων ἁλιεργὸς ἐπ' αἰγιαλοῖσιν ἐρέπλων
Ἐνδόμυχον χαροπῇσι γενειάσι θέσκελον ἰχθύν,
Χιονέας πόρφυρε παρηίδας αἵματι κόχλου,
Χείλεα φοινίξας διερῷ πυρὶ, τῷ ποτε μούνῳ
Φαιδρὸν ἁλιχλαίνων ἐρυθαίνετο φᾶρος ἀνάκτων

1. *Et Tyriæ conſpexit veſtimenta tincta concha, Purpureas ſcintillas ejaculantia maris. Ubi canis in mari laborans in littore comedens Intus latentem fulvis maxillis divinum piſcem Niveas purpurabat genas ſanguine conchæ Labia cruentans humido igne, quo quondam ſolo Purum mari amictorum rubebat veſtimentum Regum.* Alluditur ad fabulam de inventione purpuræ. *Tyro* puella juxta mare iter cum Hercule faciebat, ipſius autem canis *purpuræ* carnem depaſtus eſt, cujus rictum cum gratiſſimo colore infectum Tyro vidit, veſtem ſimilis coloris ab illo poſtulavit, primusque Hercules cruorem ex purpuris collegit, lanaque eo infecta, veſtem amicæ dedit. Propius ad veritatem accedit, quod *Achilles Tatius* narrat a cane paſtoris inventam, qui legi poteſt lib. 2. p. 85. ſeq. Hinc *concha* commune Tyriorum ſymbolum, ut ex nummis ejus patet, præcipue ex octavo tabula data, ubi & canis inventor ſimul apparet. Conſuli quoque de *purpura Tyria* poſſunt *Bayfius* de re veſt. *Pierius* hieroglyph. lib. XXVIII. *Junius* de pictura P. II. p. 95. *Bochartus* Hieroz. II. lib. 5. c. 9-11. *Braunius* de veſt. Sacerd. I. 14. & innumeri alii. Purpura color ſanguinis eſt, unde ſanguis *purpureus* dicitur. In ſacro ergo veſtitu V. T. ſanguinem Chriſti adumbravit, unde *ſedes lecticæ*, quæ eſt Eccleſia, *purpura conſtrata* Cant. III. 10. & Sponſa ipſa *purpura* ornata Cant. VII. 5. Papatus externa profeſſione nomen dedit Chriſto per effuſionem ſanguinis pro fidelibus conſummato, quem ipſe Clerus in ore habet. Vel ſola *Cruciatæ militiæ* numeroſiſſima cohors, quæ ſanguinis Chriſti in cruce profuſi ſymbolum in corpore geſtavit, ejus rei indicium præbet.

COC-

Landesbibliothek Oldenburg

COCCUS ad purpuram prope accedit tum colore, tum pretio, unde idem quoque emblema gerere potest. Si tamen distinguendum, notari meretur, coccinum peccati symbolum sæpe esse in Christum translati seu transferendi Jes. I, 18. Bene plura in hanc rem notavit *Braunius* de Vest. Hebr. lib. 2. c. 27. §. 769. & *Vitringa* in Jesaiæ locum citatum. Quare hic nundinatio, quam cum ipsis peccatis Confessionarii Pontificiorum instituunt, non inepte intelligeretur. Specimen illius qui vult, *Taxam sacræ pœnitentiariæ* inspiciat, quam *Musculus* inseruit Loc. Comm. p. m. 215. seqq. in qua omnia peccata venialia pretio. Sufficit hæc pauca excerpere.

Coccus aut ad nundinationem confessariorum cum remissione peccatorum, aut ad sanguinem Martyrum respicit.

In primo gradu affinitatis dispensatur in foro conscientiæ tantum & taxa est turon 30. ducat. 7. carl. 6.

Parricidium, matricidium, fratricidium, sororicidium taxatur pro uno tantum turon. 4. duc. 1. carlin. 8.

Uxoricidium taxatur perinde atque parricidium. Pro muliere quæ cepit potum ad necandum fœtum, vel patre qui dedit potum matri turon. 4. duc. 1. carl 8.

De sacrilegio, furto, incendio, rapina, perjurio & similibus, absolutio cum rehabilitate in ampla forma, cum inhibitione, in quolibet dictorum criminum turon. 36. duc. 9.

Si petatur absolutio a crimine contra naturam, vel cum brutis, cum dispensatione & cum inhibitione turon. 36. ducat. 9.

Absolutio pro moniali, quæ se permisit plures cognosci intra & extra sepia monasterii, cum rehabilitate ad dignitatem ejus ordinis, etiam abbatialem, turon. 36. duc. 9. Mitto cœtera.

Cum tamen & ipse *color coccineus* sit sanguineus, fors etiam sanguis martyrum designatur, quem suum quoque esse Ecclesia Romana falso jactat, & cujus meritum sæpe sacrilego ausu cum merito Christi conjungit.

Sed vestes Tyri præter colorem etiam materia commendat. LANA & BYSSUS eo spectant. Ratione Christi LANA spectat ad obedientiam Christi passivam, BYSSUS

Lana & byssus obedientiam vendita-

tam adumbrat; ad activam. Ratione fidelium illa ad justificationem, hæc ad ornatum sanctitatis transferri potest: quibus se tegi, nequicquam nobis Tyrus mystica persuadere tentat.

Sericum opera supererogatoria: SERICUM, bombycum opus, admiscet Johannes, quamvis apud Ezechielem præteritum: quod in tabernaculo & templo Salomonis frustra quæri, & Salomonis temporibus adhuc ignotum fuisse *Braunius* l. cit. l. I. c. 8. probat. Noluit tamen negligere Apostolus, forte ut doceat opera supererogatoria sanctorum vestimentis veris Ecclesiæ ab Antichristianismo adsui. Quod eo aptius est, quia sericæ vestes apud veteres plerumque pellucidæ fuere. *Solinus* c. 50. *Hoc illud est sericum, in usum publicum damno severitatis admissum: & in quo ostentare potius corpora, quam vestire, primo fœminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido.* *Dionysius* inde de sericis verissime, περιηγ. 757.

Κείνοις ὅτι κεν ἔργον ἀραχνάων ἐλάσειεν

i. *Hæc superant tenues, quas texit aranea, telas.*

Ejusmodi esse σφωνὰς ἀραχνόυφεῖς ab *Eusebio* Præp. Evang. l. VIII. c. ult. notatas i. *præ nimia tenuitate raritateque, ! aranei texta imitantes* feliciter auguratur *Nic. Fullerus*, Miscell. Sacr. II. c. 11. qui inspici heic meretur, quamvis rem ipsam plures notarint. Sic quoque merita Sanctorum telis aranearum similia sunt, quæ facile rumpuntur & nuditatem coram oculis Domini flammantibus non tegunt.

Vestes stragulæ pulvillos securitatis: VESTES STRAGULAE adduntur apud Ez. XXVII, 20. sicut & Prov. VII, 16. quæ conveniunt cultui meretricio, & heic singularem emphasin habent, quia pulvillis & cervicalibus abundat emporium Antichristianismi, quibus secure indormitur, & ad vivendum delicate peccaminoseque lata porta aperitur, cum atrociſſimis criminibus eluendis præsto sint remedia, quibus adhibitis se impune ad genium suum redire posse Pontificia turba somniat.

FUNES

FUNES tamen caveat, qui altum heic nimis soporem stertit. Nam ii quoque in eodem catalogo v. 24. comparent. Si literam spectes, de funibus cannabinis cogitare poteris, qui monachis præcipue Franciscanis sunt cinguli loco, & in quos ita lusit poëta apud *Balæum* de Script. Britan. Cent. III. c. 57. in Appendice: *Funes non tantum cingula monachorum, sed etiam fraudes.*

Cordula nodosa, pes nudes, cappa dolosa,
Hæc tria nudipedes ducunt ad tartara fratres.

Virulentius *Buchananus* ad Pantalabum, quod tamen non probo:

En tunicam fluxam nodosa cannabe cingis,
Cum melius fauces stringeret illa tuas.

Sed jungi potest sensus mysticus. In Oriente funes fraudum & imprimis meretriciarum emblema esse docet *Bochartus* Canaan lib. I. c. 18. p. m. 444. 445. Hinc κόβαλοι dæmones ab Hebræo חבל *funis*. *Funes abscondere alicui* Psalm. CXL. 6. est ei insidiari. Confer & Ps. CXIX, 61. Alludsum ad tales *funes*, qui *laqueis* inserviunt: quos in proverbio pro dolosis sermonibus & fallaciis dictos in vulgus notum est. Quis vero artes & technas omnes enarrare queat, quibus in Romana Ecclesia animæ illaqueantur? Alii has memorarunt: mihi tandem a foro Tyri, in quo diutiuscule hæsi, ad cætera pergendum.

XXIX. *Duodecimo*: Nervus mercaturæ est *navigatio*, qua *Tyrus* inprimis olim inclyta fuit. Patet hoc ex ipsa historia sacra, quæ Hiramum Regem Tyri rei navicularie intentum indicat 1. Reg. IX, 27. Per hanc peperere sibi Tyrii olim θαλασσοκρατίαν. *Strabo* lib. XVI. τῆς δὲ περὶ τὰς ναυτολίας δυνάμεως τὸ πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος τῶν Φοινικίδων ἐστὶ πόλεων τεκμήριον i. *quantum classe potuerint* (Tyrii) *argumento evidenti est multitudo & magnitudo coloniarum ab iis deductarum*. *Diodorus Siculus* lib. V. ait: *Phœnices* (inter quos excelluere Tyrii) *a vetustissimis inde temporibus crebras mercaturæ gratia navigationes instituere-* 12) *Tyrus navigiis fuit inclyta.*

ſtituerunt. Quin *navigandi* artem a *Tyriis* inventam credidit antiquitas. *Tibullus* lib. I. Eleg. 8.

Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Dionyſius in Periegeſi vſ. 907. ſq.

Οι πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιπλανέος ἐμνήσαντο,
Καὶ βαθὺν ἀερσιπόρων ἄχρεον πόρον ἐφεφάσαντο,
Οι τ' Ιόπην καὶ γάζαν, Ελαΐδα τ' ἐναίσιοι,
Καὶ Τύρον ὠγυγίην - -

Priſcianus vertit:

Qui pelagus primi tentantes navibus altis,
Et primum ſtellis numeros nomenque dedere,
Atque oculis mirum voces ſentire figuris,
Hi muros Jopes, Gazamque & Elaida complent,
Antiquamque Tyrum - -

Hercules Aſtrochiton ſeu Tyrius in ſpecie a *Nonno* Dionyſ. lib. XL. ut inventor & doctor navium laudatur. Quare in adductorum nummorum nono ſupra navem ſtans conſpicitur. Et in aliis tum triremis ut num. 7. tum roſtrum navis ut num. 6. commune Tyriorum ſymbolum fuit.

Myſtica Antichriſtianismo navigatio adſcribitur.

Non mirum ergo Tyri myſticæ ſpiritualem navigationem ſæpiuscule adduci Jes. II, 16. XXIII, 1. 14. Ezech. XXVII, 4-9. 25-29. Apoc. XVIII, 17.

Ut vero aliquanto propius elegantiſſimi emblematis ſtructura perſpiciatur, ſecundum ductum Spiritus videamus tum quid *naves*, tum quid *ſingulæ* earum *partes*, tum quid *nautæ* figurarint.

Naves ſymbolum habent ſocietatum politicarum & Eccleſiaſticarum.

XXX. NAVES in genere ſymbolum eſſe ſocietatum tum politicarum tum Eccleſiaſticarum certum. Unde *Ariſtophani* urbs Athenæ σφαῖρα eſt in Veſpis v. 29. Ubi *Scholiaſtes*: Ἀεὶ οἱ ποιηταὶ τὰς πόλεις πλοίοις παραβάλλουσι, καὶ Σοφοκλῆς i. *Poetæ ſemper civitates navibus comparant, ſicut & Sophocles.* Apud Ægy-

Ægyptios *navis* per alveum Nili quotannis deducebatur, in qua erat ſtatua Agathodæmonis, cujus moris hæc erat ratio, ut oſtenderent, populi ſalutem dependere ab accurata regni politici gubernatione. Et de Romana Republica *Horatius*:

O navis, referent in mare te novi Fluctus

Quod convenit cum his Hadriani nummis, quos ex Theſauro Numismatico Caroli Ducis Crojaci, quem *Rubenius* illuſtravit, Tab. XXXVIII, n. 16. & 17. hic delectationis cauſſa ſiſtere mihi liceat.



Navis enim hic occurrens Remp. Romanam felicem adumbrat. Vide & Tab. LV. n. 21. Adde *Triſtanum* Comm. Hiſt. T. II. p. 67. Univerſam quoque ſocietatem Eccleſiæ militantis *navis* inſtar eſſe ex arca Noachi conſtat. Ejusdem typus fuit *navicula* Chriſti Matth. VIII. Conf. *Aringhium* Rom. Sub. V. 9. §. 7. 8. Poteſt ergo & communio Antichriſtiana ut *navis* conſiderari, quæ ipſa quoque *navis Petri* appellari amat. Sed cum *navium Tyriarum* ingens numerus inducatur, ad ſpecialiora heic deſcendamus oportet.

In Eccleſia vera cœtus particulares per *naves* deſignari patet ex Pſ. CVII. 23. ſeq. Et iidem a quibusdam intelligun-

tur Apoc. VIII 8. 9. In quibus Chriſtus eſt *navarcha* Matth. VIII. 26. meliori jure, quam Deum θεὸν πλοίῳ ναυπλόμενον pingebant Ægyptii, ut ejus in mundum imperium adumbrarent, de quo videatur *Jamblichius* Myſter. l. VII. c. 2. Ubi confer, quæ eruditiſſimus *Thomas Gale* addidit in notis p. m. edit. Oxon. 289. Ex oppoſito ergo in Antichriſtianismo *naves* poſſunt inſtar eſſe diverſarum diœceſium, parochiarum, & præcipue cœnobiorum, quæ in hoc turbulento mari multarum gentium erecta ſunt, & in quibus Romanæ ſedis lucrum promovetur.

Characteriſtica nota navium Tyriarum luxus eſt:

Notandum vero præcipuam characteriſticam *navium Tyriarum* apud Ezechielem eſſe luxum ſingularem in earum ſtructura oſtentatum. Phœniciarum *navium* hunc morem fuiſſe conſtat ex loco *Ariſtotelis* §. 21. jam adducto. Hinc & apud *Heliodorum* Æthiop. lib. V. introducuntur admirantes τὸ τῆς ὁλκάδος εὐάγωγον, εἰς κάλλος τε ἅμα καὶ μέγεθος αἰρόμενον ἐκπεπιημένης, Φοινίκειον τὸ φιλοτέχνημα γνωρίζειν λέγοντες. i. *habilitatem navis onerariæ ad pulchritudinem ſimul & altitudinem elaboratæ, Phœniciæ induſtriæ artificium eſſe, vel inde cognoſci, dicentes.*

cujus antitypus in templis Pontificiis conſpicitur.

Ducimur ergo manu ad cogitandum heic de faſtu & divitiis, quæ tum in ſtructura tum in ornatu ædificiorum conſecratorum conſpiciuntur & ſemper deteſtationi bonis fuere. Unde *Bernardus* ad Abbatem Guilielmum: *O vanitas vanitatum! Fulget Eccleſia in parietibus & eget in pauperibus: ſuos lapides induit auro & ſuos filios nudos deſerit.* De qua re *Hoſpinianus* & alii egerunt. Nobis in his non eſt ſubſiſtendum, nec ſolum externa ædificia, ſed etiam cœtus ipſi ſpectandi ſunt, ex variis membris conſtantes, ſicut *naves* ex variis partibus.

Tabulæ, malus, tranſtra, remi, nobiliora quædam Eccleſiæ membra repræſentant.

XXXI. Nam per TABULAS, MALUM, TRANSTRA, REMOS, quorum apud Ezechielem mentio eſt, nobiliora quædam Eccleſiarum membra intelligi poſſe patet tum ex conformitate aſſerum & parietum tabernaculi temvplive eodem ſpectantium, tum ex materia harum, quam ABIETES ex Senir, CEDRI ex Libano, QUERCUS ex Baſan

Basan, BUXUS ex insulis Chittæorum conficiunt. Et de iis quidem supra dictum. Arbores autem proceras, sylvestres, æstimatas illustrium personarum emblemata esse constat. Videri possunt 2. Chron. XXV, 18. Ezech. XXXI, 3. Dan. IV. 10. 11. Amos. II, 9. Zach. XI, 2. &c. Quin Jes. II, 13. per *cedros Libani* & *quercus Basanis* spectabiles & potentes Antichristianæ Ecclesiæ confessores & defensores intelliguntur. Apud alios authores idem usu venit. *Ælianus* Var. Hist. lib. IX. c. 18. narrat de Themistocle, quod ἑαυτὸν ἐικαζε ταῖς δρυσὶ i. *se ipsum quercubus comparabat.* Hinc *Nicephorus* in Oneirocriticis:

Cedri Libani: quercus Basanis.

Arbores in genere illustrium personarum figura.

κοπέντα δένδρα πτῶσιν ἀνδρῶν σημαίνει.

i. *Arbores cæsæ casum virorum illustrium significant.* Quocum convenit illud *Achmetis* Oneirocr. cap. 165. Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἄνεμος ἔκλασε δένδρα, ἀπὸ θυμοῦ βασιλέως ἀπολοῦνται μεγιστᾶνες ἀναλόγως τῶν δένδρων. i. *Si quis videt ventum arbores prostravisse, ira Regis abolendi sunt magnates, instar arborum.* Huc pertinet illud *Sophoclis* Electræ v. 424. sq.

— ἐκ τε τοῦδ' ἄνω
βλαστεῖν βρύοντα θαλλὸν ᾧ κατάσκιον
Πᾶσαν γενέσθαι τὴν Μυκηναίων χθόνα.

i. *Ex illo autem* (sc. sceptro) *in altum succrevisse germinantem ramum, quo tota Mycenarum terra obumbrata sit.* *Horatius* de Achille lib. IV.

Ille mordaci velut icta ferro
Pinus aut impulsa cupressus Euro
Procidit late - -

Fagus quoque & *pinus* in ecloga 1. *Virgilii* symbolum sunt Augusti Imperatoris, sicut *Servius* notat. Quomodo jam hæc transferri ad Romanam Ecclesiam possint, divinatu facile est. Nempe cum vera Ecclesia plerumque inter viles & contemtos coram mundo quærenda sit, inter Pontificios nil frequen-

tius eſt gloriatione in membris tam ſplendidis, ac ſunt Reges Principes, Magnates, qui unanimiter nomen huic cœtui dedere: qui tanquam *malus* vela ſuſtinent, a quibus curſus navis promovetur, ſive Concilia & congregationes Eccleſiaſticas ad nutum Papæ dirigentes, ſive bullas filiali obedientia recipientes: tanquam *tabulæ* & *aſſeres* muniunt Eccleſiam & defendunt: tanquam *remi* pro ea bella gerunt etiam cum infidelibus: quin & *tranſtrorum* inſtar, impune ſibi inſideri, ſe pedibus tantum non proculcari patiuntur.

Navarchæ Rectores politicos & Eccleſiaſticos pingunt.

XXXII. Verbulum addo de NAUTIS, variisque eorum ordinibus. Sunt enim *gubernatores navium* ſeu naucleri, ſunt etiam *remiges* ſeu turba in navibus, quorum non Ezechiel tantum, ſed etiam Johannes meminit. Nautarum emblema ſatis frequens eſt de rectoribus politicis. *Livius* lib. XXIV. c. 8. in oratione a Q. Fabio pronunciata: *Quilibet nautarum, vectorumque tranquillo mari gubernare poteſt: ubi ſæva orta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur vento navis, tum viro & gubernatore opus eſt. Non tranquillo navigamus, ſed jam aliquot procellis ſubmerſi pene ſumus. Itaque quis ad gubernacula ſedeat, ſumma cura providendum ac præcavendum vobis eſt.* Confer. lib. XXXIV, c. 6. *Claudianus* in IV. Cons. Honorii:

> *Ni pater ille tuus jam jam ruitura ſubiſſet*
> *Pondera, turbatamque ratem, certaque levaſſet*
> *Naufragium commune manu* - -

Qui & alias ſæpius idem ſimile uſurpat. Inſpici quoque poteſt ad locum citatum *Barthius*. Adde *Minöem* in Alciat. p. 189. 190. *Spanhemium* in Callimach. p. 36. 37. *Florentium Chriſtianum* ad *Ariſtophanis* Veſpar. v. 29. Hinc gubernaculum *navis* paſſim in nummis ſymbolum eſt imperii. Ad ejus rei ſimilitudinem Rectores quoque Eccleſiaſtici poſſunt cum nautis comparari, præſertim cum illi in Romana Eccleſia dominio, authoritate, regnandi libidine, faſtu ſeculari Rectoribus

bus politicis paria faciant. In ſpecialiori applicatione acquieſco hic iis, quæ Celeberr. *Vitringa* in Apocalyp. pag. 1088. attulit. Poſſunt (ait) illi vel ſeorſim per ſe conſiderari,“ ut mercaturam per ſe ipſos exercentes, vel tanquam qui mer-“ catoribus in mercibus deferendis ſubſerviunt. Si priore mo-“ do; per *Naves* recte intelligas Societates & Communitates“ minores, quæ ſunt in mari Pontificio, ut ſunt *Cœnobia*, *Mo-*“ *naſteria*, *Abbatiæ*, *Academiæ* & *Ordines* varii generis, qua-“ les *Bellum ſacrum*, quod dicitur, multos in Orbe peperit.“ Illæ enim *Communitates* inſtar *navium*, hoc eſt minorum“ quarundam Rerumpublicarum in magno Romanenſis Eccle-“ ſiæ cœtu verſantur. Habent autem ſingulæ ſuos *Gubernato-*“ *res* & *Navarchas*, hoc eſt *Præfectos*, *Abbates*, *Rectores*, qui“ illis præſunt; quibus ſubjecti ſunt *Nautæ*, varii generis & or-“ dinis *Officiales*, qui curam rerum ad communitates illas per-“ tinentium in ſe ſuſcipiunt. Quæ videtur eſſe facillima &“ clariſſima hujus emblematis expoſitio. Poſteriori autem“ ſenſu per *Navarchas* & *Nautas* intelligi poſſunt *Delegati* &“ *Nuncii* cujuscunque generis, qui tam a Pontifice ad Reges“ & Principes & Communitates ſuæ ſectæ, quam qui a Regi-“ bus, Principibus, Academiis, Monaſteriis & quibusque“ Societatibus Eccleſiaſticis Romam migrare ſolent, & ſuas ibi-“ dem agere & procurare cauſſas, & inter eos, qui tributa Ro-“ manæ Curiæ perſolvenda ex Eccleſiis in hanc Orbis Romani“ Metropolim transferunt.“

XXXIII. *Decimo tertio: Tyrii* ſapientiæ & ingenii ad omnia apti laudem antiquitus habuere. *Tyri* æque ac Sidonis *ſapientia* memoratur Zachar. IX. 2. Arithmetica & Aſtronomia ab iis manarunt ad Græcos. Philoſophi celebres haud pauci inde prodiere. Abdemonus Tyrius quæſtionibus propoſitis Regem Salomonem provocare auſus eſt. Sed præcipua celebritas ex mechanicis artibus, unde *opificum copia urbs abundabat*, ſecundum *Curtium* lib. IV. c. 2. Et conferri poſſunt, quæ de Phœnicibus in genere ut πολυδαιδάλοις & πολυτέχνοις

13) *Tyrus inclaruit ſapientia, ſed doloſa.*

χνοις, notarunt *Bochartus* Phaleg. lib. IV. c. 35. & *Reineſius* de ling. Punic. c. XI. Iſtud vero probroſum, quod hac *ſapientia* in fraudes dolosque abutebantur, in tantum ut Φοινίκων σωθήκαι apud *Apoſtolium* Cent. XX. Prov. 27. in adagium abierint, pro fœderibus inſidioſis & fraudulentis.

Eadem a Tyro myſtica exercetur.

Regi *Tyri myſticæ* ſimilis ſapientiæ laus non diſputatur. *Ecce ſapiens es præ Daniele, nihil obſignatum te celatum eſt.* (Ubi ſine dubio alluditur ad id, quod Daniel quædam ignorare debebat, atque ea fini jubebatur obſignare librum ſuum in ſtatutum tempus Dan. XII. 4.) Pergit Propheta: *in ſapientia & prudentia tua feciſti tibi opes* &c. Ezech. XXVIII. 3. 4. 5. Conferri poſſunt Jeſ. XIV. 14. 15. XLVII. 9. Eo impudentia Papicolarum in prætenſa Pſeudoprophetæ Romani Sapientia crevit, ut eum tanquam Enthuſiaſtarum omnium caput nil niſi oracula infallibilia evomentem tueatur. Et verſutiarum in vulgo cœca obedientia captivando, effingendis miraculis, conſiliis Principum detegendis & ſimilibus nec modus, nec finis eſt.

4) Tyrus Muſicæ amans

XXXIV. *Decimo quarto*: *Tyrios Muſicæ* deditos fuiſſe facile præſumitur. Pertinet enim ad luxum Orientis. Et de Phœnicibus in genere *Dio Chryſoſtomus* Tharſico I. Η τῶν Ασσυρίων νῦν κρατεῖ μουσικὴ κατὰ Φοινίκων κρίματα. Præſertim in ſacris Phœnicum & Syrorum nil frequentius, quod ipſum quoque ex κακοζηλίᾳ cultus divini in templo fluxiſſe videtur.

carmen meretricium Antichriſtianiſmi exprimit.

In Tyro myſtica idem repræſentatur Ezech. XXVIII. 13. *Opus tympanorum & fiſtularum tuarum in te die, quo creatus es, aptata ſunt.* Et contra prædicitur, quod in ejus deletione *vox citharœdorum, & muſicorum & tibicinum & tubicinum non amplius in ea audietur* Apoc. XVIII. 22. Licet hæc tam quoad literam, quam myſtice obſervare in Eccleſia Romana. Muſicæ in templis quomodo ad ſuperſtitionem usque dediti ſint Pontificii, non ignoratur. Videri tamen poſſunt *Bona* in libro de pſalmodia divina, *Caſalius* de rit. Chriſt. c. 44. aliique. Myſtice Muſica Templi effinxit prædicationem Evangelii, ut Exercit. I. §. 16. ſqq. docui. Hanc ſibi adſcribit Papa-

Papatus, quamvis reapse sit *carmen meretricium* Jes. XXIII. 16. quo irretire animos suis laqueis tentat.

XXXV. *Decimo quinto*: Bellica laude *Tyrus* privari nequit. Hoc coloniæ tot locis stabilitæ: hoc mascula contra potentissimos Monarchas Nabuchodonosorem & Alexandrum M. defensio: hoc Tyriorum soboles, Carthaginenses, gens bellicosissima, abunde docent. *15) Bellica laude Tyrus inclaruit in typo*

Nec arma carnalia *Tyrus mystica* aversata est, quæ pingitur tanquam bello fortis Ezech. XXVII. 10. sq. Ut brevis sim, nota sunt bella Papalia contra Imperatores Græcos nec non Occidentales Ottones, Henricos, Fridericos, Ludovicum Bavarum gesta. Notæ factiones Gibellinæ & Guelphicæ, quæ Italiam, Papa eas alente, infestarunt. Notum bellum Siculum, quod sub Cœlestino III. geri cœptum, demum sub Clemente VII. finitum trecentos pene annos duravit. Notum bellum Sacrum itidem a Papis in ruinam Principum Christianorum institutum, quo tot hominum myriades periere. Nota schismata Pontificia, quibus non semel in se ipsos pro Papali mitra arma converterunt. *æque ac antitypo.*

XXXVI. *Decimo sexto*: Peccata *Tyri* fuere grandia. Idololatriam jam §. 15. perstrinximus. Accessit fraudulentia, libido, & præcipue crudelitas. In usu enim fuit ἀνθρωποθυσία, nihilque immanius, quam cœsi Alexandri M. feciales, quæ res quam maxime exitium eorum maturavit. Ad rem vero maxime pertinet, quod infesta fuerit Judæis populo Dei, quos vexavit Amos I. 10. & quorum afflictio ei gaudio fuit Ezech. XXVI. 1-7. *16) In peccatis quoque inter Tyrum literalem & mysticam similitas intercedit.*

Sic quoque *Tyrus* mystica *peccata multiplicavit* Ezech. XXVIII. 18. Unde a peccatis Babylonis tam serio absterrentur membra veræ Ecclesiæ Apoc. XVIII. 2-5. Catalogum peccatorum horum scriptores domestici *Bernhardus Cluniacensis*, *Honorius Augustodunensis*, *Petrus Blesensis*, *Joachimus Abbas* aliique ab aliis excerpti abunde confecerunt. Quos tamen hic recensere, si verum fateri fas est, pudet, ob multorum crimi-

Landesbibliothek Oldenburg

minum, quæ proh dolor! inter nos invaluere, permanentem communionem. Quamvis enim per gratiam Dei eo impudentiæ in peccando apud nos non procedatur publice, cum plura licentiæ hominum fræna, & pauciora ſecuritatis latibula inter nos inveniantur, agnoſcimus tamen noſtros quoque cum dolore nævos. Interea unum eſt certiſſime, quo a Papicolis vincimur, internecinum illud, nil niſi ignem & ſanguinem ſpirans, omnemque a ſeculo immanitatem ſuperans veritatem profitentium odium, verus & indelebilis Beſtiæ Apocalypticæ character.

17) *Interutriusque exitium varia quoque obſervari poteſt æqualitas:*

XXXVII. *Decimo ſeptimo*: Peccatum ſequitur pœna. Deſinimus ergo in judicio horrendo, quo olim *Tyrus* ſublata eſt: quodque diverſas habuit circumſtantias, quæ ut figura judicii, quod Romanam Eccleſiam exſpectat, conſiderari poſſunt, quales ſunt 1) quod deletio Tyri ſucceſſiva fuerit, inchoata quidem a Nebucadnezare, ſed conſummata ab Alexandro Magno. An hic addi queat inverſio ſtatus, quam a ſervis paſſam eſſe Tyrum *Juſtinus* lib. XVIII. c. 3. memorat, valde dubito, cum hæc traditio viris doctis ſubleſtæ valde fidei eſſe cenſeatur. 2) Inſtrumenta utriusque cladis fuere magni Monarchæ victoriarum ſucceſſu ſuperbi. 3) Pulcherrima urbs cæde & incendiis miſerrime conſumta, uti apud *Curtium* l. IV. c. 4. & *Arrianum* l. II. legi poteſt. 4) Tamen ex pulvere renata & demum luce Evangelii colluſtrata eſt.

a) *quia lento gradu procedit:*

Inſtat etiam *Tyro myſticæ* divina Nemeſis, ſed 1) lento procedens gradu. Gradatio illa præcipue Jeſ. XXIII. depintur: ubi inchoatur a clade, quam ex ipſa terra Chitræorum jam per Reformationem paſſa eſt, a quo tempore ſterilis evaſit, nec amplius *parturivit*, *nec educavit juvenes*, *virgineſve* v. 4. quia poſtſeparationem illam vix aliquid bonæ frugis remanſit, ſed *habitaculum dæmoniorum & cuſtodia ſpirituum immundorum evaſit*. Apoc. XVIII, 2. Sed aliud exitium v. 13, a *terra Chaldæorum* minatur, quæ non fruſtra hic ut ab *Aſſyriis fundata* conſideratur, quia myſticus quidam Aſſur inſtrumentum Dei

erit

erit Dan. XI, 44. Apoc. XVI, 12. Quæ vero sequuntur de *LXX. annis oblivionis Tyri*, an jam impleta sint, dubitandum mihi merito videtur. Secundum literam implementum aliquod demonstrari nequit. Qui hos annos cum totidem annis, quibus floruit imperium Babylonicum, conferunt, frustra sunt, non tantum quia *Tyri* expugnationem probare nequeunt, & ea ipsa statim post sublatam obsidionem Nebucadnezaris sui juris esse suosque Reges habere perrexit, uti supra evici, sed etiam, quia decimus tertius obsidionis *Tyri* annus, quo illi expugnatam putant, dum revera frustranea obsidio sublata est, incidit in XXXV. Nebucadnezaris, adeoque secundum ipsorum hypothesin dimidia pars regni Babylonici jam efflu-xit, antequam subjugatam *Tyrum* putant, quod quomodo inter se conciliari possit, non video. Nec magis feliciter hactenus mysticum implementum quæsitum est. Eventus nos docebit sine dubio futuro tempore, quo LXX. hi anni spectent. Si quid tamen conjectura assequi licet: fors certa quidem tempestate Roma exscindetur, adeoque tyrannidi ejus termini ponentur. Sed restare tamen poterunt, qui errores Papismi adhuc dum fovebunt, quamvis per tempus diuturnum lacertos non moturi sint, ob cladis, quam subiere, magnitudinem. His forte post LXX. annos aliqua sed brevicula, respiratio prædicatur & conatus restabiliendi *Tyrum*, sed conatus tantum, insequente *sanctificatione mercimonii Tyri* statim abrumpendus. Quæ conjectura robur inde accipit, quod tempus a lapsu Antichristianismi ad plenariam Ecclesiæ, quæ adhuc exspectatur, gloriam, LXXV. annis includatur. Cum enim alias Regnum Antichristi MCCLX. annis circumscribatur, glorioſissimus Ecclesiæ status Dan. XII, 12. demum post MCCCXXXV. dies Propheticos exspectari jubetur. Idem patebit conferenti Apoc. cap. XVIII. & XIX. Cum enim Babylonis mysticæ παντελεθρία jam c. XVIII. descripta, & in initio c. XIX. primordia regni glorioſi publicata essent, apparet tamen denuo Bestia cum falso Propheta & Regibus terræ v. 19. sed brevi in stagnum ignis conjicienda v. 20.

De 70. annis oblivionis Tyri inquiritur, & conjectura profertur.

b) quia a magno quodam Monarcha infligendum.

2) Excidium Romæ ſine dubio opus magni cujusdam Monarchæ erit, qui *Nebucadnezaris* antitypus eſſe poteſt. Quisnam vero ille ſit futurus, id quoque nos ante eventum latere Deus voluit. Inter Turcam & Imperatorem Romanum ſententiæ probabiliores maxime diviſæ ſunt. Et ſane uterque quaſi *pedes* ſunt Coloſſi illius, cujus *Nebucadnezar caput* erat Dan. II. 41-43. Uterque Romæ ad Orientem & Septentrionem ſunt, ſicut Chaldæus *Tyro* erat. Inclinant tamen magis in poſterius, qui a Regibus quondam ipſi ſubditis meretricem nudandam eſſe cogitant. Ita enim Apoc. XVII. 16, 17. *Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtia, hi odio habebunt meretricem, & deſolatam facient illam & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipſam igne exurent. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant.*

c) quia horrendum erit cladium varietate & magnitudine:

3) Horrendum cladum varietate & magnitudine excidium iſtud erit. *In uno die venient plagæ ejus; mors & luctus & fames, & igne comburetur* Apoc. XVIII, 8. Graphice fatalis hic exitus deſcribitur Ezech. XXVI, 19-21. XXVII, 26. ſq. XXVIII, 18..19. Et notabile ſane eſt, ex ipſis Pontificiis ſcriptoribus quam plurimos fateri, deletionem hanc urbi Romæ timendam eſſe. *Joachimus Abbas* multa huc ſpectantia ſuo in Jeremiam Commentario immiſcuit. Inter alia in cap. 2. ait: *Quod Aſſur ſeu Aſſyria Alemanniam & Ægyptus Franciam ſignificat, a quibus Eccleſia confundetur, diſcooperta ejus iniquitate.* Idem in cap. 4. *Quod Aquila grandis & magnarum alarum, ſcilicet Imperator Alemanniæ percutiet Eccleſiam, ut unde aliquando protecta fuerat, inde flagelletur, & ſic deſtituta ſubſidiis direptioni pateat viatorum.* Idem in cap. 21. *Quod Rex Babylonis ſignificat Imperatorem, & Chaldæi Alemannos, in quorum manibus dabit Dominus Eccleſiæ Prælatos, ſeu ſummum Pontificem & ſervos ejus, clericos & religioſos & laicos, quos percutiet Imperator, una ſecum congregatis Agarenis & hæreticis.* Idem in c. 25. *Quod futura tribulatio erit generalis per univerſam latitudinem populi Chriſtiani & maximæ Eccleſiæ*

siæ Italiæ dandæ sunt in solitudinem destructionis & in stuporem admirationis cunctis gentibus & præ cæteris Romanæ. Similiter *Ribera* in cap. XVIII. Apoc. asserit: *Romam usque adeo vastandam, miserrimoque incendio delendam, ut in desertum & solitudinem sit evasura, atque habitatio bestiæ & dæmoniorum futura.* Addi potest epigramma *Johannis Sarisburiensis* in Policratico:

Non saturanda gerit vastum Babylonia saccum,
Plenum bile Dei, vitiis, immanibus ausis,
Quæ manant late. Quæ numina suspicit, haud sunt
Iupiter & Pallas, sed amorum Diva & Iacchus.
Pœnas exspectans flaccesco & duriter angor.
Sultanum at cerno venientem & flagra ferentem.
Sed vereor, ne, quam cupiamus, serius adsit.
Una fides cunctos cinget Babylonis in urbe.
Impia per terras idola refracta jacebunt.
Flagrabunt turres, & tecta minantia cœlo,
Turricolæque cadent ardenti fulguris igne.
Felices animæ, virtutis & æmula turba
Incolet has terras. tandem spectare licebit,
Aurea virtutum sanctarum tempora reddi.

4) Tristis hæc catastrophe lætum tandem, quod & *Sarisburiensis* in citatis versibus recte auguratus est, sortietur exitum. *Mercimonium ejus* (Tyri) *& quæstus ejus fiet sanctum Jehovæ: non ponetur in thesauris neque possidebitur: sed sedentibus coram Jehova cedet mercimonium ejus, ut comedant ad satietatem, & in vestimentum durabile* Jes. XXIII, 18. Quæ sine dubio respiciunt congregationem asseclarum Papismi, post Romam deletam, ipsumque superstitem Pseudoprophetam damnatum, in sinum Ecclesiæ. Sed de his dicendi ad ipsa Psalmistæ verba, ad quæ nunc revertor, dabitur locus.

d) *quia collapsa convertetur & lumine veritatis irradiabitur.*

* * * *

Tyrus myſtica in noſtro Pſalmo innuitur. Singularis hic eſt præfixi, emphaſis.

XXXVIII. Sane in noſtro textu eandem illam *Tyrum myſticam* deſignari ſeries temporis, quam ſacer Vates obſervavit, quæque ſupra jam ſuo loco demonſtrata eſt, exigit. Quod etiam ex præfixo ו fluit, quo hoc inciſum cum proxime præcedentibus ſatis connectitur, præcipue cum ſæpiſſime, pro *tunc* inveniatur, cujus notationis multa exempla congeſſit *Noldius* p. m. 308. ſq. Hæc verſio placuit *Junio* & *Tremellio*. Sed forte plus ſub hac copula latet. Et commodum in manus venit nota *Glaſſii* Gram. Sacr. lib. III. Tract. 7. *Conjunctio copulativa quandoque affectum emphatice exprimit, & quaſi inſtar interjectionis eſt.* Certe heic id locum habet, ubi quaſi admirandum & inexſpectatum aliquid conſideratur, quod ipſa *filia Tyri*, regni ſemper bonæ cauſſæ adverſi, invitanda ſit ad nuptias Meſſiæ, eique reconcilianda.

Variæ cauſſæ cur Eccleſia Antichriſtiana dicatur filia Tyri, adducuntur.

XXXIX. Sed cur FILIA TYRI? In genere totus Antichriſtianismus ita appellari poteſt, *tum* quia in iisdem magnam partem regionibus ſedem fixit, quæ a *Tyriis* olim poſſeſſæ & frequentatæ ſunt, *tum* ob monſtratam jam, inter *Tyrum* literalem & myſticam, analogiam, qua hæc illi ita ſimilis eſt, ut filia matri. Hoc ſenſu Iſraelitæ, ut *filiæ* Cananæorum cenſentur Ezech. XVI, 44. *ſicut mater, ita & filia ejus.* Et illuſtrat hanc locutionem *Zehnerus* Adag. I. 94. Interea fateor, melius omnia fluere, ſi *Tyrum* ipſam hic myſtice pro dominatione Papali ſumamus, & *Filiam Tyri* pro certis membris, quæ ei ſubſunt. Ita antitypus reſpondet typo ſuo. *Tyrus* enim antiqua multorum populorum mater fuit, etiam tum, cum imperio Romano ſubfuit, unde ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ in nummis frequenter appellatur. In nummis plerisque adductæ tabellæ iſtud videre eſt. Et Romana quoque Eccleſia pro communi matre haberi vult. Ita ſervatur conſuetiſſimus hujus phraſeos uſus, qua per *filias* regionum & urbium ipſi incolæ intelliguntur: ſive potius integri cœtus, & populi, qui

qui a communi capite dependent. Sic *filia Zion* pro populo Dei, qui Zioni subest, *filia Dei alieni* Mal. II, 11. pro populo qui Deum illum colit. Confer quæ jam dicta sunt Exerc. VIII. §. 3. Nec sperno saltem in hoc loco, præter ibi allatas, aliam *denominationis fœmininæ* rationem, quam & *Cl. Vitringa* ad Jes. X, 34. adduxit: scilicet, quod populus omnis *societatem* faciat, quæ cum Magistratui opponatur, & præsidii ac defensionis indiga sit, optime per *debilius genus* exprimitur. Certe conversio Antichristianismi non caput, *hominem illum peccati* Spiritu oris Christi interficiendum, sed subjectos ejus proprie attinebit. Hanc *filiam Tyri* Spiritus S. per Psalten compellat, ut hactenus *filiæ Regis* oppositam: eique modum conversionis suæ describit. Tales μεταφωνήσεις in ecstatico dicendi genere sunt frequentissimæ: & secundum hanc hypothesin facillima est verborum constructio.

XL. Invitanda autem erit *filia Tyri* per עשירי עם i. DIVITES POPULI. Quæ voci עם subsit emphasis, jam Exerc. V. §. 31. monitum. Hic iterum designat verum *populum* Dei, antitypum Israelis, constituentem Ecclesiam veram novi Testamenti. Nimis enim coacte hic de *gentibus* ad Christum adducendis a quibusdam cogitatur; nam id si intendisset Spiritus, sine dubio pluralem, uti vs. 6. adhibuisset. Neque *populus* Tyriorum intelligi apte potest, quia tum affixum ו addi debuisset. Ut taceam perturbationem constructionis, quæ per talem sensum nasceretur. Ne autem mirere, *populo* huic DIVITES adscribi. Quamvis enim in sua naturali imbecillitate & in oculis mundi *populus* Dei spretus & inops sit, gaudet tamen suis *divitiis*, si non corporalibus, quas non quærit, & si tamen affluant, parvi æstimat, at certe spiritualibus & cœlestibus. *Cyrillus Alexandrinus* ad Joh. VI, 42. *Cordis splendor & in bonis operibus claritas*, γνήσιοι ἂν εἶεν, καὶ ἐμπεφυκὼς τοῖς ἔχουσι πλοῦτος i. *veræ sunt ac nativæ eorum, qui eas possident, divitiæ, quæ non manent cum corpore, nec cum eo putrescunt, sed cum anima, dum adhuc in hac vita manet, habitant;*

Per populum Psaltes verum populum Dei intelligit.

Habet ille summas divitias spirituales & cœlestes.

Landesbibliothek Oldenburg

cum hinc discedit, rursus simul cum ea recedunt, quocunque totius universi Præses voluerit. Hinc illud *Menandri*:

ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν

i. *Animam habere divitem oportet.* Et *Philo* de temul. pag. 262. Παμπόλλη γὲ πλουσία τῆς ψυχῆς, ἣ τῶν χαρίτων ὑπὸ Θεοῦ πεπλήρωται. i. *Ingentes sunt divitiæ animæ, quæ gratiis Dei impleta est.* Apud Gentiles sapiens habebatur ἀληθῶς πλούσιος, uti ait *Lucianus* in Nigrino p. m. 21. Sed quanto ditiores illi, quorum *thesauros* Sapientia æterna *implet?* Prov. VIII, 21. quorum *aurum* est *Elschaddai* Job. XXII, 25. sq. quorum corda sunt *gazophylacium* sacrum, in quo ditissimus Salvator dona splendidissima Spiritus sui seponit? Præsertim in diebus N.T. quibus tot pretiosa promissa data sunt, quod affatim patescit ex iis, quæ supra in descriptione vestium Sponsæ Regiæ *auro Ophir* ornatarum jam dicta sunt.

In superlativo ditissimi populi sunt Doctores donis Spiritus præ aliis abundantes.

Sed bene ad hunc locum observat *Geierus*, adjectiva in tali constitutione vim superlativi habere, adeoque verti posse, DITISSIMOS *populi*, ut designentur tales, qui in opulento & divitiis affluente populo præ cæteris opum cumulo excellunt. Tales quoque inveniuntur in populo Dei propter variam mensuram Spiritus, per quam alii præ aliis excellunt. Sicut enim vera Ecclesia habet suos *Duces* Hebr. XIII. 7. *Capita populorum* Deut. XXXIII, 5. *Principes Judæ* Pſ. LXVIII. 28. 29. per quos omnes Doctores publici & excellentes, Apostoli, & eorum æmuli designantur, ita iidem *Divites* nuncupari possunt. Natura quidem, ut reliqui omnes, æque egeni ac impotentes sunt, quod etiam candide fatentur 2 Cor. III, 5. sed tamen ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν ΘΗΣΑΥΡΟΝ possident, 2 Cor. IV, 7. *aurea* nempe *mala* doctrinæ Evangelicæ, quæ puro corde & vita tanquam in *argentea patera* Prov. XXV, 11. aliis proponunt. Hi *thesauri*, quos non sibi tantum, sed etiam aliis asservant, pretiosissimis Tyri mercibus supra descriptis palmam præripiunt.

Innuit.

Landesbibliothek Oldenburg

Innuit ergo Propheta, ſuſcitandos in Eccleſia Viros excellentes, quorum Dominus ad convertendam Tyrum miniſterio uſurus ſit. Horum typus eſt *Aſcher*, cujus ſors olim *Tyro* contermina. Deut. XXXIII, 24 25. *Benedictus præ filiis Aſcher. Sit acceptus fratribus ſuis, & tingens in oleo pedem ſuum. Ferrum & æs calceamentum tuum, & ut dies tui, loqui tuum.* Hi ſunt *ſeminantes* illi *ad omnem aquam, qui propellent pedem bovis & aſini* Jeſ. XXXII, 20. *Seniores Domini, coram quibus erit gloria* Jeſ. XXIV, 23. *Parvi, qui erunt in mille, & exigui, qui erunt in gentem validam* Jes. LX, 22. *Piſcatores, qui ſtabunt ab Engedi ad Eneglaim* Ezech. XLVII, 10. *Prudentes, qui clari erunt, ſecundum claritatem expanſi, & ut ſtellæ* Dan. XII, 3. *vivificantes frumentum & germinantes, ut vitis* Hoſ. XIV, 8. *Pedes, velut cervarum* Hab. III, 19.

Inuuntur inſtrumenta Dei in converſione Tyri adhibenda.

XLI. Porro modus converſionis depingitur, in quo nil niſi tenerrimus amor ſpirat, cum ſumma lenitate & humilitate conjunctus, quæ genuinæ Miniſtrorum Dei proprietates ſunt. פני יחלו i. FACIEM TUAM SUPPLICES ORABUNT. Fatendum eſt, phraſin hanc plerumque de *ſupplicatione*, quæ fit Jehovæ, uſurpari. Non tamen ſemper. Nam Job. XI, 19. per eam deſcribitur honor piis, Proverb. XIX. 6. honor Principi exhibendus. Hic quoque ad Meſſiam Deum non ſpectare fœminina flexio indicat. Unde aut ad Eccleſiam, aut ad Filiam Tyri referenda eſt. Et Eccleſiam quidem plerique Interpretes hic compellari putant: in qua ſententia nihil abſurdi. Nihil ſaltem, quod faveat Pontificiorum de ἀγιολατρείᾳ errori; nam apud Jobum citato loco iis in genere promittitur, qui juſtitiam ſectantur, *recubabis, neque erit turbans: & ſupplices tibi erunt multi.* Et ingenioſa eſt doctiſſimi *Heresbachii* poſt *Baſilium* obſervatio: *Non dixit, te adorabunt, ſed vultum tuum, id eſt Chriſtum. Non enim Eccleſia adoratur, ſed Chriſtus caput Eccleſiæ.* Malui tamen iis calculum addere, qui filiam Tyri compellari exiſtimant, quia duriusculum videtur, *divites populi* cum Filia Tyri jungere & illius parti-

Supplicatio hic talis intelligenda, cujus objectum ipſa Filia Tyri eſt.

partibus accenſere, quod neceſſum habent illi, a quibus heic diſſentio. Ratio eſt non tantum, quod vox עם hoc loco hanc interpretationem non patiatur, uti §. 40. jam occupavi, ſed etiam quia duplex ellipſis non ſine cauſſa videtur admittenda, quæ per noſtram hypotheſin tollitur. Cæterum phraſis ipſa deſignat talem ſupplicationem, quæ irato fit, ad eum reconciliandum. חלה enim *infirmare*, *ægrotum facere* deſignat. Infirmatur autem facies ejus, cujus ira avertitur. Patet ergo, *Divites populi* Dei, ſeu Præcones mercibus Evangelii inſtructos invitaturos *Fliam Tyri* ad nuptias Agni: 1) cum profeſſione *humilitatis* faſtui Cleri Pontificii e diametro oppoſitæ, non tanquam regnum in gregem Domini prætendentes, ſed ut *ſervos* decet: 2) cum *lenitate* & manſuetudine, armis non carnalibus, ſed mere ſpiritualibus inſtructi; 3) cum *intenſione animi*, omni conatu perſuadere cupientes: 4) ea fini, ut *inimicitia extinguatur* & odium illud internecinum, quo hactenus veram Eccleſiam & ſanctos Dei exſcindere omni opere annixa erat.

Depingitur autem invitatio ejus ad nuptias agni olim inſtituenda.

XLII. Additur vero, quod iſta *ſupplex* invitatio inſtituenda ſit, במנחה i. CUM MUNERE vel PROPTER MUNUS. Notari hic meretur tum vox ipſa, tum præfixum.

Mincha in genere deſignat munera, præſertim Regibus oblata:

Vox ipſa ab obſoleta radice מנה, quæ apud Arabes adhuc reliqua eſt, originem trahens, diverſa *munerum* genera deſignat, præcipue tamen talia, quæ a minoribus majoribus offeruntur conciliandi favoris, aut teſtandæ venerationis cauſſa. Sic dona & tributa Regibus data appellantur 1. Sam. X. v. ult. Jud. III, 15. 2. Sam. VIII, 2. 1. Reg. IV. 21. 2. Reg. XVII, 3. 2. Chr. XXVI, 8. Meretur hic inſpici *Gouſſetus*. Adde *Scacchum* Myroth. III. c. 37. *Pinedam* de rebus Salom. IV, 24. Cumque præcipue ſub Davidis & Salomonis feliciſſimo regno *munera* & vectigalia cumulatim Hieroſolymam allata ſint, hac quoque in parte eos Meſſiæ typos fuiſſe certum eſt, cui eadem promittuntur Pſ. LXXII, 10. 15. Et poſſemus in his acquieſcere, niſi ſingularis numerus, aliæque Prophetiæ parallelæ ulterius cogitan-

Landesbibliothek Oldenburg

gitandi ansam darent. Inde ergo translata vox ad certa quædam sacrificiorum genera, quæ Deo ut Regi Israelis offerri debebant, ea scilicet, quæ ex inanimatis constabant. Hæc זבחים opposita erant, & in duo genera iterum dividi poterant. Alia enim מנחות נסכים *ferta libaminum* vocantur, quæ appendicis instar victimis quibusdam, ut holocaustis & pacificis omnibus, non vero victimis pro peccato & reatu, excepta hostia leprosi, addebantur. Constabant e similagine tritici eximia, mistæ oleo; conditæque sale, adjecto vino Exod. XXIX. 40. Alia *ferta* separatim per se offerebantur, itidemque e similagine triticea constabant, exceptis ferto mulieris suspectae Num. V. 5. & manipulo agitationis in paschate Levit. XXIII. 10-16. quae hordeacea erant. His addebatur sal & oleum & thus, excepto vino. Mel ab omnibus excluſum erat: fermentum quoque, exceptis panibus Pentecostalibus. Qui accurrate omnium *ferti* generum indolem cognoscere cupit, adeat praeter *Maimonidem* Hilk. Maase Hakk. Capp. XII. & XIII. Tractatumque integrum מנחות cum ejus commentatoribus Mischnicis, *Surenhusium* in praefat. Tomi V. Op. Mischn. *Outramum* de sacrif. l. 8. *Frischmuthum* Thes. Theologico-Philol. Tom. I. p. 625, 626. *VVagenseilium* Sotae p. 350. sq. *Cramerum* de ara exteriore c. IX. §. 7. sq. Nobis jam mysterium indagare potissimum incumbit.

XLIII. Sane *ferta* cultus Levitici aliarum oblationum spiritualium typum gessisse ipsi Judæi negare non audent: quando perpendunt, in diebus Messiae abolitionem *minchæ*, æque ac aliorum sacrificiorum prædictam Jes. LXVI. 3. Dan. IX. 27. cum tamen in aliis locis, quae de temporibus Messiae agunt, perpetua *Minchæ* continuatio promittatur. Sic Jerem. XXXIII. 18. *Et Sacerdotibus Levitis non exscindetur vir a conspectu meo, qui offerat holocaustum & adoleat munus, & faciat sacrificium omnibus diebus.* Caetera loca statim adducentur. Haec alio pacto inter se conciliari nequeunt, quam ut per *Typicam fuisse Minchæ rationem probatur.*

mincham ſeu *munus* abolendum, typicum cultus Levitici, per continuandum vero, ſpirituale N. T. intelligatur.

Adumbrabat primo obedientiam Chriſti,

Et primo quidem loco per *munus* V. T. obedientiam Chriſti adumbratam eſſe fateor. Hinc ei מנחות Pſ. XX. 4. tribuuntur, & Pſ. XL. 7. ſq. ejus obedientia *minchæ* quoque, ut antitypus typo, opponitur. Ea fini Hebr. V. 1. VIII. 3. δῶρα καὶ θυσίαι memorantur, & Eph. V. 2. Chriſtus ſe tradidiſſe pro nobis ut προσφορὰν καὶ θυσίαν dicitur. Iſtud nunc non exſequor. Conſuli poſſunt *J. H. Majus* Oeconom. V. T. c. XXIV. *Honertus* de viis Dei T. II. p. 1185. ſeq.

dein cultum ſpiritualem fidelium, cujus poſterioris analogia indicatur:

Praeterea tamen haec *ferta* typus fuere oblationum ſpiritualium, a populo Meſſiae offerendarum, non tam per externum ſacrae ſynaxeos uſum, quam fertis V. T. ſubſtitutam non ſat caute plerique Patres credidere, unde dicta eſt προσφορὰ jam a *Clemente Romano* I. ad Corinth. & a ſexcentis dein aliis; ſed per obedientiam fidei. Sic Pſ. CXLI. 2. *elevatio palmarum* cum *munere veſpertino* comparatur. Et totus cultus ſpiritualis N. T. intelligitur Mal. I. 11. *In omni loco hoſtia offeretur nomini meo & munus purum.* Et c. III. 5. 6. *Erunt Jehovæ offerentes munus in juſtitia. Et ſuave erit Jehovæ munus Judæ & Hieroſolymæ, ut diebus ſeculi & annis antiquis.* Quin ipſae gentes ad obedientiam fidei perducendae cum tali *mure* comparantur Zeph. III. 10. *Inde ultra fluenta Cuſchitidos, copiæ meæ filiam diſperſorum meorum afferent munus meum.* Et ſuaviſſima eſt analogia.

1) quia ſuo cultu imaginem Chriſti exprimunt:

1) Quod eadem *ferta*, quæ obedientiam Chriſti adumbrarunt, etiam obedientiam fidelium expreſſerint, inde eſt, quia imaginem Chriſti ſingulos fideles induere neceſſe eſt. Rom. VIII. 29. 1. Cor. III. 18. 1. Joh. II. 6. Eadem ratio valet in reliquis ſacrificiis, quae plurimam partem ita Chriſti obedientiam figurant, ut etiam ad ſimilem, quamvis impari gradu, obedientiam fidelium ſpectent.

2) quia ut fructus ver-

2) *Ferta* potiſſimum ex *tritico* conſtabant, quod ſymbolum eſt fidelium Matth. III. 12. IX. 37. XIII. 25. 29. 30. quia in

agro

agro fœcundo Eccleſiæ ex verbi ſemine, per calorem Solis juſtitiæ & pluviam Spiritus orti ſunt. *bi ſunt ſimiles tritico:*

3) Tritici *ſimilago*, ſeu *farina puriſſima* requirebatur, quæ eſt ſymbolum Eccleſiæ Matth. XIII. 33. Certe fideles *farina* ſunt per cribrum ſanctificationis purgata, & parata in cibum Dei, quia ſibi in illis, ut opere manuum ſuarum complacet. *3) quia ut farina ſunt præparati in cibum Dei:*

4) Additum *oleum*, ut ſymbolum Spiritus Sancti, & præcipue earum virtutum, quæ cum natura olei ſimilitudinem habent, quæque in fidelibus eluceſcunt, quales ſunt illuminatio intellectus, agilitas, fortitudo, conſtantia &c. Conſule Exerc. VI. §. 27. *4) quia oleo Spiritus imbuti:*

5) *Sal*, quod non aliud, quam *Sodomiticum* fuiſſe, Doctiſſimus *von der Hardt* Ephemerid. diſc. XI. abunde evicit, cum eam naturam haberet, ut partes ſacrificii conglutinaret, amorem fidelium repræſentat, quo non tantum cum Deo, ſed etiam inter ſe invicem arctiſſime conjunguntur. Quod emblema etiam cum gentilium hypotheſi aptiſſime convenit, apud quos *Sal* perpetuum amicitiæ & fidei ſymbolum fuit, quod abunde jam ab aliis illuſtratum, *Stukio* Antiq. Convival. l. I. c. 30. *Zehnero* Adag Sacr. Cent. III. Adag. 54. *Patrik* Introd. in Menſ. Myſt. p. 49. ſq. *Alex. Moro* in N. T. editionis Fabricianæ p. 57, 58. & *Creiſſingio*, qui de ſymbolis *Salis* ex profeſſo egit in diſſertione inſerta Theſauri Theologico-Philologici Tomo II. p. 97. ſq. *5) quia ſale amoris uniti:*

6) *Vinum*, quod ſimul cum *mincha* afferebatur, quamvis non in flammam effunderetur, ſed in foramen altaris, quod per canalem ſubterraneum ad torrentem Kidron ducebat, paſſiones & martyria Eccleſiæ expreſſit, præeunte Apoſtolo 2. Tim. IV. 6. Phil. II. 17. Quod autem non omnibus *minchis* vinum addebatur, hinc eſt, quia non omnes ad martyrii honorem Deus vocat. *6) quia vinum martyrii effundunt:*

7) Quæ oblationes *vino* carebant, eæ plurimam ſaltem partem *thus* habebant, ſive ad preces, ſive ad paſſiones minores effin- *7) quia thus precum & paſſionum incendunt:*

effingendas. Nam ſub *ſuffimine myrrhæ & thuris* etiam paſſiones Eccleſiæ Cant. III. 6. intelliguntur.

8) quia abeſt mel ſuperbiæ:

8) *Mel* prohibitum, quia ſecundum *Philonem* & alios voluptates carnis exprimit, ſecundum *R. Levi Barſelonitam* ſuperbiam inflantem, quæ omnia ab anima Deo placente exulare debent. Prov. XXV. 26. *Qui mel multum comedit, non eſt ei bonum.* Vide illuſtrantem hoc dictum *Zehnerum* Adag. Cent. I. 61.

9) ut & fermentum malitiæ:

9) *Fermentum* κακίας καὶ πονηρίας in genere inſtar eſt, interprete Apoſtolo 1. Cor. V. 8. Deſignare doctrinam falſam & conjuncta cum ea vitia, impuramque animi effervescentiam ex Pſ. LXXI. 4. LXXIII. 21. Matth. XVI. 6. Gal. V. 9. videri poteſt. Conſulatur *Teelmannus* Exercit. Sacr. p. 54. ſqq. *Zehnerus* iterum Cent. III. adag. 84. Hinc חומץ eſt *vir nequam*: חמץ *corruptum*, uti docet *Bochartus* Hieroz. I. lib. 2. c. 7. & 50. Servator noſter ſpeciatim *fermentum* ut ſymbolum hypocriſeos conſideravit Luc. XII. 1. Procul hæc abeſſe debent a cultu Dei.

10) quia omnis dignitas in ſacrificio Chriſti fundata:

10) Pleraque *ferta* cum ſacrificiis juncta erant, non tantum *ferta libaminum*, quæ holocauſtorum appendix fuere, ſed etiam ferta ſeparatim per ſe oblationem conſtituentia Levit. XXIII. 11. 12. 17. 18. Ut doceretur, omnem dignitatem ſacrificiorum juſtitiæ, quæ fideles offerunt, a merito ſacrificii Chriſti unice eſſe arceſſendam. Et forte hoc vitium ſuberat oblationi Caini Gen. IV. cui oblatio Habelis apud Deum prævaluit, quod *hic ſupplicationem ſuam pro impetranda peccatorum remiſſione teſtatus ſit per ſacrificii propitiatorii cruentam oblationem, cum alter dona ſua Euchariſtico ritu offerret* χωρὶς αἱματεκχυσίας, uti eleganter obſervat *Cloppenburgius* Schol. Sacrific. c. II. §. 7.

11) quia igne amoris divini incenſi:

11) *Ignis ſacer* in altari ferta depaſcebat, qui cum Deitatis & præcipue ſanctitatis divinæ eſſet ſymbolum, nihil aliud deſignabat, quam Dei ſanctiſſimi in talibus animabus com-

pla-

placentiam & arctissimam cum iis communionem, quæ sese per studium sanctitatis Deo consecrant.

12) Quamvis quædam *minchæ* totæ Deo comburerentur, erant tamen aliæ, quarum pars Sacerdotibus concedebat, a quibus oblatæ erant. Hi Sacerdotes typus fuere Ministrorum N. T. qui non tantum eos, quos præconio verbi lucrantur, Deo sistunt Rom. XV. 16. sed etiam ex iis quasi mercedem accipiunt, quia in fructu labiorum suorum gaudent Cant. VIII. 21. *12) quia Sacerdotibus N. T. in cibum mystici cedunt;*

13) *Ferta* variorum generum & diversorum temporum erant, alia pro toto cœtu, alia pro singulis hominibus: quædam triticea, quædam hordeacea, aliquando & fermentum admixtum erat: diversa quoque erant festa & tempora anni, quæ singula singulare aliquid circa *minchas* requirebant. Singula hæc sigillatim enucleare nunc non libet. Id in genere notandum, singulas has differentias singulare aliquid habuisse ad diversas facies oblationum spiritualium exprimendas, quæ a diversis personis in diversis temporibus Ecclesiæ N. T. offerendæ erant. *13) quia diversimode munus Deo offertur secundum diversas occasiones;*

14) Exemplo esse possunt *munera* sacrificio jugi tum matutino tum vespertino addita, quæ non tantum volebant, toto decursu Oeconomiae novae nunquam cessaturum cultum spiritualem, sed etiam mane & vesperi, id est in principio & fine novi seculi, fructus fidei & sanctimoniae abundaturos. Et praecipue hic observari meretur, quod etsi utrumque munus מנחה dicebatur, tamen id magis de *vespertino*, quam de *matutino* usurpatum sit: ut, si quis simpliciter, *Mincha*, diceret, nec adderet, *matutinum*, intelligeret *vespertinum*. Debeo hanc notam *Cl. Braunio* in Ep. ad Hebr. p. 618. qui hanc rationem addit, quod praecipuum מנחה, quo omnia per tot secula collinearunt, fuerit *vespertinum*. Christus enim omnium antitypus oblatus est circa *mincha vespertinum*. Videbatur etiam Christus mortuus circa vesperam, ut manifestum fieret, jam per mortem Messiae, veri Sacerdotis & sacrifi- *14) quia in mane & vesperi N. T. fructus fidei excellentiores esse debebant.*

cii eſſe finitum diem V. T. novumque ſuccedere diem, diem" gratum, quem Deus fecit Pſ. CXVIII. 24. Ego uti hanc appli-" cationem cum reſpectu ad Chriſtum non rejicio, ita tamen, quatenus *mincha* ſacrificia ſpiritualia Eccleſiae N. T. adumbrat, eam rationem addendam cenſeo, quia cultus ſpiritualis in veſpere N. T. gloriam praecedentium temporum longe ſuperabit.

Hic praecipue ad munus veſpertinum alludi videtur, quod ut offerat, Filia Tyri invitatur.

XLIV. Et hoc quidem eo magis notari debet, quia vera cauſſa, cur in Pſalmo noſtro ad hanc *mincham* alluſum puto, ea eſt, quod in ultimo tempore Eccleſiae eam ſpirituali modo offerendam eſſe Prophetae indigitant. Unde, quamvis tolerari poſſint, qui praefixum ב hic CUM ſignificare putant, quia Doctores Eccleſiae cum Chriſto, ut primo muneris antitypo, *Filiam Tyri* ſupplices rogabunt, ejus nempe meritum & gratiam offerentes; cum phraſi tamen Prophetarum convenientius eſt, ut במנחה vertatur PROPTER MUNUS. Non illo tantum ſenſu, quod per & propter amorem Chriſti in obedientia ejus oſtenſum obedientiam fidei a *Tyri Filia* exacturi ſint; ſed potius, quod eam anxie ſollicitaturi ſint, ut concurrat, ad illam *Mincham* Chriſto ſiſtendam, quae ei ex decreto Dei in ultimis temporibus adduci debet. Convenit hoc egregie tum allegoriae totius Pſalmi, tum συμφωνισμῷ aliarum Prophetiarum. Quod ſpectat Pſalmi allegoriam, certum eſt *munera* ſponſo ſponſaeque ultimo nuptialis ſolennitatis die antiquitus mitti ſolita. *Heſychius* obſervat, quod ἐπαύλια ſint ἡ δευτέρα τῶν γάμων ἡμέρα ἐν ᾗ κομίζουσι δῶρα οἱ οἰκεῖοι τῷ γεγαμηκότι καὶ τῇ νύμφῃ i. *ſecunda nuptiarum dies, qua dona offerunt ſponſo & ſponſae propinqui.* *Julius Pollux* Onomaſt. lib. 3. c. 3. n. 4. & *Suidas* ipſa haec munera ἐπαύλια dicta eſſe obſervant. *Terentius* ad eundem morem alludit Phormione Act. I. Sc. I.

In fine nuptiarum deſponſatis munera mittebantur.

- *Herilem filium ejus duxiſſe audio*
Uxorem, ei credo inunus *hoc corraditur.*

Conferatur *Lipenius* de ſtren. l. 19. *Pfeif.* Ant. Graec. IV. c. 14. Nihil

ergo

ergo aptius, quam excitari, quos decet in fine novi Testamenti Christo cum Ecclesia nuptias consummanti *munera nuptialia* afferre. Et certe talis *muneris* cum respectu ad eandem rem frequentissima apud Prophetas mentio est. Sane Antichristianismus recte incusatur Jes. LVII. 6. quod *levibus vallis lapidibus*, hominibus nominis, qui falsò se petram esse gloriati erant, in qua Eccesia fundata, *fuderant libamen, & obtulerant mincham.* Merito ergo filia Tyri obsecratur, ut tandem ei *mincham* afferat, cui in fine dierum afferenda erat. Hæc *mincha* in descriptione templi Ezechielis c. XLV. 17. XLVI. 5. sq. memoratur. Ea innuitur Ps. LXXII. 10. *Reges Tarsis & insularum* (Tyro sc. hactenus subditi) *munus referent, Reges Scheba & Seba donum offerent.* Et Ps. XCVI. 8. *Cedite Jehovæ gloriam nominis ejus. Ferte munus & venite in atria ejus.* Et quale futurum sit illud MUNUS, docetur Jes. LXVI. 20. *Et adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus munus Jehovæ in equis & in curribus, & in carpentis, & in mulis, & in Circarod ad montem sanctum meum Hierosolymam: dixit Jehova, quemadmodum afferebant filii Israel munus in vase puro domum Jehovæ.* Nec dubito, saltem quoad sensum mysticum referendum huc esse *munus* ab *Ægyptiis* id est Antichristianismi asseclis, Jehovæ afferendum Jes. XIX. 21. *Et cognoscetur Jehova Ægyptiis, & cognoscent Ægyptii Jehovam in die illo, & colent sacrificio & munere, & vovebunt votum Jehovæ, & solvent.* Exspectant hoc *munus* Messiæ offerendum ipsi Judæi. *Jalkut Chad.* fol. 141. cap. 2. לעתיד לבא יביאו האמות מנחה למשיח בני ציון הנולדים שם והוא לחצפים לראותה דומים כמי שנולדו: i. *Futuro tempore afferent gentes munera Messiæ, Filii illi Sionis, qui ibi sunt renati, juxta illud, quod dici solet: Qui desiderant Solymam videre, similes sunt iis, qui nascuntur.*

Conferuntur Prophetiæ ad hoc munus respicientes.

XLV. Implementum hujus Prophetiæ jam cœpit a tempore Reformationis, a quo Deus multa egregia instrumenta excitavit, quæ omnem impenderunt operam, ut Papismum errorum suorum convincerent, multosque e Babylone evocarunt.

Prophetia nostra jam ex parte implementum per Reformationem accepit.

Landesbibliothek Oldenburg

carunt. Abinde jam Jehova *ſibilavit illis & congregavit illos* Zachar. X. 8. *Abinde volavit Angelus* (Reformatores exhibens) *per medium cœli, habens Evangelium æternum, ut evangelizaret incolis terræ, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo, dicens magna voce: timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, & adorate eum, qui fecit cœlum, & terram, & mare & fontes aquarum.* Apoc. XIV. 6. Nec prorſus defuit ſucceſſus. Reliquere multæ *Filiæ Tyri*, multa regna & reſpublicæ ejus communionem, & inter eos, qui exiverunt, multi ad ſpiritualem *mincham* Deo offerendam in veritate fuere pellecti. *Evigilarunt & cantarunt procumbentes in pulvere* Jeſ. XXVI. 19. *Poſitam eſt deſertum in ſtagnum aquarum & terra arida in ſcaturigines aquarum* Pſ. CVII. 35. Et multa tamen reſtant. Spiritus nondum tam largiter eſt effuſus, ut Miniſtri Evangelii cum DITISSIMIS POPULI poſſint comparari. Præfiſcini id dixerim, non quaſi χαρίσματα, quibus Doctores Proteſtantium excelluere & adhucdum gaudent, magni non æſtimem. Quin potius gratias Deo habeo, quod *Doctores noſtros* in hunc usque diem *non ſiverit avolare*, ita ut *oculi noſtri videant Doctores noſtros* Jeſ. XXX. 20. Sed meliora exſpectare licebit, quando omnis *tepor Angeli Eccleſiæ Laodicenæ*, ideſt Miniſterii noſtri temporis, in calorem convertetur & redibunt tempora Apoſtolicorum æmula. In invitatione *Filiæ Tyri*, quæ hactenus tum colloquiis, tum ſcriptorum integris plauſtris inſtituta eſt, utplurimum illa humilitas, ille mixtus amore tenerrimo zelus abfuit, quibus Apoſtoli olim agitati tot miracula in perſuadendis gentibus patraverunt. Saltem eventus docuit, non tantum *Filiam Tyri* ſecundum partem potiorem ſe contra invitationem noſtram obſtinare, & *Babelem nondum ſanari velle* Jerem. LI. 8. ſed etiam inter eos, qui ad externam ſeparationem ſunt illecti, pauciſſimos de *munere* illo cogitare, quod per ſpiritualem cultum Regi & Sponſo Eccleſiæ eſſet offerendum. Ingens eſt eorum numerus, in quos quadrat illud Eccleſiæ Philadelphienſis γνώρισμα

Illuſtrius tamen hactenus exſpectatur.

Apoc.

Landesbibliothek Oldenburg

Apoc. III. 9. *Ecce do de Synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur*: per quos intelligi possunt, quicunque sub nomine Protestantium aut pestiferos errores disseminant, aut vitam professione indignam gerunt, qui non sunt triticum ad *mincham* aptum, sed zizania, oleoque Spiritus & sale amoris carent. Faxit autem Jehova, ut quod restat, impleatur! Locupletet Ministros suos divitiis donorum Spiritus sui. *Ascendant in cœlum testes veritatis*! Apoc. XI. 13. *Veniant ad Sionem curvando se filii affligentium illam, & incurvent se super plantas pedum ejus, omnes, qui eam spernebant, ac vocent eam civitatem Jehovæ, Sionem sancti Israelis*! Jes. LX. 14.

Fluunt ex dictis officia tum Ministrorum Evangelii,

XLVI. Dum hæc halcyonia exspectamus, memores simus officii nostri. Discant ex nostro versu omnes Evangelii Ministri, tum quales *esse*, tum quomodo *instituere* debeant. *Esse* annitantur *divites populi*, non corradendo thesauros mundanos, quorum possessio ipsa tantum non dignitati eorum officit, sed sectando augmentum Spiritus & donorum ejus. *Institutio* eorum careat omni arrogantia, dominandive in conscientias libidine, sit placida, sit blanda, sit convincens, & in id unum tendat, ut ad pacem cum Deo postliminio restituendam peccator persuadeatur.

tum singulorum Ecclesiæ membrorum, ut a peccatis Tyri caveant,

Sed & discant, qui volunt vera Ecclesiæ membra esse, a peccatis & abominationibus *Tyri* omnibus, a qua se exiisse profitentur, sollicite abstinere. Hoc exigit a nobis immensum beneficium Dei, quo ex tenebris *Tyri mysticæ* nos evocare, operisque, quod circa eam molitur, primitias esse voluit. Caveant ab idololatria spirituali, & præcipue a *mercatura* mystica, quam ii sectantur, qui per externa quædam officia se cœlum lucraturos credunt, quorum adhuc ingens inter ipsos, qui Reformatorum nomen gerunt, præcipue inter rudiores, caterva est. Absit fastus, scortatio, odium populi Dei, & quæcunque alia crimina *Tyro* tum literali, tum mystica

ſticæ exitium accelerarunt & accelerabunt, ne in nos vertatur, quod Chorazino & Bethſaidæ minatur Salvator Matth. XI, 21. 22. *Væ tibi Chorazin! væ tibi Bethſaida! Nam ſi Tyri & Sidone editæ fuiſſent virtutes, quæ editæ ſunt apud vos, etiam cum ſacco & cinere ſedentes reſipuiſſent. Quin etiam dico vobis, Tyro & Sidoni tolerabilior erit conditio in die judicii, quam veſtra.* Cogitent hanc potiſſimam converſionis *Tyri* remoram eſſe, quod ii, qui veritatem confitentur, ita ſæpe indigne Evangelio vivant, ut nihil minus quam ſplendor veræ pietatis in iis conſpici poſſit. Quicunque adhuc in regno tenebrarum jacent, locum dent perſuaſionibus Evangelicis, quæ tenerrimum miſereſcentis Dei affectum exprimunt. Pudefiant, quod Miniſtri Evangelii ipſis totiens, totiensque ſupplices facti fuerint, eosque anxie obſecraverint, ut propriam animarum ſalutem negligere deſiſtant. Caveant, ne poſt voces ſupplices, rugitus leonis ſequantur.

nec ſe fruſtra ad offerendum Chriſto munus oraripatiantur,

Quorum vero corda emolluere, eorum unica cura ſit, ut *Manus* purum Deo offerant, cor purificatum & promovendæ gloriæ Chriſti unice intentum. Oleo Spiritus magis magisque perfundi deſiderent. Sale amoris invicem conglutinentur. Ad effundendum ſanguinem libaminis loco parati ſint. Thus contriti Spiritus per preces offerant. Mel voluptatis & fermentum hypocriſeos fugiant. Sacrificio Chriſti cum abnegatione proprii meriti unice innitantur. Hæ ſunt oblationes, quibus Deus conciliatur.

ſed iſtud labantes merito ſiſtant.

(o)

EXER-

EXERCITATIO UNDECIMA.

DE LÆTISSIMA SPONSÆ MESSIÆ DOMIDUCTIONE.

1. *Nova analysis præmittitur.* 2. *Alloquium mutatur.* 3. *Honor sive Ecclesia dicitur* Filia Regis. 4. *Laudatur ut* glorificata. 5. *Et quidem* tota. 6. *Gloria Ecclesiæ vario respectu est* interna. 7. Elogium Sponsæ Messiæ *differt a communibus elogiis, quibus sponsæ mundanæ ornari solent.* 8. *Iterum describuntur* vestes mysticæ Ecclesiæ; 9. *tum interiores, quæ sunt* ex fundis auri *justitiam Christi adumbrantes:* 10. *tum exteriores,* acu pictæ, *denotantes sanctificationis ornatum.* 11. *Messias iterum* Rex *nominatur.* 12. Domiductio Ecclesiæ *est symbolum initii ultimæ felicitatis in regno glorioso communicandæ.* 13-16. Virgines comitantes *emblema sunt Ministrorum* Evangelii. 17. *Ii itidem* adducendi. 18-22. Lætitia & exultatio *in pompa deducta mere spiritualis est, quæ per partes explicatur.* 23. 24. Palatium *Regis Messiæ antitypus* templi, *præcipue* Ezechielis. 25. 26. Introitus *duplex conjungendus tum in* Sanctum *Ecclesiæ militantis, tum in* adytum *Ecclesiæ triumphantis.* 27. *Urgetur felicitas verorum fidelium.* 28. 29. *Officia inde deducuntur.*

I.

POst Filiam Tyri allectam ad augendam Messiæ & Sponsæ ejus in domiductione gloriam, pergit sacer Vates ad ipsam *domiductionis pompam*, sub cujus emblemate elegantissime comprehendit, quicquid Ecclesia ultimi temporis sperandum habet. In qua descriptione fortissimum simul ad persuadendum plene Filiam Tyri argumentum continetur. Proceditur hoc ordine, ut *Sequentis pericopæ analysis datur.*

α. Gloria Sponsæ Christi in genere exprimatur: ubi nota

ϰ. Titulum Sponsæ illustrem: *Filia Regis:*

γ. Gloriam ejus: *eſt glorificata*: quod amplificatur ex duabus circumſtantiis:
aa. Quia *tota*.
bb. Quia *intus*.
β. Speciatim oſtendatur,
α. In veſtitu duplici, tum interiori tum exteriori.
aa. De interiori dicitur: *veſtita eſt ſundis auri* vſ. 14.
bb. De exteriori: *cum acupictis*.
γ. In proceſſione ipſa. Ubi memoratur
aa. Scopus pompæ: *deducetur ad Regem*.
bb. Comitatus, cujus obſerva
αα. Perſonas, *Virgines, amicæ ejus*
ββ. Statum; *poſt eam*.
γγ. Felicitatis ejusdem cum Sponſa conſortium, *ad te* (o Rex) *adducendæ*. 15.
cc. Univerſalis omnium tum deductæ, tum deducentium in via lætitia: *deducentur*
αα. *cum lætitiis*.
ββ. *& exultatione*.
dd. Exitus & colophon totius proceſſionis: *Intrabunt in Palatium Regis* v. 16.

Emphatica eſt μεταβροφὴ orationis a Filia Tyri ad Sponſum.

II. In hac pericopa Vates per ecſtaſin compellationem a *filia* Tyri ad Regem Meſſiam iterum deflectit, ut ex fine inciſi 15. colligitur. Et merito, cum quicquid Eccleſiæ faciem glorioſam reddit, iſtud ipſius Meſſiæ gloriam amplificet, non tantum quia decentia ejus manifeſtatur, quando Sponſa, quam elegit, ut amore ejus digna conſiderari poteſt, ſed etiam quia ipſe unicus omnis ſplendoris ejus fons eſt. Adde, quod per tales periphraſes Sponſæ ad Chriſtum directas tacite fidiſſimus ille Eccleſiæ Sponſus ad conſervationem & augmentum cœleſtis ſui amoris permoveatur.

III. Eo pertinet, quod ſuaviſſimo, & glorioſiſſimo no-

Landesbibliothek Oldenburg

nomine denuo Ecclesia honoretur ; suavissimo, quando FILIA, glorioſissimo, quando REGIS esse dicitur. Titulum *Filiæ* Exercit. IX. §. 4. explicavi. Nunc tantum addo, per *Regem* tum Patrem, tum Filium intelligi posse. Ipse Pater hoc nomen etiam in Oeconomia salutis gerit Ps. LXXII, 1. quia supremus totius operis gratiæ Director est, primusque regni œconomici fons, quod per Testamentum Filio disposuit, unde Filius cum Patre in eodem throno sedet, eique habenas in regno glorioso iterum tradet. Sed hæc nunc non exsequor, quia *Sponsæ* prædicatum non impedit, quo minus hic per *Regem*, uti in nexu toto Psalmi, ipsum Messiam intelligamus, quem etiam ut *Patrem* Ecclesiæ jure considerari loco citato edoctum est. *Ecclesia nomine Filiæ Regis honoratur.*

IV. Digna hoc nomine Ecclesia comparet, quia נכבדה id est GLORIFICATA est. Sunt qui substantive vertunt, per δόξα uti LXX. interpretes, quos tamen legisse נכבדה cum cholem cum *Cappello* Crit. Sacr. p. m. 218. præsumo. Acquiesco heic rationibus Clar. *Gousseti*, qui adjectivam formam ex Ezech. XXIII, 41. defendit, quia participium Pahul esse docet, quod in Kal cum Niphal sæpe coincidit. Singularem sane participium passivum emphasin heic habet, ad indicandum id, quod sub nomine *gloriæ* comprehenditur, Ecclesiam non a se ipsa, sed ab alio accepisse. Christus eam sibi *sistit gloriosam* Eph. V, 27. Hinc de cœlesti Sapientia Prov. IV, 8. *Glorificabit te, quando eam amplexaberis.* Et hoc postremum in catena salutis Dei opus memoratur Rom. VIII, 30. *quos justificavit, eos & glorificavit*, ubi & tempus præteritum & nexus cum præcedentibus satis indicat, Apostolum *glorificationem* fidelium inchoatam in hac vita simul includere. *Inducitur Ecclesia ut glorificata passive, quia Messias omnis gloriæ ejus author est.*

De GLORIA Ecclesiæ, quamvis militantis, frequenter sacræ paginæ agunt. Ipsa Israelis Ecclesia vetus habuit *gloriam* Rom. IX, 4. Sed majorem tamen Œconomia Spiritus 2. Cor. III, 7-11. Ita promissum Jes. XLIII, 4. Cumque vox כבוד cujuscunque *Gloria Ecclesiæ in genere ejus excellentem statum exprimit.*

cunque rei non tantum excellentiam, ſed etiam laudem & honorem ei propter excellentiam, qua pollet, exhibitum, deſignet, facile intelligitur hic innui non tantum excellentem ejus ſtatum, ſed etiam honorem ei exhibendum.

Speciatim gloria Eccleſiæ eſt ipſe Deus,

Notandum autem, vocem כבוד & δόξα de *gloria* Eccleſiæ uſurpatam eandem eſſe, quam de *gloria Dei* & *Meſſiæ* ſolent adhibere ſacri Scriptores. Sine dubio, I. ut doceant, *gloriam* Eccleſiæ ipſum Deum ſuum & Servatorem eſſe, qui Iſraelis reliquiis eſſe debet *in gloriam* Jes. IV, 1. collato 1. Petr. II, 7. unde Proverb. XXV, 27. *Penitiſſimum gloriæ illorum eſt gloria*, quod Celeb. *Coccejus* ita παράφρασε: *Gloria juſtorum (id in quo gloriantur, & quod ſperant) tota gloria eſt, ſine ulla vilitate.* Jam vero, non gloriantur, niſi in Domino Jer. IX, 24. 1. Cor. X, 17. *& imago gloriæ Dei.*

II. Porro inde ſequitur, omnem gloriam Eccleſiæ nonniſi imaginem & radium eſſe gloriæ divinæ, *in cujus imaginem transformatur de gloria in gloriam* 2. Cor. III. 18. Ut ergo percipiatur, quid *gloria Eccleſiæ* deſignet, prius notandum, quid per *gloriam Dei* intelligatur. *Deſcribitur, quid per gloriam Dei intelligi ſoleat.* 1) Summa divinæ Perfectionis excellentia, qua tanquam graviſſimo *pondere* omnis creaturarum excellentia deprimitur. Nam a *ponderis gravitate* deſumtam eſſe metaphoram כבוד ſenſu primo conſtat. Et hoc pondus perfectionis divinæ tantum eſt, ut gentes omnes *in trutina* cum Deo compoſitæ *pro pulviſculo reputentur* Jes. XL, 15. 2) Manifeſtatio excellentiæ ſuæ in operibus cum ea convenientibus: inter quæ excellit opus gratiæ per Meſſiam confectum: unde non mirum eſt, & Meſſiam ipſum, & lucidam nubem, ejus olim typum atque ſymbolum, & virtutes ſingulas divinas in hoc opere revelatas hoc nomine frequentiſſime deſignari. 3) Honor, qui Enti perfectiſſimo a creaturis rationalibus excellentiam ejus agnoſcentibus affertur.

Imago ejus in Eccleſia indicatur.

Quando hæc transferimus ad Eccleſiam, tum per ejus *Gloriam* itidem deſignatur: 1) Pondus excellentiæ, qua antecellit omnibus regnis mundanis Prov. XII, 26. Jes. II, 2. Jes.

XLIII.

XLIII, 3. 4. 2) Demonstratio excellentiæ, auxilio Spiritus Sancti, per actiones, in quibus virtutes ad imaginem Dei spectantes elucent 2. Cor. III, 18. 3) Honor ipse, qui exhibetur populo Dei, a Deo ipso, 1. Sam. II, 30. a Christo, qui iis est *in honorem* 1. Petr. II, 7. ab angelis, Hebr. I, 14. a fidelibus singulis, Ps. XV, 4. sæpe ab ipsis hostibus, qui propter ipsos castigantur, Ps. CV, 14. 15. & per ipsos convincuntur & coguntur ad *fatendum, quod Deus inter eos sit* 1. Cor. XIV, 25.

Præcipue vero observamus, in plerisque locis, quæ de *Gloria* Ecclesiæ diserte agunt, respici ad ultima tempora, ad *regnum* illud *glorioſum*, quod non tantum cœlesti gloriæ propinquum erit & in eam influet, sed etiam majori præ elapsis temporibus splendore *gloriæ* radiabit. Huc spectat Prophetia Psalmi CXLVIII. ubi vs. 5. *Exultent pii in gloria, cantent in lectis suis* & vs. 9. *Gloria hæc omnibus piis ejus. Halleluja.* Sic Jes. LX, 1. 2. 3. *Surge, luce, quia venit lux tua, & gloria Domini super te exorta est. Nam, ecce, tenebræ operient terram, & caligo nationes, & super te orietur Jehova: & gloria ejus super te videbitur. Et ambulabunt gentes ad lucem tuam & Reges ad splendorem ortus tui.* Confer Apoc. XXI, 23. 24. Adde Jes. LXII, 2. LXVI, 11. 12. Hæc est illa *Gloria*, quam priores Christianorum Imperatores jam ut præsentem aut instantem videntur intuiti esse, quando nummos signabant: GLORIA SAECULI, uti Constantinus M. five: GLORIA NOVI SAECULI, uti Gratianus. Et certe, quicquid *Gloriæ* nomen comprehendit, id post exstirpatum Antichristum in Ecclesiam conferetur. 1) Exaltabitur super omnia regna mundi Dan. II, 44. 2) Splendore cognitionis & sanctitatis eximio radiabit Jes. XXX, 28. LX, 21. &c. 3) Honorationis tum divinæ, tum humanæ objectum erit Jes. LXII, 3. LX, 13. 14. Ps. CII, 16.

Ecclesiæ in fine N. T. status ut maxime gloriosus exspectatur.

V. Auget ideam hujus gloriæ Propheta, quando addit ⸗ *glorificata est* TOTA. Græci dicerent πάνδοξος. Etiam in hac parte Ecclesia imaginem Sponsi sui gerit. Sicut ille totus

Perfectio hujus gloriæ urgetur, quia totalis.

totus eſt deſiderabilis Cant. V, 16. ita illa *tota eſt glorificata.* Pari modo Cant. IV, 7. *tota pulchra* dicitur *absque macula*, quam phraſin Paulus imitatur Epheſ. V, 27. *Ut ſiſteret eam ſibi glorioſam, id eſt Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, ſed ut ſancta ſit & inculpata.* Nihil ſplendidius dici poteſt. Nec ſine aliqua ſpecie *Perfectionarii* hac phraſi abutuntur, ad incruſtandos ſuos de ſummo ſanctitatis gradu in hac vita obtinendo errores. Quod tamen cum & evidentiſſimis Scripturæ teſtimoniis, & omnium Sanctorum confeſſioni, & omnium ſeculorum experientiæ, & intimæ uniuscujusque conſcientiæ, & inſeparabili a natura humana poſt lapſum debilitati, qua non tantum ſingulæ facultates animæ, ſed etiam ipſum hoc corpus mortis correptum eſt, e diametro repugnet, neceſſe eſt, ut commodiorem phraſeos interpretationem quæramus. Quæ etiam facile inveniri poteſt, ſi canonem hunc in innumeris Scripturæ locis ſervandum cogitemus: *Quicquid de re aliqua prædicatur, ſecundum naturam ſubjecti eſſe intelligendum, nec ultra eam extendendum.* Sicut ergo, quando eadem vox de *Gloria Dei* & de *Gloria Eccleſiæ* adhibetur, res ipſa docet, in ſenſu longe inferiori vocem כבוד Eccleſiæ, quam Deo adſcribi, ita quando *totalitas Gloriæ* Eccleſiæ militanti appropriatur, ex ejus natura ſequitur, cum minori emphaſi id de illa, quam de Eccleſia triumphante dici. *Tota* ergo *glorificata* Eccleſia præcipue ſub Novo Teſtamento eſſe perhibetur ob triplicem cauſſam. I. *Perfectione Chriſti*, quia *in Chriſto perfecta eſt* Col. II, 10. qui conſummata ſua juſtitia ita totam tegit, ut ὑδὲν κατάκριμα amplius in ea locum habeat Rom. VIII, 1. II. *Perfectione viæ*: quia omnia illa bona habet, quæ *Gloriam* Eccleſiæ militantis in hac via conficiunt, quæque paragrapho præcedente a nobis recenſita ſunt. Sane tum perfecti ſunt fideles, etiam in hac terra, quando illum ſanctitatis gradum attigere, qui ſecundum decretum Dei & promiſſiones verbi attingi in hac vita poteſt; & tamen ab illa perfectione non parum diſtant, qua Spiritus

quod non abſolute, ſed ſecundum quid intelligendum eſſe docetur.

Totalitas gloriæ Eccleſiæ includit 1) perfectionem Chriſti: 2) perfectionem viæ:

ritus consummati gaudent. Quando juvenem perfectum dico, ulteriorem tamen in virili ætate perfectionem mente mea concipio. Eadem ratione *tota* glorioſa eſt Eccleſia, quando omnes eas promiſſiones poſſidet, quas Deus Eccleſiæ militanti dedit, quamvis ad ſplendidiores in triumphante adſpiret. III. Perfectione *partium* quia omnes partes & proprietates, quæ eſſentiam Eccleſiæ militantis conſtituunt, ita ſunt comparatæ, ut de *Gloria*, quam Deus fœderatus in eam contulit, illuſtre teſtimonium præbeant. Ita exempli cauſſa 1) *glorificata* eſt ratione *originis*. Quid enim *glorioſius*, quam *ex Deo natum* eſſe? Joh. I, 13. Quid *glorioſius*, quam SS. Triadem omnes theſauros omniſufficientiæ ſuæ impendiſſe, ut Eccleſiam reddat Sponſam unigenito Dei Filio dignam? quam hunc ſcopum propoſiti gratiæ Patri, obedientiæ univerſæ Filio, operationum omnium Spiritui Sancto fuiſſe, & etiamnum eſſe? 2) *Glorificata* eſt ratione *munerum*, quæ quamvis in minori menſura, cum Sponſo tamen ſuo communia habet, ut Regale Sacerdotium 1. Petr. II, 9. 3) *Glorificata* eſt ratione *attributorum*, quæ per opus ſanctificationis ei communicata ſunt. Quid enim *glorioſius*, quam naturæ divinæ participem, & Seraphinorum, Cherubinorumque antitypum eſſe, imagine Diaboli deſtructa imaginem Dei poſtliminio reſtitutam poſſidere, illuminato gaudere intellectu, ſancta voluntate, tranquillatis affectibus, membris in arma juſtitiæ conſecratis? 4) *Glorificata* eſt ratione *operum*, quæ in robore Spiritus perpetrat. Quid enim *glorioſius*, quam Satanam ſub pedibus conculcare, mundum vincere, contraque hoſtes ſpirituales proſpere pugnare? 5) *Glorificata* eſt ratione *bonorum*, quæ poſſidet, ut primitias Spiritus. Quid enim *glorioſius*, quam Deum habere inhabitantem, ejus luce colluſtrari, ejus amore perfundi, conſcientia tranquillata, parrheſia filiali, pace, libertate conſtanter gaudere? 6) *Glorificata* eſt ratione *ſpei*, qua hæreditatem vitæ æternæ & pleniſſi-

3) perfectionem partium.

Glorioſa eſt

a) ratione originis,

b) ratione munerum,

c) ratione attributorum,

d) ratione operum,

e) ratione bonorum, quæ poſſidet,

6) ratione ſpei.

nissimam cœlestis *gloriæ* possessionem meditatur, anhelat, amplectitur.

Excellentia hæc gloriæ postremum ultimis temporibus conspicietur.

Jure ergo merito Ecclesia ut *in totum* glorificata describitur: sed cumprimis Ecclesia ultimorum temporum, cujus *gloriam* longe supra gloriam seculorum præcedentium evehendam esse, jam dicere occupavimus. Sane delineatio ejus, quæ passim a Prophetis & præcipue in ultimis Apocalypseos capitibus datur, tam splendida est, ut sæpe inter legendum videamur jam cœlestis gloriæ instar contemplari, nisi phrasibus intermixtis identidem in terram retrogredi cogeremur, ad talem statum intellectui speique nostræ præsentandum, qui quamvis in terris, cœlo tamen proximus, *cælestisque gloriæ vividissimus typus* erit.

Gloria Ecclesiæ est interna.

VI. Ne tamen hic suavibus Chiliastarum tum Judæorum, tum multorum jam a primordiis N. T. Christianorum somniis locum demus, cavetur, dum natura glorificationis Ecclesiæ propius designatur, addita voce פנימה INTUS. Veram gloriam hominis *internam esse*, apud ipsos gentiles in confesso fuit. *Seneca* de provident. cap. 6. *Quid habetis, quod de me conqueri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi, & animos inanes velut longo fallacique somnio lusi. Auro illos, argento & ebore adornavi*, intus *boni nihil est.* Et post pauca: *Non fulgetis extrinsecus, bona vestra introrsus obversa sunt. Sic mundus interiora contemsit, spectaculo sui lætus. Intus omne posui bonum.* *Hierocles* in Carm. Pyth. p. m. 158. Τὰ ἔσω τῆς ψυχῆς ἀδούλωτα ἄλλῳ, καὶ ἐλεύθερα &c. i. *At quæ intus habet anima, nulli sunt mancipata, sed libera.* Judæorum quoque non inelegans sententia est in *Bab. Joma* fol. 72. citata a *Ligtfooto* Hor. Hebr. in Matth. p. m. 360. תח" שאין תוכו כברו אין תח": i. *Discipulus sapientum, qui idem non est ad intra, quod est ad extra, non est sapientum discipulus.* Sed pressius vis vocis examinanda. Plerique Interpretes hic ad *interiores vestes* collimatum putant, quibus tamen accedere

Internus animæ status laudatur tum Philosophis tum Rabbinis.

Ostenditur hic non tam ad interiores ve-

dere nequeo, *tum* quia in analyſi oſtendi, ſectionem priorem inciſi 14. poſſe ut lemma ſequentis uberioris explicationis, quæ de gloria Eccleſiæ datur, conſiderari, *tum* quia inter enumeratas veſtes etiam exteriores inveniemus, *tum* quia vox textus nunquam de veſtitu uſurpatur. Conſtans ejus uſus eſt, de interioribus penetralibus domus, & præcipue templi, ejusque utrisque partibus 1. Reg. VI, 26. 29. 2. Chron. IV, 22. Ez. VIII, 3. X, 3. etiam de atrio Sacerdotum Ezech. XLIII, 5. &c. Ab hoc uſu non diſcedo. Eadem Eccleſia, quæ Chriſti Sponſa, etiam ejus domus & templum eſt. 1. Cor. VI, 19 2. Cor. VI, 16. Epheſ. I, 21. Hebr. III, 6. Oſtenſum id latius p. 316. ſeqq. Quin &, qua Sponſa poteſt, ut ædificium Chriſti, conſiderari. Antitypus enim eſt Hevæ, quam יבן i. *ædificavit* Deus Gen. II, 22. Et apud Hebræos בית pro *uxore* ponitur. Sic in initio *Jomæ*, adducto loco Lev. XVI. 6. & 11. וכפר בערו ובעד ביתו i. *Et expiationem faciet pro ſe & domo ſua*: mox ſubjicitur: ביתו זו אשתו i. *Vocabulo* ביתו *uxor intelligitur*. Et in Excerptis *Gemaricis Sotæ* cap. VIII. apud *Wagenſeilium* p. 889. ובנית ביתך זו אשה i. *ut ædifices domum tuam*, (Prov. XXIV, 27.) *ſubintelligitur uxor*.

ſles, quam ad penetralia domus & templi alludi.

Uxor domus eſt.

Quando igitur Eccleſia ſiſtitur, ut domus *interne* glorificata, ſequentia innuuntur. I. Eas phraſes & emblemata, quæ de ſplendido Eccleſiæ ſtatu porro in ſequentibus uſurpantur, myſtice eſſe intelligenda, non de pompa quadam mundana, ſed de gloria ſpirituali. Recte *Arnobius* ad h. l. *Gloriam omnem, quam in gemmis Reginæ circumferunt, extrinſecus eſſe ad videndum hominibus, hic omnem gloriam Filiæ Regis ab intus eſſe vult in penetralibus mentis: ibi eam vult in fimbriis aureis circumdari varietate virtutum.* II. Oppoſitam eſſe Eccleſiam hanc Eccleſiæ Judaicæ, quæ multis externis bonis gaudebat, quorum fruitio in Œconomia nova cum toto externo ceremoniarum choragio abolita eſt. Huc pertinent loca Luc. XVII. 20. Rom. II. 29. XIV, 17. Gal. V, 6. III. Id quod in veris membris Eccleſiæ glorioſum eſt, eſſe partem *interiorem*

Internæ autem dici poteſt gloria,

1) *quia deſcriptio ejus myſticum ſenſum habet:*

2) *quia oppoſita Eccleſiæ Judaicæ;*

3) *quia in animis potiſſimam*

Landesbibliothek Oldenburg

sedem habet:

rem, ſcilicet animas fidelium, quæ conſtituunt *interiorem hominem cordis* 1. Petr. III, 4. collato 2. Cor. IV, 16. Harum facultates eſſe tabulam, in qua imago Dei expreſſa eſt. Ita explicabant veteres dictum, quod a Salvatore noſtro prolatum cenſebatur: *venturum ejus regnum cum duo erunt unum, & quod foris, ut quod intus.* Sic enim *Clemens Romanus* II. Ep. ad Corinth. p. m. 25. edit. Oxon. 1677· καὶ τὸ ἔξω ὡς τὸ ἔσω. τοῦτό λέγει τὴν ψυχήν, λέγει τὸ ἔσω, τὸ δὲ ἔξω τὸ σῶμα λέγει. Οἷον τρόπον ἐὰν ᾖ τὸ σῶμα φαίνεται, οὕτως καὶ ἡ ψυχὴ ᾖ δῆλον ἔσω ἐν τοῖς καλοῖς ἔργοις i. *Et* quod foris, ut quod intus: *hoc ait: animam vocat*, quod intus; *& corpus*, quod foris. *Quomodo igitur corpus tuum conſpicuum eſt, ita & anima tua manifeſta ſit in bonis operibus.* IV. Animas ſecundum antitypum omnia poſſidere, quæ internum ornatum Sanctuarii olim conſtituebant. In iis thronum Chriſti erectum, ipſumque per manifeſtationem virtutum ſuarum præſentem eſſe: ſplendere lucem verbi & Spiritus: panem vitæ proponi: ſuffitum precum accendi: auro ſanctitatis, quæ eſt verum domus Dei ornamentum, omnia colluſtrari: ſanguine Chriſti cor aſpergi: Cherubinorum cœleſtium exempla ad imitationem ſemper ob oculos verſari: reſponſa divina in dubiis caſibus dari &c. V. Porro ſicut *interior* hæc templi facies coram oculis hominum, ipſiusque Iſraelis latebat, & nonniſi à Sacerdotibus inſpici poterat, qui ſoli intrandi jus habebant, ita etiam cum Eccleſia vera conſtitutum eſt. *Abenezra* in h. l. hanc rationem dat: שהיתה שוכנת לפנים בארמונה ולא היתה נראית לכל: i. *quia olim habitavit in deſerto, nec videtur ab omnibus.* Gloria ejus coram mundo abdita eſt. Impoſſibile eſt, ut homo carnalis diſtinctum conceptum ſibi de ea formare poſſit, quamvis vel in gremio externæ Eccleſiæ educatus ſit. Hæc prærogativa ſolum ad eos pertinet, qui intrarunt, qui viva & genuina membra Eccleſiæ evaſerunt, atque ita per experientiam edocentur. Inſpice 1. Cor. II, 7-12. Epheſ. III, 18. Col. III, 3. 1. Joh. III, 1. Apoc. II, 17. VI. Quin ſicut Sacerdotes in Sancto non conſpiciebantur a populo, qui in

4) quia antitypus eſt interioris partis Templi:

5) quia coram mundo occulta:

6) quin & aliquatenus ipſis fidelibus,

atrio

atrio ſtabat, ita vere credentes externe non infallibiliter agnoſci nec facile ab hypocritis diſcerni poſſunt. Quamvis enim probabiliter de ſtatu animæ ex operibus & fructibus externis ſtatui queat, & ſecundum amoris leges debeat; certum tamen formare judicium periculoſum eſt, *tum* quia βάθη τ Σατανᾶ in hypocritis nimis profunda, *tum* quia *limites* tolerantiæ divinæ ratione peccati adhuc adhærentis obſcuri in multis caſibus eſſe deprehenduntur.

Elogium Sponſæ Chriſti longe diſcrepat ab elogiis Sponſarum mundanarum, ex quo ſenſus myſtici veritas confirmatur.

VII. Hoc, quod in genere Pſaltes aſſeruerat, ſpecia-tim per partes probare contendit. In qua deſcriptione id notari meretur, elogium Sponſæ nullatenus ad morem epithalamiorum humanorum compoſitum eſſe. Quæ enim potiſſimum in iis laudari ſolent & merentur, quales ſunt dotes naturæ, tum in anima tum in corpore eminentes, heic ſico pede tranſeuntur. Omnia, quæ ei adſcribuntur, ſunt acceſſoria, quæ ſublatis prioribus, nil niſi umbra ſunt. Hæc meditatio invictum argumentum miniſtrat contra eos, qui in ſenſu literali ſubſiſtere volunt, quia nulla talis irregularitatis ratio dari poteſt, niſi quod ita aptius ſpiritualis & interna Eccleſiæ facies adumbraretur. Meminerint enim heic fideles, nihil ſe a natura poſſidere, quod eos in oculis Chriſti amabiles reddat. Acceſſoria ſunt meræ & liberrimæ gratiæ dona, quæ eos excellentes faciunt.

Veſtes Sponſæ non fruſtra iterata vice laudantur.

VIII. Præcipue *veſtitus* Sponſæ tam impenſe Spiritui Sancto placuit, ut nihil magis laudet, & iterato ad eum hic redeat. Siſtit eam denuo לבושה i. AMICTAM, quæ repetitio non tantum nihil inconcinni habet, cum Eccleſia in χέσει ad alia tempora conſideratur, ſed etiam emphatice nos monet, nihil Eccleſiam quocunque tempore magis commendare, quam id, quod per *veſtes* ejus repræſentatur, &Exercit. VIII. §. 19. indicatum eſt, ſcilicet juſtitiam Chriſti cum fructibus Spiritus ejus in ſanctificatione connexam. Hoc reſpectu Eccleſia ultimorum temporum ut veſtitu egregio atque nuptiali ornata non ſemel introducitur Apoc. XIX, 7, 8.

Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus paravit ſe. Et datum eſt ei, ut amiciatur byſſo munda & ſplendida: byſſus enim juſtificationes ſunt ſanctorum. Apoc. XXI, 2. *Et ego Johannes vidi ſanctam illam civitatem, Hieruſalem novam, deſcendentem a Deo, e cœlo, paratam, ut Sponſam, ornatam Viro ſuo.* Sicut autem duo bona Eccleſiæ per *veſtes* adumbrari citato loco evici, unde & δικαιώματα τῶν ἁγίων in plurali apud Johannem cum *veſte* comparantur: ita duplex quoque veſtimentum Sponſæ a Pſalmodo noſtro recenſetur.

Fundæ auri reſpiciunt ad tunicas teſſellatas auro intextas,

IX. Primus veſtimentum dicitur משבצות זהב i. FUNDAE AURI. Quæ ad iſtud explanandum pertinent, prolixius apud *Braunium* de Veſtit. Sacerd. lib. I. c. 17. legi poſſunt. Nobis in præſentia ſufficit, tale *veſtimenti* genus deſignari, quod quoad materiam ex filis aureis contextum, quoad figuram reticulatum fuit, *pluribus virgis, hoc eſt viis transverſim decuſſatimque ductis, diſtinctum, unde multæ in medio quadratæ notæ relinquebantur, quales in retibus aut reticulatis operibus apparent:* verba ſunt *Salmaſii.* Tales veſtes antiqui *virgatas & ſcutulatas* appellabant. Quoad uſum erat veſtis Sacerdotalis, & quidem interior, tunicæ loco Exod. XXVIII. & XXXIX Niſi, quod *aurum* non intextum. Eodem tamen nomine & fundæ appellantur, quibus gemmæ, quas S. Pontifex portabat, inſerebantur Exod. XXVIII, 10. 20. quo alludi in hoc loco cenſet *Jarchius.* Cæterum & Regibus adhibita *veſtis auro intexta*, teſſellata, quod ex hiſtoria Saulis 2. Sam. I, 9. recte probari poteſt. Unde & *Joſephus* Antiq. V. c. 1. memorat χλαμύδα βασίλειον, ἐν χρυσῷ μὲν πᾶσαν ὑφασμένην i. *paludamentum Regium ex auro totum intertextum.* Et Æn. III.

Sacerdotum & Regum geſtamen.

Fert picturatas auri ſubtegmine veſtes.

Confer *Bochartum* Phaleg. I. cap. 6.

Tunica talis poteſt conſiderari

Tunica hæc optime exprimit *veſtium myſticarum* partem primam, *juſtitiam Chriſti* perfectam, quæ in opere juſtificationis

tionis fidelibus applicatur. Illa est I. Tunica & quidem *talaris*, totum corpus tegens, quia perfecte nuditatem peccati a facie Dei abscondit. II. Tunica *interna*, quia opus justificationis nemini cognitum est nisi Deo & animabus Apoc. II, 17. III. Tunica *tessellis* interstincta, quas tessellas quidam symbolum esse putant variorum fidelium inter se arctissime unitorum. Fors non minus apte de obedientia Christi duplici cogitatur, passiva, quæ peccata eluit, & activa, quæ jus ad vitam restauravit. Virgæ enim in tali texto decussatim sibi invicem implicatæ, crucis figuram undique præferentes ad passiones, tessellæ autem inter virgas interjacentes ad virtutes varias, quibus perfecte Salvator noster totum Legis tenorem implevit, quæ utraque Ecclesiæ imputantur, non inepte referri possunt. IV. Tunica *auro intexta*, ad inæstimabile pretium justitiæ æternæ repræsentandum. Vide Exercit. VIII. §. 20. V. Tunica tum *Sacerdotalis*, tum *Regia*, quia Regale Sacerdotium fidelium in merito Christi unice fundatum est, quæ dignitas non tantum omnibus fidelibus communis est in Novo Testamento 1. Petr. II. 9. Apoc. I, 6. V. 10. sed etiam potissimum in regno glorioso elucebit. *Erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis* Apoc. XX. 6.

ut symbolum justitiæ Christi.

X. Alterum vestimentum dicitur רקמות i. ACU PICTAE. Septuaginta hanc vocem præcedenti versui adsuerunt, & cum voce לבושה construxerunt: ῥᾳβεβλημένη ποικιλμάτη. Convenit id apprime cum nostra analysi. Cæterum designari vestes eleganti artificio, ope *acus*, variis *coloribus* & *figuris* exornatas, post alios docuit *Braunius* de Vest. Sacerd. lib. I. c. 17. §. 269. sqq. Conferri quoque possunt *Rubenius* Elect. II. c. 1. *Cuperus* Obsevat. lib. II. c. 12.

Acu picta vestes describuntur.

Nos quædam in nostram rem propius facientia tantum notamus. *Gemara Hierosolymitana* ad Sotæ c. IX. fol. 49. a *Carpzovio* disp. Acad. X. p. 404. citata tales vestes nuptiales esse docet: חומת חתנים סריגים מצויירים ומהרוגין זלב תהוין בהם i. *Velamina*

Tales apud Judæos & Græcos solebant esse vestes nuptiales.

mina Sponſorum ſindones ſunt acu pictæ, quibus appenduntur monilia aurea. Apud Græcos quoque *pictas veſtes* in nuptiis eſſe adhibitas docet *Spanhemius* in Ariſtophanis Plutum edit. Kuſterianæ elegantiſſimæ p. 256. & 276. Sed quia loca ab eo adducta non tam de pictis acu, quam textura agunt, iis non immoror. Originem talium veſtium plerique a Phrygibus arceſſunt, unde dictæ *Phrygionicæ*: ego a Phœnicibus, non tantum præeunte Scriptura, quæ opus רקם in conficiendo Sacerdotum veſtitu adhibitum docet, ſed etiam antiquitatum prophanarum Patre *Homero*, qui a Sidoniis mulieribus ad Phrygas allatam eſſe hanc artem docet Iliad. lib. VI. v. 289. ſq.

Αυτὴ δ' ἐς θάλαμον καταβήσετο κηώεντα,
Ενθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν
Σιδονίων, τὰς αὐτὸς Αλέξανδρος θεοειδὴς
Ηγαγε Σιδονίηθεν ὑπερπόντιον εὐρέα πόντον

i. *Ipſa autem in thalamum deſcendit odoribus fragrantem, ubi erant pepli varie picti, opera mulierum Sidoniarum, quas ipſe Alexander divinus abduxerat e Sidonia, enavigans latum pontum.* Porro notari velim, *pictas veſtes* ut plurimum fuiſſe exteriores. Talis erat apud Romanos *toga picta* cujus figuram in nummo Auguſti conſpicies apud *Rubenium* in nummis Caroli Ducis Croyaci Tab. XIII. n. 21. Talis peplus, cujus modo *Homerus* mentionem fecit: pepli enim palliorum muliebrium loco erant. Et ποικίλων πέπλων mentionem facit *Euripides* Andromach. Act. I. in deſcriptione veſtium nuptialium Hermiones. Similiter Iphigen. in Tauris Act. 4. virgines in nuptiis introducuntur:

- πολυποίκιλα φαρέα καὶ πλοκάμους περιβαλλομένα.

i. *picturatas varie indutæ veſtes cinnisque comtæ.* Hinc apud *Ælianum* Var. Hiſt. lib. XII. c. 1. inter χιτῶνα & περίβλημα ποικίλον diſtinguitur: Η δὲ Ασπασία ὅτε ἐνδύσαιτο πολυτελῆ χιτῶνα ἐβάλετο, ὅτε περίβλημα περιβαλέσθαι ποικίλον ἠξίου i. *Aſpaſia vero neque pretioſam tunicam induere volebat, neque amiculo dignabatur picto amiciri.*

Quod

Quod notasse ad Psalmum nostrum usu venit, quia hic vestis picta a tessellata distinguitur. Patet etiam ex *Æliani* loco, Sponsas Regias, qualis erat Aspasia, talibus vestibus ornari solitas fuisse. Principum gestamen est Ezech. XXVI, 16. Quin, quod præcipue hic notari meretur, coloratis his vestibus Sponsæ virtutum studium præferre monebantur. *Antiphanes* apud Stob. Serm. LXXII. *præcipua Sponsarum regiarum.*

Μὴ χρώμασιν τὸ σῶμα λαμπρύνειν θέλε,
Ἔργοις δὲ καθαροῖς, καὶ τρόποις τὴν καρδίαν.

i. *Ne coloribus ornare corpus velis, sed potius animum factis & moribus sinceris.*

Aptissime ergo per *vestes acu pictas* exprimitur ornatus sanctificationis, qui justitiæ Christi individuus comes est. I. Sicut *vestes pictæ* multa arte elaboratæ erant, ita sanctificatio est opus inimitabile cœlestis artificis, nempe Spiritus Sancti 2. Thess. II, 13. 2. Cor. III, 18. II. Sicut variis coloribus & figuris erant distinctæ, ita varii sunt fructus, varia dona Spiritus Gal. V, 22. 2. Petr. I, 5-7. III. Sicut tales amictus proprium fœminarum Principum gestamen erant, ita qui his fructibus sanctificationis donantur, ex iis discunt & demonstrant, quantis honoribus eos Sponsus cœlestis cumulaverit. IV. Sicut hæc vestimenta magis ornamenti, quam tegumenti loco erant, & exterius aliorum oculos afficiebant, ita fructus Spiritus nullam justitiam coram Deo caussantur, egregium tamen ornatum animabus conciliant, qui etiam in aliorum oculos incurrit. Matth. V, 16. 1. Petr. II, 12. *Emblema hic sunt sanctificationis.*

XI. Sicut vero Sponsa caste & sincere amans in suo cultu nil aliud intendit, quam ut Sponso suo placeat, ita omnis cultus Ecclesiæ eo tendit, ut gratiam in oculis cœlestis sui Sponsi inveniat. Nam AD REGEM ducitur. De regio Messiæ fastigio dictum in præcedentibus. Præferre autem hic & in toto Psalmo Vates titulum *Regis* appellationi *Sponsi* videtur, *tum* ut profundam venerationem talis Sponsi Ecclesiæ *Cur Messias potius Rex, quam Sponsus a Psalte appelletur.*

identidem inculcet, qui tanta majeſtate effulget: *tum* ut ipſius Eccleſiæ gloriam exaggeret, quæ Sponſum Regali gloria conſpicuum nacta eſt.

Domiductio in genere poteſt adumbrare colophonem operis Domini in animabus.

XII. Ut vero arcta unione Regis ſui Eccleſia gaudeat, ad eum ducenda eſt. תובל i. DUCETUR. Ad qualem *ductionem* hic & in tota pericopa collineetur Exerc. X. §. 1. jam occupavi dicere. Sponſa in fine nuptiarum ad Sponſi ædes introducitur. Et talis *domiductio* in genere ſymbolum eſſe poteſt beati exitus, quem opus gratiae habet, quando animae ad pleniorem communionem cum Chriſto intromittuntur, ut ejus amore fruantur. Hic jucundiſſimus amoris Chriſti ſenſus inchoate percipitur in illis operationibus, quæ ad obſignationem fidelium pertinent, quando cum parrheſia *in penetralia ducuntur* Cant. I. 4. ubi *in Deo ſuo deliciantur* Jeſ. LXI. 10. Conſummabitur autem in aeterna gloria, ubi dabitur iis ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον. 2. Cor. V. 8. Phil. I. 23.

Hic autem preciſe reſpicitur mutatio Eccleſiæ ultimorum temporum in melius. Symbolum hoc deſignat
1) imbecillitatem & pudorem:
2) ſpontaneitatem:
3) nymphagogos ejus eſſe tum Miniſtros verbi tum ipſum Spiritum ſanctum:

Quando autem preſſius filum Spiritus Sancti ſequimur, per hanc *domiductionem* adumbratam ſtatuimus translationem Eccleſiæ in conditionem illam feliciſſimam, quæ ultimis N. T. temporibus promiſſa eſt, quæque ob ſequentes rationes *domiductioni* Sponſæ comparari poteſt. I. Ut exprimatur Sponſæ naturalis imbecillitas & pudor: *imbecillitas*, quia appropinquare propriis viribus ad Jehovam nequit, *pudor*, quia non audet. Utrique conſulit cœleſtis Sponſus, dum ad ſe duci curat. Hæc eſt illa *tractio*, quam Sponſa cupit Cant. I. 4. II. Ductio quoque tractioni opponi poteſt. *Volentem ducunt fata, nolentem trahunt.* Innuitur ergo ſimul ſpontaneitas, qua plus quam ſponſa ulla humana, Eccleſia in amplexus Sponſi cœleſtis properat. III. Ductor Sponſæ erat amicus Sponſi qui *paranymphus* dicebatur. *Julius Pollux* Onomaſt. lib. III. c. 3. ὁ δὲ καλούμενος παράνυμφος, νυμφευτὴς ἐνομάζετο, καὶ πάροχος. Vocabatur & νυμφαγωγός. *Julius Pollux* l. cit. ὁ δὲ ἄγων τὴν νύμφην ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οἰκίας, νυμφαγωγὸς, ὅποτε μὴ ὁ νυμφίος μετῄη, ὁ νενόμισο δὲ μετέναι τοὺς δευτερογαμοῦντας. i. *Sed qui Sponſam e Patris ædibus deducit,*

ducit, Nymphagogus appellatur: cum scilicet sponsus ipse non transit: non vero fas est transire bigamos. Exiguum licet & parum observatum, aliquale tamen discrimen inter *Nymphagogos* & *Parochos* observat *Hesychius* in Νυμφαγωγός. Tales erant apud Hebræos, quos שושבין appellant, de quibus videri possunt *Buxtorfius* in Lexico. *Ligtfootus* Harmon. Evang. Part. III. p. 450. Non frustra id observo, quia ad tales sponsarum ductores in spirituali matrimonio collimat Baptistes Joh. III. 29. Ad quem locum eleganter *Theophylactus*: Οὐδεὶς ἄλλος ἐστὶ νύμφιος, εἰ μὴ μόνος ὁ χριστὸς, πάντες δὲ οἱ διδάσκοντες νυμφαγωγοί εἰσιν, ὥσπερ ἦν καὶ ὁ πρόδρομος. Οὐδεὶς γὰρ ἄλλος δοτὴρ ἐστι τῶν ἀγαθῶν εἰ μὴ ὁ Κύριος, οἱ δὲ ἄλλοι πάντες μεσῖται, καὶ τῶν παρὰ τοῦ Κυρίου δεδομένων ἀγαθῶν διάκονοι. i. *Nullus alius Sponsus, quam solus Christus: omnes autem docentes pronubi sunt, sicut quoque præcursor. Nullus enim alius dator est bonorum, quam solus Dominus: alii autem omnes sunt mediatores, & ministri bonorum, quæ Domino dantur.* Ad simile officium respicit Paulus 2. Cor. XI. 2. Et Jes. cap. LXII. 5. *Ut habet juvenis virginem*, (paranymphus scilicet) *ita habebunt te filii tui*, Doctores Ecclesiæ. Nam sequitur statim: *& hilaritate Sponsi super Sponsa hilarabitur super te Deus tuus.* Potest tamen & Spiritus S. ut nymphagogus considerari. Ejus typus videtur fuisse Eliezer ab Abrahamo missus & Rebeccam domum ducens, indeque merito νυμφαγωγός appellatus a *Photio* Epist. 74. Hujus sane ductum expetunt fideles Psalm. CXLIII. 10. Et utraque possunt conjungi, quia Spiritus per Verbum & Ministros ducit. Hinc suspirat Ecclesia Ps. XLIII. 3: *Mitte lucem tuam* (illuminationem internam Spiritus tui) *& veritatem tuam:* (verbi Evangelici) *illa ducant me ad montem sanctum tuum & ad tabernacula tua!* IV. Domiductio potissimum vespere fiebat. *Suidas* in voce ζεῦγος: Παραλαβόντες δὲ αὐτὴν ἐκ τῆς πατρῴας ἐφίας ἐπὶ τὴν ἅμαξαν ἄγουσιν ἐς τὸ τοῦ γαμοῦντος ἑσπέρας ἱκανῆς. i. *Recipientes autem illam ex paterna domo in curru deducunt in domum sponsi bene vesperi. Valerius Maximus* lib. I. c. 5: *At Cæcilia Metelli, dum sororis filiæ, adultæ ætatis virginis, more pri-*

Joh. 3: 29. illustratur

4) *felicitatem hanc Ecclesiæ in vespere mundi exspectandam:*

Landesbibliothek Oldenburg

ſco, nocte concubia, nuptialia petit, omen ipſa facit. Et ad Sponſum Manlium *Catullus*:

-- Sed abit dies:
Perge, ne remorare.
Non diu remoratus es.
Jam venis --

Adde *Pinedam* de reb. Sal. IV. 3. Hinc faces accenſæ & prælatæ. Hic quoque ritus ad myſterium transfertur Matth. XXV. 6. ubi *media nocte clamor exoritur: ecce Sponſus venit!* Sane *veſpere lux orietur* Zach. XIV. 7. i. in veſpere mundi, *tum* quia tenebræ univerſalis corruptionis præcedent, *tum* quia ultima periodus inchoabitur, ultimum ſigillum aperietur. V. Sponſus utplurimum ſponſæ obviam procedebat. *Claudianus* in Nupt. Hon. & Mar.

ſ) *quia obviam procedet Eccleſiæ Sponſus.*

Ante fores jam pompa ſonat, pilentaque ſacram
Præradiant ductura nurum. Calet obvius ire
Jam Princeps, tardumque cupit diſcedere Solem.

Exemplum habemus in hiſtoria Haſmoniaca, 1. Maccab. IX. 39. Καὶ ἦραν τὰς ὀφθαλμὰς αὐτῶν, καὶ ἴδον, καὶ ἰδὰ θρῦς, καὶ ἀποσκευὴ πολλὴ, καὶ ὁ νυμφίος ἐξῆλθε, καὶ οἱ φίλοι αὐτῦ εἰς συνάντησιν αὐτῶν μετὰ τυμπάνων, καὶ μουσικῶν καὶ ὅπλων πολλῶν. i. *Et ſuſtulerunt oculos ſuos & viderunt, & ecce tumultus & apparatus multus & ſponſus proceſſit & amici ejus & fratres ejus, obviam illis cum tympanis & muſicis & armis multis.* Alluditur ad hunc ritum Pſ. XIX. 6. ubi Sol oriens (typus orientis Solis juſtitiæ) comparatur *Sponſo* יצא מחפתו i. *prodeunti ex cubiculo ſuo*, obviam ſcilicet Sponſæ, ut eam domum ducat. Simile quid in loco citato Matth. XXV. 6. innùitur. Et hic conferri poſſunt illa loca, quæ *adventum* ſingularem & glorioſum Chriſti ad Eccleſiam ultimorum temporum deſcribunt. Cant. VIII. 14. Jeſ. LXII. 11. LXVI. 5. Apoc. XXII. 12. 17. 20. Quamvis enim in his locis aliquid ſit, quod ſimul extremum ad-

adventum ad judicium includit, ſemper tamen adventus aliquis ſpiritualis ſimul indigitatur, qui præcedet. Poteſt etiam in tribus aliis partibus comparatio porro inſtitui VI. in comitatu: VII. in lætitia: VIII. in ſequelis hujus domiductionis, cum ipſo introitu conjunctis, quæ ſunt, arctior communio cum Sponſo & perpetua cum eo cohabitatio. Sed has partes ipſe Spiritus ſanctus in noſtræ prophetiæ reliquis phraſibus nobis propius contemplandas dat.

Comitatum Sponſæ in domiductione potiſſimum virgines conſtituebant.

XIII. De comitatu ita legimus: בתולות אחריה רעותיה מובאות לך: i. *Virgines, amicæ ejus, poſt eam, ad te adducendæ.* Alludi hic in genere ad morem antiquum, quo Sponſæ cum comitatu multo propinquorum & amicorum ſuorum, præcipue vero *Virginum* in thalamum Sponſi deducebantur, facile perſpicitur. *Theocritus* Idyll. XVIII.

Παρθενικαὶ θάλλοντα κόμαις ὑάκινθον ἔχουσαι
Πρόσθε νεοζᾴπλῳ θαλάμῳ χορὸν ἐστάσαντο,
Δώδεκα ταὶ πρῶται πόλιος μέγα χεῖμα λακαινᾶν,
Ανικα Τυνδαρέῳ κατελέξατο τὰν ἀγαπητόν.

i. *Virgines virenti hyacintho coronatæ ante recens depictum thalamum chorum inſtituerunt, duodecim primariæ urbis, magnum decus Lacænarum, quando Tyndarei filiam amabilem in thalamo concluſit.* *Pindarus* Pythior. Od. III. v. 28.

Ουκ ἔμεινε ἐλθεῖν τράπεζαν νυμφίαν,
Ουδὲ παμφώνων ἰαχὰν
Υμεναίων, ἅλικες
Οἷα παρθένοι φιλέοισιν ἑταῖραι
Εσπερίαις ὑποκυ--
ρίζεσθ' ἀοιδαῖς. --

i. *Non exſpectavit, dum veniret menſa ſponſalis, neque omniſonorum clamor hymenæorum, coætaneæ uti virgines ſolent ſociæ veſpertinis juveniliter ludere cantibus.* *Auſonius* deſcribens pompam nuptialem:

Et juvenes quatuor, totidem innuptæque puellæ,
Omnibus in morem tonſa eſt coma -

Apollonius Rhodius Argonaut. lib. IV. v. 1196.

Νύμφαι δ' ἄμμιγα πᾶσαι, ὅτε μνήσαιντο γάμοιο
Ἱμερόεν δ' ὑμέναιον ἀνήπυεν. --

i. *At omnes cum illis Nymphæ, ut nefas habuerunt, abeſſe die nuptiali, invitabilem occinebant hymenæum. Heſiodus* Scuto Herculis v. 276.

- Ταὶ δ' ἀγλαΐῃ πεθαλυῖαι
Πρόσθ' ἔκιον. τοῖσιν δ' χορολ παίζοντες ἕποντο

Matth. XXV. 1. ſq. illuſtratur.

i. *mulieres autem venuſtate florentes præibant, quas chori ludentes ſequebantur.* Huc pertinent *virgines*, de quibus in parabola Matth. XXV. agitur. Nam eas non debere conſiderari ut Sponſam ipſam, ſed ut comitatum Sponſæ, manifeſtum ex lampadibus, quas ferunt omnes: quod nunquam a ſponſa, ſed interdum a *virginibus* comitantibus factum eſſe conſtat. Apud Græcos antiquiores a matribus, apud Romanos a pueris patrimis & matrimis officium hoc plerumque præſtitum fateor. Nolim tamen excluſas penitus *virgines*. Hinc *virginearum tædarum* meminit *Silius Italicus* lib. III.

Virgines præferebant interdum faces.

Virgineis juvenem tædis, primoque hymenæo
Imbuerat conjux - -

Nec dubito huc reſpicere *Statium* in Epithalam. Stellæ & Violantillæ, quando Muſas δᾳδόχους facit:

- *Procul ecce canoro*
Demigrant Helicone Deæ, quatiuntque novena
Lampade ſolemnem thalamis coeuntibus ignem.

Apud *Heſiodum* in ſcuto Herculis duas ancillas lumen præferentes in deductione Sponſæ aſſerit *Roa* Singul. lib. II. 21. Sed falli-

fallitur memoria. Δμώων enim seu *famulorum* tantum Poeta inibi meminit.

XIV. Quod nostras in Psalmo VIRGINES attinet, pleraque Interpretum caterva easdem censet cum *Filiabus Regum*, de quibus vs. 10. actum est. Nec incommode, cum *virgines* fidelium in genere symbolum gerere possint, & membra Ecclesiæ singula amicitiæ interioris vinculo cum toto Ecclesiæ corpore cohæreant. Fateor tamen, magis me eo propendere, ut has *virgines* pro Doctoribus Ecclesiæ habeam, *tum* quia ita sensus redditur augustior: *tum* quia Cant. VI. 7. *puellæ* quædam a *Reginis* distinguuntur, quas Reginas cum Filiabus Regum easdem esse probabile feci Exercit. VIII. §. 5. *tum* denique quia in plerisque locis, ubi *virginum* distincte mentio fit, potissimum ad Doctores Ecclesiæ respicitur. Certum id est in Ps. LXVIII. 26. & Proverb. IX. 3. Accedit analogia satis accurata. Doctores Ecclesiæ fidi similes sunt *virginibus* 1) ob puritatem & castitatem, quae in doctrina & moribus ostendi debet: 2) ob imbecillitatem: 3) ob suavitatem sermonis, quo animis illabuntur. Præcipue autem similitudinem habent cum talibus *puellis*, quæ pompam deductæ sponsæ augent: 1) quia in decinendis epithalamiis spiritualibus, seu in pangendis laudibus Christi & Ecclesiæ aliis præeunt. 2) quia donorum præ reliquis Ecclesiæ membris excellentia facem præferunt, qua tenebræ errorum & vitiorum, præcipue in vespere mundi, discutiuntur. Tantum abest, ut *Juriæi* Accompliss. des Prophet lib. I. c. 13. judicio hic aliquid deferam, qui versum hunc integrum propterea putat ad Salomonem literaliter tantum referri debere, quia non posset commode monstrari, quid per *virgines* separatim a Sponsa consideratas sit intelligendum. Quasi vero tantum interfuisset vel Spiritus sancti vel Ecclesiae, cui Psalmus decinendus tradebatur, ut vestes superbae superbusque comitatus sponsae Salomonææ perpetua memoria conservaretur. Non sane, fastus mundi tanti apud Deum non est. Nec cum sapientia Spiritus sancti congrueret, ut patheti-

Virgines aptissime adumbrant Doctores Ecclesiæ.

Juriæus natatur.

thetica πολλῆς φαντασίας deſcriptione ad ejus imitationem animos hominum per ſe ſatis in has vanitates pronos ſub ipſo cultu Dei magis accenderet. Neceſſum habeo, ſtricturas tales ſubinde immiſcere, ut iterum iterumque anguſtiæ pateſcant, in quas illi ſæpe rediguntur, qui ſenſum mere propheticum & myſticum in his ſimilibusque odis concoquere nequeunt.

Doctores ſunt amicæ Sponſæ ob amoris vinculum:

XV. Singularis *virginibus* noſtris honor datur, quando AMICAE SPONSAE appellantur. Alluditur ad puellas coaetaneas, quales erant *amicæ filiæ Jephtæ* Judic. XI. 37. 38. Hae non tantum familiariter virgine utebantur, ſed etiam ſaepe ad curam, educationem, cuſtodiam ejus adhibebantur, de quibus aliqua notavit *Pfeiferus* de cura virg. diſſ. II. Egregie hoc quadrat in Miniſtros Eccleſiae ſinceros. Illi enim tenerrimi amoris glutine in unitate Spiritus cum Eccleſia Dei conjuncti ſunt, & exemplum amoris Chriſti erga eam exprimere tentant Act. XX. 28. 2. Cor. V. 14. Sicut ſunt *amici Sponſi*, Joh. III. 29. XV. 15. ita & *amicæ Sponſæ* nominari poſſunt, cujus commodis ſe ſuaque omnia, quin vitam & ſanguinem ipſum ſacrificare non detrectant. 2. Cor. IV. 15. 16. Gal. IV. 19. 20. Phil. II. 17. Col. I. 24. Porro proſpiciunt, quantum in ſe eſt, ut honor Eccleſiæ puritasque doctrinæ & vitæ illibata conſerventur. Pſ. CXXII. 8.

& quidem ſequentes, ob humilitatis ſtudium.

XVI. Poſſident autem hanc prærogativam in humilitate cordis ſui. Sunt אחריה i. POST EAM, in ejus miniſterio. Omnem faſtum & dominandi cupidinem exuerunt 1. Petr. V. 3. Pro ſervis fidelium ſe agnoſcunt 1. Cor. III. 3. 2. Cor. IV. 5. Præcipue in N. T. ubi omnis cathedra docens conſcientiasque cogens exſpiravit. Nec aliter, niſi in quantum ſunt membra & pars Eccleſiæ ipſi ſalvantur, a cujus felicitate participant.

Per earum adductionem deſignatur gloria, quæ Doctores fidos manet.

XVII. Hinc additur מובאות לך i. AD TE ADDUCENDÆ. Licet Miniſtri Eccleſiæ duxerint alios in ſinum Eccleſiæ, qui per eorum miniſterium credentes evaſere, ipſi ta-

tamen cum Eccleſia & poſt eam ducuntur. Ita ex paſtoribus fiunt oves & ductores ipſi ducuntur. In infirmitate ſingulis membris pares ſunt, ducique ab eodem Spiritu cum iis neceſſe habent. 2. Cor. III. 5. Beati autem, quod cum Sponſa *ad Regem* adducuntur, non tantum ut ab eo judicentur, ſed etiam ut arcta cum eo communione fruantur, & gratioſam mercedem accipiant, quæ largiſſima Miniſtris fidelibus in adventu Chriſti promittitur. 1. Petr. V. 4. Nec prætereundum hic, quod in futuro Regno Eccleſiæ glorioſo in terris erigendo ſingulares prærogativas Miniſtrorum fidelium fore Scriptura indicaverit. Quando cœleſti *Salomoni mille argentei* ferentur, *ducenti* quoque *cuſtodientibus fructum vineæ* aſſignabuntur Cant. VIII. 12. Tum *boves & pulli colentes terram farraginem maceratam comedent, ventilatam vanno & ventilabro* Jeſ. XXX. 24. Hinc *beati* prædicantur, *qui* in illis temporibus *ſeminabunt ſuper omni aqua, qui propellent pedem bovis & aſini* Jeſ. XXXII. 20. *Juravit Jehova per dexteram ſuam & per brachium roboris ſui: ſi dabo frumentum tuum cibum inimicis tuis, & ſi bibent peregrini muſtum tuum, in quo laboraveris. Nam qui collegerint illud, comedent illud & celebrabunt Jehovam, & qui coegerint illud, bibent illud in atriis ſancti mei.* Jeſ. LXII. 8. 9. Huc pertinent promiſſa, quæ Sacerdotibus Levitis, filiis Zadoc fiunt Ezech. XLIV. 15-31. Quibus Prophetiis maxime parallelum exiſtumo illud, quod Dan. XII. 3. legitur: *Et prudentes clari erunt ſecundum claritatem expanſi, & qui multos juſtos fecerint, ut ſtellæ, in ſeculum & perpetuitatem*, nempe in reſurrectione illa myſtica & priori, quæ vſ. 2. deſcripta. Confirmavit hanc ſpem Salvator noſter, diverſis parabolis Matth. XXV. & Luc. XIX. deſcribens mercedem egregiam, ſervis fidelibus in adventu Domini diſtribuendam. Tantum abeſt, quod maleferiati & inquieti homines in his diebus urgent, ut miniſterium Evangelii abolendum ſit, ut potius iſtud in plena luce collocandum exſpectemus. Faxit autem Jehova, ut tantæ felicitatis exſpectatio omnibus, qui in vinea Je-

net cum Eccleſia hæreditanda,

præcipue in glorioſo regno quod exſpectamus.

Landesbibliothek Oldenburg

hovæ laborant, ſtimulos ſubdat, ad opus Domini cum omni virium intenſione urgendum.

In ſequentibus ad varia genera lætitiarum in domuductione obvia alluditur:

XVIII. Poſtquam Vates hanc beatitudinem Doctorum quaſi per tranſennam indicaverat, pergit ad deſcribendam porro eam, quæ ad univerſos ſpectat. תובלנה בשמחות וגיל i. DEDUCENTUR CUM LÆTITIIS ET EXSULTATIONE. *Lætitia* hic promittitur omnibus & ſingulis, qui ad pompam hanc nuptialem pertinent: & quidem *lætitia ſumma & multivaria*, quod pluralis numerus innuit: quin non tantum interna animi, ſed etiam externis geſtibus corporis & *exultatione* manifeſtanda. Ita enim duas has voces aptiſſime diſtingui poſſe notum eſt. Facile autem perſpicitur, hic iterum ad ritus in domuductione ſponſarum conſuetos alludi. Nihil illis occaſionibus magis convenit, quam *lætitia*. Huc pertinet formula benedictionis, ſecundum Judæos ſuper ſponſum & ſponſam pronuntianda, memorante *Buxtorfio* Synag. Jud. c. 39: *Benedictus ſit Deus &c. qui creavit gaudium & lætitiam, ſponſum & ſponſam, exſultationem, cantionem, gaudium, amorem, fraternitatem, pacem & amicitiam. Cito, o Domine noſter, audiatur in urbibus Jehuda, & in plateis Hieroſolymæ vox gaudii, vox lætitiæ, vox ſponſi & ſponſæ, vox hinnientium ſponſorum e thalamo ſuo & puerorum e convivio ſuo, muſicis modulis inſtructo.* ב'אי משמח חתן עם כלה *Benedictus ſit Deus exhilarans ſponſum cum ſponſa.* Nil vulgatius apud alios quoque authores. Sic *Seneca* in Octavia Act. IV. Sc. 1.

Sublimis inter civium læta agmina
Inceſſit habitu, atque ore lætitiam gerens
Princeps ſuperbo —

Hinc læti fauſtique dies electi. *Ovidius* lib. 2 Faſtor.

Exſpectet puros pinea tæda dies.

præcipue ad exſultatio-

Et confer *Roſinum* Antiq. Rom. lib. V. c. 37. Tædarum quoque

que prælatione, hymnis, jocis lætitia promota, præcipue vero *exsultationibus* & choreis. Homerus Iliad. XVIII. vs. 409. seq. *nes & choreas.*

— Εν ἧ μεν ῥα γάμοι τ' ἔσαν εἰλαπίναιτε.
Νύμφας δ' ἐκ θαλάμων δαΐδων ὑπολαμπομενάων
Ηγίνεον ἀνὰ ἄστυ, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.
Κοῦροι δ' ὀρχηστῆρες ἐδίνεον, ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
Αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον.

i. *In civitate nuptiæque erant, conviviaque solemnia. Sponsas autem ex thalamis, tædis sublucentibus, ducebant per urbem: multusque hymenæus excitatus erat. Juvenes vero saltatores in orbem agebant se, interque hos tibiæ, citharæque sonum edebant, sed matronæ stantes admirabantur in vestibulis singula.* Pariter *Musæus* in Erotopægnio Herus & Leandri v. 275. seq. furtivas nuptias Herus & Leandri taxans:

Ην γάμος ἀλλ' ἀχόρευτος. Ειν λέχος, ἀλλ' ἄτερ ὕμνων
Ου ζυγίην ἱερὴν τις ἐπευφήμησεν ἀοιδός.
Ου δᾴδων ἧψεν σέλας θαλαμηπόλον ἐυνὴν,
Ουδε πολυσκάφθμῳ τις ἐπεσκίρτησε χορείῃ,
Ουχ ὑμέναιον ἄεισε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.

i. *Erant nuptiæ, sed sine choreis: erat lectus, sed sine hymnis. Non conjugium sacrum quisquam laudavit Poeta. Non tædarum illuminabat lux cubicularium lectum; neque peragili quisquam insiluit chorea. Non hymenæum cantavit pater & veneranda mater.* Addo *Euripidem* in Alcestis Actu IV.

Τότε μὲν πεύκαις σὺν πηλιάσιν,
Σὺν θ' ὑμεναίοις ἔστειχον ἔσω,
Φιλίας ἁλόχου χέρα βαστάζων
Πολυάχητος δ' ἕπετο κῶμος. i.

Nam tum cum tædis ex monte Pelio cumque hymenæis intrabam, charæ uxoris manum tenens: perstrepensque carmine chorus sequebatur. Idem Iphigenia in Aulide Act. IV.

Παρὰ ϑ̓ λευκοφαῆ
Ψάμαθον εἱλισσόμεναι
Κύκλια πεντήκοντα κόραι
Νηρῆϊ, γάμους ἐχόρευσαν.

i. *Deinde juxta candidam arenam ſaltantes in numerum quinquaginta puellæ Nerei, nuptias concelebrarunt.* Ab hoc more anſam habuit *Martianus Capella* de nupt. Philol. & Mercur. lib. II. fingendi: *Quæ quidem virgines poſtquam lumina replevere, Muſis admixtæ etiam geſticulationes conſonas & hymeneia dedere tripudia. Sed ecce magno tympani crepitu, crotalorumque tinnitu univerſa diſſultant, eousque ut Muſarum cantus aliquando bombis tympani obſcurior redderetur: & cum ſonitu introfertur lectica interſtincta ſideribus, cui ritu myſtico crepitus præcinebant, qua mos fuerat nubentes Deas in cœleſtis thalami venire conſortia.* A gentilibus ritus ille *ſaltationum* nuptialium nimis eheu cito in nuptias Chriſtianorum influxit. Hinc anſa nata *Concilii Laodicent* Canoni LIII. Ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς εἰς γάμους ἀπερχομένους βαλλίζειν ἢ ἐρχεῖσθαι, ἀλλὰ σεμνῶς δειπνεῖν, ἢ ἀρίστᾶν, ὡς πρέπει χριστιανοῖς i. ex verſione *Iſidori Mercatoris*: *Non oportet Chriſtianos ad nuptias euntes vel ballare vel ſaltare, ſed caſte cœnare vel prandere, ſicut competit Chriſtianis.* In *Synodo Ilerdenſi* A. C. 524. hic canon transſumtus eſt, in cujus fragmentis ita legitur: *Quod non oportet Chriſtianos euntes ad nuptias plaudere vel ſaltare, ſed venerabiliter cœnare vel prandere, ſicut Chriſtianos decet.* Eadem mens fuit venerandorum Patrum in *Concilio Agatheuſi*, cujus Can. XXVIII. Clericis injungit: *Aliarum nuptiarum evitent convivia. Nec his cœtibus miſceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia aut obſcœni motus corporum choreis & ſaltationibus efferuntur, ne auditus & obtuitus ſacris myſteriis deputati, turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur.* Et paſſim in ſcriptis antiquæ Eccleſiæ Doctores, quantopere id generis ſaltationes abhorrerent, teſtatum dederunt. Conſuli poſſunt *Ambroſius* de Virginibus lib. III. *Baſilius* ad Eſ. XIV. & in orat. de ebrietate. *Auguſtinus* contra

Mos ille tranſiit ad nuptias Chriſtianorum, obnitentibus frustra conciliis,

& increpantibus piis Patribus.

tra Petilian. cap. VI. &c. Omnium loco audiatur *Chrysostomus*, qui in Genes. XXIV. Homil. 48. ad nuptias Isaaci cum Rebecca hæc notat: *Hic considera, quomodo nusquam superflua illa & inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala & tibiæ & choreæ & Satanica illa convivia & scommata omni obscœnitate plena, sed omnis honestas, omnis modestia.* Idem in Gen. XXIX. Homil. 56. ubi de nuptiis Jacobi agit: *Vidistis, cum quanta olim honestate nuptias egerint. Audite, qui Satanicas pompas admiramini, & statim ab initio nuptiarum honestatem dedecore afficitis. Num tunc choreæ diabolicæ? Quare enim statim ab initio damnum inducis in domum tuam, & eos qui in scenis & orchestris operam locant, vocas, ut cum intempestivo sumtu virginis lædas continentiam & juvenem impudentiorem facias.* Et gravissime in epist. ad Colossenses Homil. 12: *Num theatrum est matrimonium? Est mysterium & rei magnæ typus: & si ipsum non reverearis, reverere id cujus est typus. Mysterium, inquit, hoc est magnum: ego autem dico de Christo & Ecclesia. Ecclesiæ est typus & meretrices introducis? Si ergo, inquis, neque virgines saltant, neque quæ nupserunt, quis saltabit? Nullus. Saltationis enim quænam est necessitas? In mysteriis Græcorum sunt saltationes. In nostris autem silentium, honesta gravitas, pudor & modestia. Magnum peragitur mysterium: foras meretrices, foras prophani. Quomodo est mysterium? Conveniunt, & duo faciunt unum. Cur quando ingreditur quidam, non est saltatio, non sunt cymbala, sed multum silentium, multa quies: quando autem conveniunt, non inanimatam imaginem, non alicujus ex iis, quæ sunt in terra, sed ipsius Dei facientes similitudinem: tantum introducis tumultum, & eos qui sunt perturbas, & dedecore animam afficis & conturbas?* Non piget hæc loca adscripsisse, quamvis magnam partem ab aliis *Voetio*, Disp. P. IV. p. 325. seq. *Suicero* in Οφχηστις *Rittershusio* Sacr. Lib. IV. c. 12. &c. *Riveto* in Exod. XV. p. 966. 967. & in Decalog. p. 1407. seq. jam citata: tum ut pateret, quam frequentes saltationes nuptiales olim fuerint, tum quomodo iterum cespitare hic necesse

Notantur iterum, quibus in nostro Psalmo sensus literalis arridet.

ſit illos, qui literalem ſenſum urgent. Eos enim ſi ſequaris, exultationes ejus furfuris non modo licitas eſſe, ſed etiam a Spiritu ſancto in laudi poni fatearis, neceſſum erit, quod tamen cordatiores Theologi, præſertim in Reformata Eccleſia averſabuntur, qui data opera has vanitates ut gravitate Chriſtiana indigniſſimas deteſtantur. Inter quos præcipue laudem merentur Theologi Galli, qui univerſæ olim Eccleſiæ Gallicanæ nomine tractatum egregium Navarræo Regi obtulerunt, ſub titulo: *Traité des danſes, auquel eſt amplement reſolue la queſtion, aſçavoir, s'il eſt permis aux Chreſtiens de danſer:* in quo ſolide & docte demonſtrarunt, quanto jure ab omnibus Chriſtianis Eccleſiis ſpurcæ & ridiculæ hæ vanitates exulare debeant. Quod tamen non impedit, quo minus ab illis emblema Spiritus Sanctus mutuari potuerit, ad lætitiam veram & ſolidam adumbrandam. Uſu hoc ſæpe venit, ut res peccaminoſæ & impuræ per ſe rerum ſanctiſſimarum emblema ſint. Noachi ebrietas, Patriarcharum polygamia, Jacobi ſupplantatio, Simſonis & Salomonis amores theſin hanc ſenſui carnis valde mirabilem abunde confirmant. Placuit ita divinæ ſapientiæ, hoc quoque pacto e tenebris lucem producere, eoque fortius a voluptatibus peccaminoſis, quæ ad ſummum nil niſi umbram habent, ad veras, eſſentiales & permanentes animos ſuorum evehere. Unde recte *Hieronymus* in Ep. ad Ruff. *Gregorius* 3. Moral in Job. 21. aliique obſervarunt, hanc regulam in ſacris locum habere, quod homines mali in re etiam non bona ſanctiſſimarum rerum, atque adeo ipſius Dei typi eſſe poſſint. Et *Auguſtinus* Tom. VI. lib. 22. contra Fauſt. c. 83. ita ſcribit: *Nequaquam offendat, quod de quibusdam malis operibus hominum in Scripturis ſanctis quædam non mala ſed bona futura ſignificabantur; ſervat enim ubique divina providentia virtutem bonitatis ſuæ, ut quemadmodum ex adulterorum concubitu formatur & naſcitur homo, de hominum opere malo bonum opus Dei, de fœcunditate ſeminum, non de turpitudine vitiorum; ita in Scripturis Propheticis non tantum bona hominum, ſed etiam male*

Typi & emblemata ſæpe a peccatis deſumuntur, quamvis ſanctas actiones deſignent.

male facta narrantibus, quoniam prophetica est ipsa narratio, significetur aliquid de malis operibus hominum, etiam futurorum bonorum, non peccantis opere, sed scribentis. Idquenon minus Deo decens est, quam quod frequenter impurorum quoque & efferatorum animalium, leonis, lupi, vulturis & similium effigies adhibet, ut sub iis sanctissimas sæpe virtutes non tantum fidelium, sed etiam sui ipsius adumbret. Sed dabitur de hac re, si Deus volet, alias amplior dicendi locus. Nobis nunc in id incumbendum, ut quid mysterii hic lateat, attendamus.

Lætitiæ affectus describitur.

XIX. *Lætitia* Sponsae & comitatus ejus est mere spiritualis. In genere hic affectus oritur sive ex possessione praesentis sive ex spe futuri boni, cujus consideratio jucundam illam impressionem in animum nostrum facit, quæ *lætitia* eum imbuit. Unde pro vario conceptu boni, quod vel possidemus vel speramus, *lætitia* major aut minor, solida aut umbratilis & fallax est. Si enim concipimus, bonum istud esse ingens, tum impressio altior acriorem excitat laetitiam. Contrarium vero persentiscitur, quando exiguum de bono, quod objicitur, conceptum habemus. Porro si bonum istud est vere tale, ad perfectionem nostram pertinens, tunc solida inde laetitia gignitur. Contra se habet, ubi falsa specie imaginationi nostræ illudit.

In peccatore perversus est.

Jam vero conceptus noster per peccatum corruptus est. De vero bono incurius apparentibus bonis se delectat. Hinc omnis *lætitia* peccatoris vana & impura redditur Job. XX. 5. XXI. 12. 13. Quin cum vesania est commixta, quia laetatur, dum maximis malis est implicitus, & irae Dei aeternaeque maledictioni obnoxius. Eccl. II. 2. 3.

Vera lætitia est fructus Spiritus, solis fidelibus competens.

Aliam ergo *lætitiam* Spiritus Sanctus efficit in regenitis, cujus opera hic affectus producitur. Ps. LI. 14. Gal. V. 22. 1. Thess. I. 6. Unde describitur, ut proprietas *justorum & piorum* Ps. XXXII. 11. XXXIII. 1. *populi Dei* Ps. CVI. 5. *filiorum Zion* Joel. II. 23. Ps. CXLIX. 2. qui *nomen Dei amant* Ps. CV. 12. qui *eum quærunt* Ps. XL. 17. Et est opus vere divinum: in quo boni-

Landesbibliothek Oldenburg

bonitatem & omniſufficientiam ſuam Jehova clariſſime manifeſtat. Pſ.IV.7.8. XLIII.4. Pſ.LXXXVI.4. Eccleſ. II.27. Hæc lætitia ſub nomine *lætitiarum* proponitur, tum quia tam excellens eſt, ut omne carnale & mundanum gaudium longe poſt ſe relinquat: tum quia varia objecta habet, per quæ identidem excitatur & renovatur. Quamvis enim verum bonum ſit unicum, pro variis tamen conſiderandi modis, variisque, quibus ad ejus poſſeſſionem proceditur, mediis & gradibus, varios lætitiae motus in animo efficit. Vis aliquem *lætitiarum* populi Dei catalogum?

Varia objecta veræ lætitiæ recenſentur, quæ ſunt tum bonum ipſum,

I. *Lætantur* in *bono* ipſo, vero & ſummo: unde toties *lætitia in Deo* laudatur Pſ. XXXII. 11. XXXIII. 1, 21. XL. 17. LXIV. 11. LXX. 5. CIV. 34. Jeſ. LXI. 10. Habac. III. 18. Phil. III. 1. Et hæc *lætitia* tum per fidem in praeſentem favoris divini ſenſum, tum per ſpem in futuram Dei communionem directa eſt.

per fidem præſens,

A. *Lætantur* per *fidem* 1) quoties contemplatione ſua in virtutes Dei ſui ſunt defixi, quod eſt *lætari in nomine ejus* Pſ. LXXXIX. 17. 2) quoties gloriam Dei ſui in operibus ejus intuentur Pſ. XCII. 5. CV. 3. idque non tantum in operibus potentiæ & gratiæ, ſed etiam juſtitiae. Pſ. LVIII. 11. 3) quoties remiſſionis peccatorum per teſtimonium Spiritus certiores fiunt Pſ. LI. 10. LXXXV. 7. 4) quoties amoris & favoris divini ſenſu implentur, & lumine faciei ejus illuſtrantur Pſ. IV. 7. 8. quod fit ſaepe ſub ipſis afflictionibus Pſ. XCIV. 19. praecipue autem, quando auxilio Dei ab iis liberantur Pſ XIII. 6. XXX. 12. Pſ. XC. 14. 5) quoties fidelitatem Dei erga totam Eccleſiam, cujus membra ſunt, experiuntur. Exod. XVIII. 19. Pſ. XIV. 7. CXXXVII. 6. Prov. XI. 10. XXIX. 2. 6) quoties opus gratiae in aliis juxta ſe incrementa facere, fructibusq; ſpiritualibus eos abundare & gaudere vident. Pſ. CXIX. 74. Rom. XII. 15. 2. Cor. VII. 13. Philem. verſ. 7.

B. *Læ-*

B. *Lætantur* per *ſpem*, quando promiſſa longe arctioris cum ſummo bono communionis in futurum amplectuntur Prov. X, 28. Sic Abraham *in deſiderio exultabat* Joh. VIII,56. *& ſpe gaudendum eſt* Rom. XII, 12. Sic lætitia piis *ſeritur* Pſ. XCVII, 11. ubi poſt ſementem ampliſſimam meſſem exſpectant. Hæc ſpes facit, ut in ipſis afflictionibus gaudere poſſint Matth V, 12. Jac. I, 2. *per ſpem futurum:*

II. *Lætantur* etiam in omnibus *mediis*, per quæ communio cum ſummo bono efficitur, conſervatur, augetur, adeoque *tum media, per quæ bonum communicatur.*

A. In creaturis, quarum uſus ipſis conceſſus eſt, ut per eas ad Creatorem evehantur Deut. XXVI, 11. Eccles. II, 26. V, 20. Act. XIV, 17.

B. In verbo Dei Pſ. XIX, 9. CXIX, 14. 162 Jer. XVI, 16.

C. In fructibus illis Spiritus, quos in ſe deprehendunt, & ex quibus de ſua cum Deo communione certiores fiunt. Sic gaudent, quoties ſibi conſcii ſunt ſinceritatis 2. Chr. XV, 15. promtitudinis 1. Chron. XXIX, 9. 2. Chron. XXIX, 36. conſtantiæ in confeſſione nominis divini Act. V, 41. 2. Corinth. VII, 4. Hebr. X, 34. *Philo* de Cherub. pag. 126. χαίρει ἐπ' οὐδενὶ μᾶλλον ἡ κεκαθαμμένη διάνοια, ἢ τῷ δεσπότην ἔχειν τὸν ἡγεμόνα πάντων ὁμολογεῖ. τὸ δὲ δουλεύειν θεῷ μέγιστον αὔχημα i. *Nihil purificatam mentem majore afficit lætitia, quam quod Dominum habet, quem agnoſcit Regem rerum omnium. Nam ſervire Deo maxima eſt gloriatio.*

D. In cultu Dei tum interno tum externo Pſ. II, 11. CI, 2. Quo pertinet gaudium 1) in celebratione virtutum divinarum Pſ. LXIII, 6. 2) in publicis cœtibus ad honorem Dei inſtitutis Deut. XVI, 11. Neh. XII, 43, Pſ. CXXII, 2. 3. 3) in prædicatione Evangelii Joh. V, 35. Phil. I, 18. 4) in Sacramentorum uſu Act. II, 46. 47.

Vah quanti & quam innumeri ſunt *lætitiarum* rivi, quibus usque & usque irrigantur, qui Domino nomen dederunt!

Landesbibliothek Oldenburg

Lætitiæ ſpiritualis plenior gradus in N.T. obtinet.

XX. Sed præoccupavi dicere, diverſas etiam has *lætitias* ſecundum diverſos ſuos *gradus* eſſe. Ita ſe habet. *Lætitia ſpiritualis* eſt proprium bonum temporum N.T. Hæc eſt illa *dies*, in *qua lætandum* Pſ. CXVIII, 24. Ubi *Regnum Dei eſt lætitia in Spiritu Sancto* Rom. XIV, 17. Ubi in comparatione cum elapſis ſeculis gaudium populi Dei evaſit *plenum* Joh. XVI, 24. 1. Joh. I, 4. *& perpetuum* Phil. IV, 4. 1. Theſſ. V, 16. *ineffabile & glorioſum* 1. Petr. I, 8. Plena ſunt *gaudii* hujus indulgendi fidelibus in temporibus Meſſiæ Prophetarum volumina Pſal. XXXIII, 1. 22. XL, 17. Jes. LI, 3. 10. LII, 9. 10. LXI, 1. 2. 3. &c. Frequentes huc colluſerunt typi in umbratili lætitia Levitici cultus, ubi lætitia præcepta eſt ferentibus *Euchariſtica*, *primitias*, *decimas* in Templum, & de iis in atriis Templi edentibus. Sic enim injunxerat Legislator: *Et comedetis ibi coram Jehova, Deo veſtro, & lætabimini ſuper omni eo, ad quod miſeritis manum veſtram* Deut. XII. 7. XIV, 26. Ipſi Judæi id agnoſcunt. Bereſchit Rabba *R. Moſis Haddarſchan*, ad illud Gen. XLIV, 18. *Et appropinquavit ad illum Juda*, ita habet:

Lætitia dierum Meſſiæ ſecundum Judæos.

הדר
נגילה ונשמחה בך אימתי אנו שמחים כשיעמדו רגלי השכינה על הר
הזתים שנ' ועמדו רגליו ביום ההוא על הר הזתים אשר על פני ירושלם
מקדם רא נגילה ונשמחה בך אימתי כשיעלו הגליות מגיהנם והשכינה
בראשם שב ויעבור מלכם לפניהם ויהוה בראשם:

i. *Hoc eſt, quod ſcriptum eſt* (Cant. I, 4.) Exultabimus & lætabimur in te. *Quando nos gaudebimus? quando ſtabunt pedes divinitatis in monte olivarum, ſicut dictum eſt* (Zach. XIV, 40.) Et ſtabunt in die illo pedes ejus ſuper montem olivarum, qui eſt coram Jeruſalem ad orientem. *Aliter*: Lætabimur & exultabimus in te. *Quando? quando aſcendent captivi ex inferno, & Deitas in capite eorum, ſicut dictum eſt* (Mich. II, 13.) Et tranſibit Rex eorum ante eos, & Dominus in capite illorum. Ut præteream fabulas, quas de convivio opiparo, choreis aliisque carnalibus Paradiſi deliciis commenti ſunt, quæque a prudentioribus, quos tot putidarum næniarum pudet, ad gaudia

in

in diebus Messiæ indulgenda transferuntur. Prophetæ non tantum de *lætitia* ipsa testati sunt, sed originem etiam ejus indicarunt. Oriunda erat ex adventu Messiæ in carnem Jes. IX,3. Zach. IX,9. ex redemtionis opere consummato Ps. LXIX, 33.34. Jes. XLIV, 23. ex justitiæ æternæ adductione Ps. V, 12.13. Jes. LXI. 10. ex gloria, quam Salvator post passiones nacturus in Regno ab ipso erigendo Ps. XLVII, 2. XCV, 1. XCVII, 1. 8. CXVIII, 15. ex abundanti bonorum N. T. mensura, qualia sunt manifestatio nominis divini Ps. LXXXIX, 17. introductio in penetralia, sive in arctiorem cum cœlesti Ecclesia communionem Cant. I, 4. conversio gentium & pomœriorum Ecclesiæ dilatatio Jes. XLIX, 13. LIV, 1. LV, 12. &c. *Causæ uberioris lætitiæ a Prophetis indicatæ.*

XXI. Cum vero in ultimis temporibus insigne omnigenæ gratiæ Dei incrementum exspectetur, nihil frequentius est Prophetis, quam illa ut omnium lætissima describere. *Videbunt recti & lætabuntur* Ps. CVII, 42. *Pro eo, quod fuisti derelicta & exosa, adeo ut nullus pertransiret, contra disponam tibi excellentiam perpetuam, gaudium cujusque generationis* Jes. LX, 15. *Gaudete & exsultate in sempiternum, quos ego recreo; nam ecce ego recreo Hierosolyma exsultatione & populum ejus gaudio. Et exsultante me de Hierosolymis & gaudente de populo meo, non audietur amplius in ea vox fletus aut vox clamoris.* Jes. LXV, 18.19. *Absterserus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors amplius non exstabit: neque luctus, neque clamor, neque labor exstabit amplius, quia præcedentia abierunt.* Hoc præcipue figurabat festivitas septimi mensis, quæ prorsus singularis erat, & qua præ cœteris ultimus dies festi Tabernaculorum abundabat, in tantum, ut Magistri in *Succah* c. 5. dicant: מי שלא ראה שמחת בית תשואבה לאה ראה שמחה מימיו i. *Qui nunquam vidit hilaritatem haustionis aquæ, nunquam vidit lætitiam omnibus diebus suis.* Festum autem tabernaculorum potissimum ad ultima tempora N. T. respexisse ex Zach. XIV, 16-19. certum est. Sed memorant quoque nobis Prophetæ præcipua tantarum *lætitiarum* fundamenta, ipsas scilicet *nu-* *Tempora ultima describuntur ut lætissima.* *Lætitia festi tabernaculorum.*

ptius agni, & quæcunque ad earum ſolennitatem augendam concurrent Apoc. XIX,17. quo referri poſſunt Victoriæ de hoſtibus reportandæ & præcipue de Antichriſto Deut. XXXII,43. Jes. XXX, 29. Apoc XVIII,20. Regni glorioſi in terris erectio 1. Chron. XVI, 31. ſq. Pſal. XCVI, 11-13. XCVIII, 7.8. CXLIX,2. quacum juncta erit Salutis Domini plena revelatio Jes. XII,3.4. XXV,9. omnigena Eccleſiæ felicitas Jes. LXVI, 10. 11. amplificatio Jes. LX, 5. donorumque ſpiritualium abundantia Jer. XXXI,13 Jes. LXVI,12-14. Singula hæc ut novi *lætitiarum* fontes in adductis locis deſcribuntur,

Conjuncta cum exſultatione,

XXII. Nec fruſtra mentio fit *lætitiarum* cum EXSULTATIONE conjunctarum. Exuberantiſſima lætitia exſultationes, tripudia, choreas cauſſari ſolet, quæ etiam a Sanctis ob ſenſum ampliſſimarum & extraordinariarum a Deo benedictionum aliquando adhibitæ leguntur Exod. XV,20. 2. Sam. VI, 14-16. &c. Sed motus hi fuere extraordinarii, quos qui in exemplum laſcivarum, ut nunc habent, ſaltationum trahere audet, nae ille turpiſſimam & Verbo divino & Sanctis injuriam infert. Judæi etiam in cultu Dei ab exſultationibus corporeis non abhorruere. Quin adhuc dum in fine precum matutinarum *exſilire* ſolent, docente *Buxtorfio* Synag. Jud. c. V. Quod quamvis absque mandato divino fiat, ſimile tamen aliquid apud Chriſtianos, ſi fides *Clementi Alexandrino*, obtinuit, & myſtica ritus hujus ratio non contemnenda additur ſtromatum lib. VII. p. m. 722. ubi de precandi modo: *Τούτῳ καὶ περσαναπτείνομεν τὴν κεφαλὴν, καὶ τὰς χεῖρας εἰς ὕψος αἴρομεν, τὰς τε πόδας ἐπεγειρόμεθα καὶ τὴν τελευταίαν τῆς εὐχῆς συνεκφώνησιν, ἐπακολουθοῦντες τῇ προθυμίᾳ τοῦ πνεύματος εἰς τὴν νοητὴν ὑσίαν. καὶ συναφιστάνειν τῷ λόγῳ τὸ σῶμα τῆς γῆς περιώμενοι, μετάρσιον ποιησάμενοι τὴν ψυχὴν ἐπτερωμένην τῷ πόθῳ τῶν κρειττόνων, ὅπῃ τὰ ἄγια χωρεῖν βιαζόμεθα ἐ δεσμοῦ καταμεγαλοφρονοῦντες τοῦ σαρκικοῦ. ἴσμεν γὰρ ἓν μέλα, τὸν γνωστικὸν τὴν ὑπέρβασιν παυλὸς τοῦ κόσμου, ὥσπερ ἀμέλει τῆς Αἰγύπτου οἱ Ἰουδαῖοι, ἐκκοίως ποιούμενον, ἐνδεικνύμενον ἐναργῶς πάντας μᾶλλον, ὡς ὅτι μάλιστα συνέγγυς ἐστιτο τοῦ Θεοῦ* i. *Ea propter & caput & manus in cœlum extendimus & pedes excitamus in ultima acclamatione orationis, promtitudine & alacritate Spiritus aſſe-*

per quam proſcriptis motibus laſcivis

assequentes essentiam, quæ apprehenditur intelligentia: & una cum verbo corpus a terra abducere conantes, erectam & elevatam animam desiderio meliorum cogimus in Sancta progredi, magno animo carnis vinculum despicientes. Scimus enim optime, eum qui est præditus cognitione, totum mundum lubenter transmittere, ut certe Judæi Ægyptum, ut aperte ostendat, se Deo quam proximum esse futurum. Quicquid sit, lætitia temporibus Messiæ tam in primo quam in secundo ejus adventu promissa in citatis locis frequenter cum exsultationibus conjungitur, quin & *chorearum* mentio fit Luc. XV, 25. non tantum ut *lætitiæ* exuberantissima magnitudo designetur, quæ tanta est, ut vel invitis gestus convenientes exprimat, sed etiam quia gaudium conceptum externis signis manifestandum est, ea fini, ut alii quoque ad istud gustandum alliciantur. Istud firmiter tenendum, lætitiam hanc puram esse, longe omnes carnales delitias post se relinquentem, & immane quantum distantem a bruta illa & Epicurea voluptate, a *Frid. Leenhofio* ante aliquot annos ex orco revocata, qua omnes salutaris quoque tristitiæ vicissitudines in corpore peccati inevitabiles excluduntur, cujus φλυαρίας & φλυναφίας *Honertus*, *Creygtonius* aliique bene multi detexerunt, ne stigma inde aliquod puriori Reformatorum doctrinae inureretur, sollicite caventes. Quibus addi potest ex Lutheranis Cl. *Joh. Frid. Buddei* Meditationum sacrarum Tertia.

major mensura lætitiæ spiritualis indicatur.

XXIII. Tantæ sunt delitiæ, quibus dum in via sunt, Sponsa cum comitibus, inundantur! Quid non exspectandum in exitu? Additur ejus quoque descriptio in his verbis: תבאינה בהיכל מלך i. INTROIBUNT IN PALATIUM REGIS. De *palatiis eburneis* Regis nostri cœlestis Exerc. VII. §. 18. sq. actum est. Hic quædam addenda, quia propius ad illud *palatium* alluditur, quod Deus olim visibiliter sibi exstrui voluit. Certum est, quod Viri summi jam notarunt, היכל τὸ potissimum de illa parte templi, quæ sanctum dicebatur, usurpari. Non tamen perpetuum id est. Multa sunt loca, in quibus sub

Per היכל non tantum sanctum sed & totum templum solet intelligi.

ea voce totum Templi ædificium, quod ipſum adytum comprehendebat, intelligitur. Esdr. III. 10. IV, 1. Jes. XLIV, 28. Jerem. VII, 4. Ezech. XLI, 1. 4. Latius adhuc vocis ſignificatum extendit *Maimonides* in Hilk. Beth Habbechira cap. 1. §. 5. ואלו הן הדברים שהן עיקר בבניין הבית עושין בו קדש וקדש הקדשים ויהיה לפני הקדש מקום אחד והוא הנקרא אולם ושלשתן נקריאן היכל: i. *Hæc igitur in ædificio Templi potiſſima ſunt: primo fit ſanctum: deinde Sanctum ſanctorum: ante ſanctum veſtibulum eſſe neceſſe eſt: hæc tria ſimul Templum vocantur.* Neſcio tamen, an unquam atrium includi a ſacris Scriptoribus probari poſſit.

Tabernaculum & templum fuit typus Eccleſiæ.

Palatium illud ſive *Tabernaculi* (nam de eo quoque vox uſurpatur 1. Sam. I, 9.) ſive *Templi* duplicem typum habuit: primo ipſius Chriſti & humanitatis ejus, dein Eccleſiæ, quod utrumque videtur innui per duplicem *ædificationem Templi Domini*, quæ a *Viro Zæmach* promittitur Zach. VI, 12. 13. Priorem ſenſum hic non excludimus, ita tamen, ut ad poſteriorem poriſſimum intendatur oculus. Viderunt hic aliquid per tranſennam quaſi Judæorum Magiſtri. Tabernaculi ſtructuræ myſticum aliquid ſubeſſe haut ægre admittunt. Excerpſerunt varia in hanc rem loca *Voiſin* in Procem. Pugionis Fidei p. m. 166. *Grellotus* præfat. in prodrom. Apoc. p. 14. 15. aliique multi. Unde fas eſt, ut *Templi* quoque δήλωσιν ſpiritualem agnoſcant, ob ſingularem, quæ intercedit inter hæc ædificia, analogiam. Diſerte id fatetur *Maimonides* Tract. Teſchufa c. 8. §. 4. וכמה שמות נקראו לה דרך משל הר יהוה ומקום קדשו ודרך הקדש והצדות יהוה והיכל יהוה ובית יהוה וחכמים קראו לה דרך משל סעודת: i. *Multis quoque nominibus deſignatur id* (ſeculum futurum i. ſtatus Eccleſiæ in temporibus Meſſiæ) *allegorice. Vocatur enim mons Domini, locus ſanctitatis ejus, via ſancta, atria Domini, & PALATIUM Domini, & domus Domini. Sapientes autem vocant illud allegorice convivium.* Et *R. Moſes Alſcheich* ad Hagg. II, 7-9. totum *templum ſecundum* ſpirituale agnoſcit ex hac ratione: כי גם כל עצמו יהיה רוחני שגם הבנוי שהוא שני יתהפך לאחרון רוחני: i. *Quin*

i. *Quin etiam tota illa* (domus secunda) *erit spiritualis: quoniam & tunc ædificata, quæ fuit secunda, mutabitur in tertiam spiritualem.* Unde & in *Zohar* p.34. col. 1. ע"י וקדמאה אתבני דברכש דהאי על ידי דקבה"ה i. *Nam prior* (domus) *exstructa est ab hominibus, posterior autem ab ipso Deo exstruetur.*

XXIV. Ad rem vero nostram propius pertinet, ut observemus, ultimum & glorioſum Ecclesiæ N. T. in terris statum a Prophetis splendidi *Templi palatiique* instar adumbrari. Tum *timendus erit Deus ex sanctuariis suis* Pſ. LXVIII, 36. Tum *ædificabit Sapientia domum suam* Prov. IX, 1. Quod ad finem seculorum transferendum esse, persuadeor, *tum* ex oppositione, quæ inter sapientiam & mulierem Antichristianam instituitur, *tum* ex perpetuo filo fatorum N. T. quod primis novem hujus mystici libri capitibus contineri invenio. Atque ibi implebitur illustrissimus typus *Templi Ezechielis*, quod frustra cum Templo Zorobabelis a Viris doctis confertur, cum nihil ejus simile quoad literam unquam conspectum sit, nec conspici potuerit, uti *Hafenrefferus*, *Coccejus* uterque, *Gousſetus*, *Meierus*, aliique agnovere & probatum dedere. Ego sane inter quatuor ædificia mystica, quorum in V. T. mentio fit, probe distinguendum esse censeo, quæ singula ad singula quoque Ecclesiæ N. T. tempora respexerunt. *Tabernaculum* expressit statum Ecclesiæ per orbem vagæ in primordiis Christianismi. *Templum Salomonis* magis confirmatam in terris rem Christianam sub Constantino Magno & deinceps adumbravit. *Templum Zorobabelis* renascentibus fatis Ecclesiæ per & post Reformationem præluſit. Denique *Templum Ezechielis* perfectum magis opus Domini in fine seculi repræsentavit. Et de hoc postremo statu Ecclesiæ intelligendus quoque est locus Habac. II, 20. *Jehova est in Templo Sanctitatis suæ.* Ubi non prorsus cœcutivit *Abarbanel* ajens: ואפשר שאמר וה' בהיכל קדשו על בית המקדש העתיד להבנות שכאשר תשוב שכינתו בהיכל קדשו הם מפניו כל הארץ וכל האומות ישימו יד לפה:

Ultima tempora antitypum Templi plenissimum & præcipue Templi Ezechielis exhibebunt.

Quatuor ædificia Dei mystica in V. T. probe sunt distinguenda.

i. *For-*

i. *Forte intelligit Propheta hæc verba*: ſed Dominus in Templo Sanctitatis ſuæ, *de Sanctuario poſtremo exſtruendo. Ad quod Templum ſanctitatis ſuæ cum reverſa fuerit glorioſa ejus Majeſtas*, ſile a conſpectu ejus, univerſa terra, *ita ut omnes populi manum imponant ori.*

Non tantum de ſancto ſed etiam de adyto typo cœli hic cogitari poteſt.

Cum autem היכל ita *Sanctum* ſeu exteriorem Templi partem deſignet, ut ſimul ſæpe *adytum* includat, quorum illud militantis hoc triumphantis Eccleſiæ conditionem depinxit, hinc ita nobis digerendæ ſunt cogitationes, ut palmario quidem ultimam populi Dei in terris felicitatem heic mente complectamur, nec tamen cœleſtem Eccleſiæ gloriam ſegregemus. Idque eo majori jure, quia gloria Eccleſiæ in terris poſtrema illuſtriſſimum æternæ Gloriæ ſpeculum erit, inque eam influet, & ea quaſi abſorbebitur.

Difficultas removetur, quomodo eadem Eccleſia ut Sponſa & templum conſiderari ſimul poſſit.

Ne autem quemquam moretur, quod hoc pacto idem ſubjectum, quod *Sponſa* repræſentavit, etiam *Palatium* deſignet. Hoſpes enim ſit in Theologia ſymbolica, neceſſe eſt, qui ignorat, cumulationem diverſorum de eodem ſubjecto ſymbolorum in ſacris paginis frequentiſſimam eſſe. Singularem in eo more ſapientiam Spiritus veneramur, qui cum uno alterove ſymbolo nondum ſatis ſingulas rei deſignatæ proprietates, quas agnoſcere opus erat, exprimi poſſe exiſtimaverit, plura conjunxit, quæ tamen ita ſunt diſtincta, ut ſingula peculiares quasdam qualitates menti objiciant. Sœpe etiam ſymbola in eo ordine, in quo ſibi invicem ſuccedunt, de eadem re uſurpata, inſignes quasdam mutationes, augmenta proſperitatis, & ſimile quid innuunt. Utrumque hic uſu venit. Nam primo alio ſymbolum Sponſæ, alio Templi, Palatiive reſpicit: illud amorem inter Chriſtum & Eccleſiam reciprocum, hoc cultum potiſſimum ſpiritualem indigitat, & fructus ex amore naſcentes. Præterea augmentum felicitatis Eccleſiæ ſingulare oportet ut nobis proponamus, quando poſt picturam *Sponſæ* aliam quoque *Templi* ſeu *Palatii Regii* additam legimus.

XXV.

Landesbibliothek Oldenburg

XXV. Sequamur jam INTROEUNTEM. Designat hic *introitus* ipsam translationem Ecclesiæ in statum felicio- rem, in quo bonis longe uberioribus ditabitur. Distinguere autem possumus *introitum* in Sanctum, & *introitum* in Sanctum Sanctorum. *Introitus Ecclesiæ duplex distinguendus.*

Introitus in Sanctum exprimit restaurationem gloriosam Ecclesiæ in statum illum felicem, quem circa finem seculi exspectat. Quæ restauratio alias quoque cum *introitu* comparatur in novas Hierosolymas Apoc. XXI, 27. XXII, 14. & ad nuptias cum Sponso Matth. XXV, 10. *Quæ paratæ erant, introiverunt cum eo ad nuptias.* Atque in eo aliquatenus Ecclesia ultimorum temporum opposita erit Ecclesiæ primitivæ. Huic enim frequenter exitus adscribitur & præcipitur Cant. I, 8. III, 11. Mal. IV. 2. Et sic *ex palatiis prodeuntem* cum Sponsa Messiam contemplati sumus Exerc. VII. §. 22. In fine vero temporum exspectatur introitus. Fuit tamen & in principio N. T. suus Ecclesiæ introitus, qui memoratur Cant. I, 4. *Cum introduxerit me Rex in conclavia sua, exsultabimus & lætabimur in te: commemorabimus amores tuos, meliores vino.* Sed illustrior erit introitus ultimus, non amplius cum exitu conjunctus. *Introitus in sanctum designat gloriosum Ecclesiæ in terris statum:*

Emblema hoc est aptissimum. I. Sicut *introitus* in palatium est finis viæ, ita cum ultima Ecclesiæ in terris felicitate finietur non tantum tempus, sed etiam molestia hactenus in multis afflictionibus devoranda Jes. XXV, 7. 8. *Abolebit in monte hoc faciem tegminis impositi omnibus populis, & velamen impositum omnibus gentibus. Abolebit mortem etiam atque etiam, & delebit Dominus Deus lachrymam ab omni facie & opprobrium populi sui removebit a tota terra, quia Dominus locutus est.* Confer Apoc. VII, 15-17. XXI, 4. II. Sicut *introitus* Sponsæ in domum Sponsi conjunctam habet arctiorem cum Sponso unionem, quin & matrimonii consummationem, ita etiam promissa est Ecclesiæ ultimæ arctissima cum Deo & Christo communio, in qua gloriam suam Rex cœlestis propius perspiciendum dabit, amore suo per

1) *quia desinent viæ molestiæ:*

2) *quia conjuncta erit arctior cum Sponso cœlesti copula:*

ſuaviſſimas Spiritus ſui operationes fideles animas inebriabit, & reciproce ab iis intenſiſſime amabitur. Hæc eſt illa in amore communio, quam Sponſa anhelat Cant. VIII, 2. cujusque magnitudinem deprædicat v. 6. 7. Tum *Regem in pulchritudine ſua videbunt oculi ejus* Jes. XXXIII, 17. Hinc de Solyma nova Johannes: *Nec templum vidi in ea: Dominus enim, Deus omnipotens, Templum illius eſt & Agnus. Neque civitas iſta eget ſole vel luna, ut luceant in ea: nam Gloria Dei illuſtrat eam & lucerna ejus eſt Agnus* Apoc. XXI, 22. 23. III. Poſt *introitum* ſequitur januæ occluſio & ſeparatio eorum, qui intromiſſi ſunt, ab iis qui extra fores ſunt conſtituti. Hinc illud πάσαι ἐνδοῖ apud *Theocritum* in Syracuſiis Eid. XV. ubi Praxinoë ait:

3) quia ſequitur januæ occluſio:

Καλὰς ἐνδοῖ πάσαι, ὁπὰν νύεν εἶπ' Ἀφροκλάξας.

Quod *Erasmus* ſic vertit:

Optime habet; cunctæ ſunt intus, fertur ut olim
Incluſa ſponſa ſponſus dixiſſe

Ita quoque in fine ſeculi exſpectatur plenior reſtitutio diſciplinæ Eccleſiaſticæ, per quam peccatores excludentur. *Clauſa eſt janua* Matth. XXV, 18. *Non intrabit in eam quicquam, quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium loquitur; ſed qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni* Apoc. XXI, 27. *Beati, qui præſtant ejus præcepta, ut ſit iis jus in arborem vitæ, & per portas ingrediantur in civitatem. Foris autem erunt canes & venefici & ſcortatores & homicidæ & idololatræ & quisquis amat ac committit mendacium* Apoc. XXII. 14. 15. IV. Denique *introitus* poſt ſe trahit ſponſæ jam cum marito conſueſcenti & cohabitanti variorum bonorum ſyrma, quo ſpectant, *quies, ſecuritas, bonorum communio, ſtabilis in domo permanſio.* Hæc omnia Eccleſiæ ultimorum temporum promiſſa ſunt. *Quies*, quia antitypus erit Sabbathi atque anni Sabbathici in ſeptimo mundi millenario celebrandi. Cum ea juncta erit *ſecuritas. Tunc erit opus juſtitiæ pax: effectus juſtitiæ*

4) una cum bonis variis, quiete, ſecuritate, communione bonorum, permanſione.

Landesbibliothek Oldenburg

tiæ tranquillitas & securitas usque in seculum. Nam residebit populus meus in caula pacis, & in habitaculis securissimis, atque in locis ad quietem tranquillissimis. Jes. XXXII. 17.18. *Aspice Zionem, urbem conventuum nostrorum, oculi tui videant Hierosolymas, caulam tranquillam, tentorium, quod non dissipabitur, cujus paxillorum nullus recedet unquam, neque ulli funes ejus disrumpentur.* Accedet *bonorum* cum Christo communio, cujus *Gloriâ* tota *illustrabitur* Jes. LX. 1.2. & *cum eo regnabit* Apoc. XX. 4.6. Nec deerit *permansio* stabilis. Est *domi manens* Ps. LXVIII. 13. pro more conjugum quæ οἰκουρῶσαι i. *domum servant*, ut habet *Artemidorus* oneirocr. I. 1 Unde οἰκουροὶ Tit. II. 5. Ideo *Plutarchus* in nuptialibus præceptis negat Ægyptias calceis usas, ὅπως ἐν οἴκῳ διημερεύσωσι i. *ut domi quiete vivant.* Confer *Petr. Fabri Semestr.* p. 29. *Hammondum* in Tit. l. cit. Manet autem spiritualiter ultimam Ecclesiam hæc spes Ps. XXIII. 6. expressa: *Nihil nisi bonum & benignitas prosequetur me omnibus diebus vitæ meæ & versabor in domo Jehovæ in longitudinem dierũ.*

XXVI. Hæc quamvis per se sint illustria, longe tamen illustriora fient per *introitum in Sanctum Sanctorum*, seu translationem Ecclesiae universæ in cœlestem gloriam. Hanc enim piorum spem ut illustrissimum introitum depingunt sacræ paginae. Haec est illa ΕΙΣΟΔΟΣ εἰς τὴν αἰώνιον βασιλείαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, de qua 2. Petr. I. 11. *Introitus in gaudium Domini* Matth. XXV. 21, 23. *in Regnum cœlorum* Matth. VII. 21. XVIII. 3. Joh. III. 5. &c. Nam quamvis Regnum cœlorum in prima & magis propria significatione exprimat Regnum a Deo in Ecclesia N. T. erigendum, semper tamen ut cum Regno glorioso in cœlis conjunctum arctissime spectari debet, quæ ratio est, cur Regnum *cœlorum* nominetur. Unde nihil absoni est, ut quando de *introitu* in hoc Regnum sermo est, si non semper, saepiuscule tamen *introitum in cœlestem gloriam* simul includi statuamus. Tum cum ove sua inventa cœlestis Pastor *domum ingredietur.* Luc. XV. 6. Hinc *anchora* spei fidelium describitur Hebr. VI. 19,20. uti εἰσερχομένη εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος, *Introitus in adytum designat cœlestis gloriæ finalem participationem.*

Landesbibliothek Oldenburg

quo præcurſor pro nobis introivit, Jeſus. Illic exſpectant pii ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον 2. Cor. V, 6. Et certe, qui præſtantiam hujus *introitus* attenta mente contemplatur, ille deprehendet, quicquid glorioſum in priori illo *introitu* videri poterat, tantum typum & praeludium eſſe ſummae felicitatis in poſtremo hoc *introitu* conſummandum. Nam I. in illo finietur pleniſſime tota miſerae hujus vitae peregrinatio, omnesque moleſtiae piis ſecundum carnem in ea devorandæ. Unde ſub ſymbolo *Patriæ* proponitur Hebr. XI. 14. quod etiam apud alios Scriptores ſatis frequens eſt. Sic cœlum pro patria ſapientis reputavit *Philo* de agricultura: Παροικεῖν, ᾗ κατοικεῖν ἤλθομεν. τῷ γὰρ ὄντι πᾶσα ψυχὴ σοφῆ, πατρίδα μὲν οὐρανὸν, γῆν δὲ ξένην ἔλαχεν i. *In hunc mundum venimus, ut in eo tanquam peregrini diverſemur, non ut habitemus: revera enim omnis anima Sapientis patriam quidem cœlum, terram vero peregrinam ſortita eſt.* Et de Anaxagora *Diogenes Laertius* lib. II c. 7: Ὅτε καὶ πρὸς τὸν εἰπόντα, Οὐδέν σοι μέλει τῆς πατρίδος; Εὐφήμει ἔφη, ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, δείξας τὸν οὐρανόν. i. *Unde & dicenti: nullane tibi patriæ cura eſt? reſpondit: mihi vero patriæ cura & quidem ſumma eſt, digitum in cœlum intendens.* II. Ipſa beatitudo in arctiſſima animarum cum Deo communione conſiſtet, ad quam intromittentur, quia de facie ad faciem gloriam Ejus contemplabuntur, amore indiſſolubili Eum amplectentur, reciproceque amoris Ejus ſuavitatem ſentient. Gravibus verbis & ſublime ſpirantibus, quod nulla ingenii humani acies ſequi poteſt, expreſſit id ipſe Salvator Joh. XVII. inter alia v. 22, 23. *Et ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus: Ego in eis & tu in me, ut ſint* CONSUMMATI IN UNUM, *& ut cognoſcat mundus, quod tu me miſeris, & eos diligas, prout me dilexiſti.* III. Tum in omni emphaſi janua gratiæ æternum occluſa manebit. Ille, qui clavem domus David gerit, qui heic in tempore acceptilationis aperuit & nemini occluſit, tum *occludet, neminique aperiet* Apoc. III. 7. *Nullum aliud ſacrificium pro peccato*

1) *quia peregrinatio hujus vitæ finietur.*

Cœlum patria.

2) *beatitudo ipſa in æterna cum Deo & Chriſto unione conſiſtet.*

3) *Fores gratiæ æternum occludentur.*

cato locum habebit Hebr. X. 26. Tum *extra videbuntur cadavera hominum illorum, qui defecerunt a Deo, quorum vermis non morietur & ignis non exstinguetur.* Jes. LXVI. 24. Unde ipse damnationis status comparatur cum tenebris *exterioribus*, quæ sunt *extra* palatium Sponsi, cum *intus* omnia facibus nuptialibus colluceant Matth. VIII. 12. XXII. 13. IV. Bona omnia cum introitu connexa excellentissimo modo possidebuntur. Illic vera *quies* inchoabitur, quia tota æternitas erit *Sabbathum*, in quo electi *quiescent a laboribus suis* Apoc. XIV. 13. Illic profunda erit *securitas*, post omnes hostes deletos. 1. Cor. XV. 28. *Qui vincet, hæreditario jure obtinebit omnia* Apoc. XXI. 7. Confer III. 21. Denique perpetua illic erit in omnem æternitatem commoratio. *Qui vicerit, faciam, ut is sit columna in Templo Dei mei, nec* FORAS EGREDIETUR AMPLIUS Apoc. III. 12.

Tenebræ exteriores.

Perfectissima sequetur quies, securitas, gloriæ communio, perpetuitas.

XXVII. Qui hanc pericopam in privatum commodum convertere volunt, eos heic pensitare oportet, quanta sit populi Dei felicitas, quam partim possidet, partim viva spe præsentit. Quamvis enim hic glorioſus exitus totius Ecclesiæ describatur, pertinet tamen ille ad singula ejus membra, quia in obsignatione Spiritus Sancti hujus vitæ & instante glorificatione futuræ vitæ eadem singulos fideles felicitas exspectat. Hujus vitæ incommoda non impediunt, quo minus jam primas scintillas gloriæ Dei intus in corde suo suscitatas sentiant, scilicet, quando dominium peccati fractum, seque ad imaginem Dei renovatos deprehendunt. Christus iis factus est in justitiam, quæ tanquam *fundæ auri* eos vestit: & in sanctificationem, qua tanquam peplo *acupicto* ornatur. Quid inde oriri potest nisi laetitia summa per Spiritum Sanctum ex intuitu tantarum prærogativarum nata? Nec deest mysticus in penetralia Regis sui introitus, quotiescunque anima in solitudine piis meditationibus & oratione tanquam alis aquilinis suffulta in cœlum mente subvehitur, in contemplatione viarum & perfectionum Sponsi sui deliciatur: quin & saepe per sin-

Felicitas Ecclesiæ promissa certo respectu ad singulos fideles pertinet, quatenus primitiis Spiritus per ejus obsignationem donantur.

Landesbibliothek Oldenburg

gulares & extraordinarios divini Flaminis motus de amore conſtantiſſimo Amici ſui certificatur. Norunt, qui huic mundo ignotae cum Deo converſationi aſſuefacti ſunt, quantis deliciarum torrentibus hic divini amoris ſenſus animas inebriet. Hæ ſunt vere primitiae Spiritus. His praeluditur in ſingulis animabus ſpei, quam in futurum repoſitam habent. Quos enim ad conſortium tam familiare admiſit Dominus jam in hac vita, ii inde poſſunt certiſſimum triumphantis olim in cœlum introitus argumentum petere. Ecquis tanta bona mente comprehendens non beatam praedicabit gentem, cujus Jehova Deus eſt? Ecquis non anhelabit enixis deſideriis, ut ejusdem beatitudinis compos fiat?

Officia inde fluentia ſunt:

ut ſpreta gloria mundana imagine gloriae Dei imbui quaeramus,

XXVIII. Et ſi quis tam ſpendidis praerogativis ullatenus ornatus ſit, ecquid magis eum decebit, quam eo eniti, ut dignos gratitudinis pro bonis his immerenti collatis fructus gerat? Ex ſingulis beneficiis etiam ſingula officia fluunt. I. Si *gloria* Dei animam tuam colluſtrare cœpit, cave ne unquam gloria mundana te occœcet & transverſum agat, quae cum hac collata nulla eſt. An unquam inter mortales externa gloria Salomonem ſuperavit? Et quam tenuis tamen illa, quam caduca erat, ita ut cum liliis agri collata jam flacceſcat? Matth. VI. 29. *Ne timeas igitur, cum diteſcit vir, cum amplificatur gloria domus ejus; quia non in morte ſua aſportabit quicquam, non deſcendet cum ipſo gloria ejus.* Pſ. XLIX. 17. 18. Quin potius gloriam Dei tibi in exemplum propone. Perfectiones ejus perpende, praecipue eas quas & quatenus imitandas nobis propoſuit. *Perfectus eſſe* quærito, *ſicut Pater tuus cœleſtis perfectus eſt.* Matth. V. 48. Sapientiae, Sanctitatis, Veritatis, Miſericordiae divinae inſtar in te tuisque verbis & actionibus eluceſcat. II. Si gloria Chriſtianorum *interna* eſt, tecum habitare, in te deſcendere, interioremq; pectoris tui ſtatum jugi ſcrutinio exploratum habere contende. Plus intimis affectibus in ordinem redigendis, impuris cordis motibus ſupprimendis, vagis cogitationibus moderan-

interius animae adytum purificare potiſſimum curemus,

randis, quam externo habitui componendo operam dare oportet. Quid ii, qui in cortice tantum subsistunt, de te sentiant & blaterent, parum cura. Si offendiculum iis dare caves, de eorum judicio securus esto. Sufficit tibi judex cœlestis, scrutator renum: sufficit testis domesticus & internus, conscientia tua. III. Sentis te donatum *tessellata veste* justitiae Christi? Accede ergo cum parrhesia filiali ad thronum gratiae. Apagesis omnes dubitationum de magnitudine peccatorum tuorum fluctus, quibus fidei πληροφορία obruitur. IV. Sed quia cum justificatione perpetuo initia sanctificationis connexa sunt, in *decoribus sanctitatis* ambulare Deoque servire contende. Sint virtutes Christianae in omnibus tuis operibus elucentes, quasi tot *colores*, floresque jucunde inter se mixti. Ride stultitiam carnalis turbae, quae in *cincinnis*, in *circumposito auro*, in *palliorum amictu* 1. Petr. III. 3. sibi placet, & cum pavonibus & phasianis de gloria contendit. Excelsiorem tibi animum Jehovae gratia finxit, immortalis gloriae candidatum, quique non nisi in angelica pulchritudine, & in habitu civis cœlestis placere sibi potest aut aliis studet. V. Porro, quia singulare N. T. bonum spiritualis *lætitia* est, cum lætitia cordis Deo rationalem cultum ferre adsuesce. Si quid tibi triste ob tuam culpam evenit, id coram mundo cela. Ostende tuo exemplo, neminem gaudendi exsultandique jus habere, nisi qui in fœderis connubialis communionem a Christo exceptus est, ut ita exstirpetur tandem siniſtrum illud, quod carnales homines fovent, de via ad vitam præjudicium, quasi illa omne gaudium etiam rationale suffocet, perpetuisque anxietatibus & melancholicis terroribus animas deprimat. VI. Ad arctiorem cum Sponso tuo communionem cottidie propius *intromitti* contende. Officium tuum sacerdotale diligenter observa, precibusque & secretis cum Amico tuo colloquiis frequenter vaca. VII. Denique desiderio enixo ad ultimum in cœlestem patriam *introitum* adspira. *Consumantur* hic cum Jobo *renes tui in sinu tuo*. Job. XIX. 27.

cum veste justitiæ Christi ad Deum accedamus,

in decoribus sanctitatis coram Deo ambulemus,

cum lætitia Deo serviamus,

unionem arctiorem cum Christo promoveamus, cœlestia desideremus.

XIXX.

Ministri Ecclesiæ debent ut puellas & amicas Sponsæ se gerere.

XXIX. Speciatim hic habent, quod exercere oportet, quos Deus in Ecclesia sua Ministros constituit. Studeant iis virtutibus, quas in pedissequis Sponsæ adnotavimus. Demonstrent se ut *amicas* ejus, quæ non suis sed publicis Ecclesiae commodis se suaque omnia sacrificant. Puritatem, castitatemque virginalem sectentur in doctrina æque ac vita intemeratam. Faces nuptiales Sponsæ in hoc mundi vespere præferant, ut perpetui imitatores primi in N. T. Evangelii præconis Johannis Baptistæ, cui ipse veritatis summus Testis hoc testimonium dedit Joh. V. 35: Ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος καιόμενος καὶ φαίνων. In quæ verba aliquando hoc epigrammate lusi:

*Fax Ardens Lucens*que fuit, qui prætulit ipsi
Justitiæ Soli *Luciferoque Facem.*
Arsit amore sui, cui cessit *lampada*, Sponsi:
Doctrina *lucem* sparsit & eloquio.
O utinam Christo venienti in vespere mundi
Præferret similes docta caterva *Faces*!

EXER-

Landesbibliothek Oldenburg

EXERCITATIO DUODECIMA.

DE GLORIOSISSIMIS FRUCTIBUS THALAMI MESSIÆ.

1. *Epithalamiſtarum mos de futuro bene ominandi.* 2. *Ultimæ pericopæ analyſis.* 3. Proles maſcula *Meſſiæ promittitur.* 4. 5. *Meſſias conſideratur ut* Pater. 6. 7. *Eccleſia ut* mater. 8. *Utrorumque* Filii *fideles.* 9. Puerperium Eccleſiæ *ultimorum temporum.* 10. 11. *Locus Rom.* VIII. 19-22. de partus doloribus Creaturæ gemebundæ *ex profeſſo illuſtratur.* 12. *Ad* partum *hunc ſpectat Iudæorum converſio.* 13. Patres *Meſſiæ & Eccleſiæ.* 14.15. *Variam ad eorundem* filios *relationem habent* ſecundam variam תחת ה verſionem. 16. Principatus *tum fidelium tum ſpeciatim Doctorum.* 17. 18. *univerſalis* ſuper terram totam, *ubi de* reſtituenda aliquando diſciplina Eccleſiaſtica *agitur.* 19. *Origo & duratio hujus principatus.* 20. Nomen Meſſiæ *varia exprimit.* 21. 22. *Latiſſima quoque* eſt recordationis ejus *ſignificatio.* 23. *Qui* faciunt recordari, *ſunt Miniſtri, Prophetæ, Spiritus Sanctus.* 24. Generatio & generatio *ſucceſſionem non interruptam deſignat.* 25-27. *De* confeſſione Dei & Chriſti *late diſſeritur.* 28. *Perpetuitas ejus* in ſeculum & ultra. 29. *Confeſſio recordationis eſt conſequens.* 30. *Sapientia Prophetæ in concluſione Pſalmi oſtenditur.* 31. 32. *Seria officiorum ex his verbis fluentium inculcatione concluditur.*

I.

SOlent, qui epithalamia ſcribunt, non tantum præſentem deſponſatorum conditionem laudibus deprædicare, ſed etiam de futuro bene ominari. Duo præcipue bona ſunt, quæ præ aliis in cenſum veniunt, ut a propitio Numine promittantur & voveantur, *thalami fœcunditas*, & *felicitatis diuturnitas*. *Theocritus* Idyll. XVIII. in epithalamio Helenæ: *In epithalamiis bona varia promitti in futurum ſolent, præcipue fœcunditas & felicitatis diuturnitas.*

Χαίροις ὦ νύμφα, χαίροις εὐπένθερε γαμβρέ.
Λατὼ μὲν δώῃ λαῷ κεροτρόφῳ ὔμμιν
Εὐτεκνίην. Κύπρις δὲ θεὰ κύπρις ἴσον ἔρασθαι
Ἀλλήλων. Ζεὺς δ' ἁρπαγίδας, Ζεὺς ἄφθιτον ὄλβον,
Ὡς ἐξ εὐπατριδᾶν εἰς εὐπατρίδας πάλιν ἔνδῃ

i. *Salve o ſponſa, ſalve felix propter ſocerum ſponſe. Latona quidem, Latona juventutis ſuſtentatrix det vobis felicem ſobolem. Venus autem, Dea Venus det æqualem amorem inter vos mutuo: Jupiter vero Saturnides divitias durabiles, ut a vobis nobilibus ad generoſos veſtros liberos perveniant.* Similiter *Catullus* in Nupt. Juliæ & Manlii:

Ludite, ut lubet, & brevi
Liberos date, non decet
Tam vetus ſine liberis
Nomen eſſe, ſed indidem
Semper ingenerari.

Sic quoque noſter Pſaltes inſtituit.

Sed longe illuſtriori modo ſimiles prærogativæ a Pſalte noſtro ex connubio Regis cœleſtis cum Eccleſia prædicuntur. Patet id ex analyſi pericopæ, quæ nobis adhuc illuſtranda reſtat.

Analyſis ultimæ pericopæ datur.

II. Enarratur in illa concluſionis loco duplex bonum, non vano augurio, ſed ſecundum certum Dei conſilium exſpectandum.

α. Primum eſt ſpes prolis, quæ
א. promittitur: *filii tui erunt.*
ב. præſtantia hujus prolis duplex indicatur.
aa. γενεάτης: *loco Patrum.*
bb. ſpectabilis dignitas, quam ſortientur: *pones eos in Principes ſuper totam teram* v. 17.

β. Alterum eſt diuturnitas gloriæ ex hoc conjugio in Meſſiam redundaturæ. Ubi
א. Locutor ſpondet perpetuum præambulum in celebratione nominis ſui, in qua ſponſione indicatur

aa. Obje-

aa. Objectum: *Nomen tuum.*
bb. Actus: *Faciam ut commemoretur.*
cc. Diuturnitas ejus: *in omnem generationem & generationem.*

2. Prævidet generalem & sempiternam cœtus electorum in hac occupatione sequelam: ubi iterum distinguenda:
aa. Personæ cœtum celebrantium constituentes: *Populi.*
bb. Opus: *Confitebuntur tibi propterea.*
cc. Diuturnitas: *in seculum & ultra* v. 18.

III. In regiis nuptiis nihil ardentius desideratur, quam thalami fœcunditas. Procreatio prolis regiæ est PROPAGO IMPERII, ut in quibusdam Romanorum nummis legitur. Et AETERNITATI IMPERII inservit conservandæ, uti alii nummi habent. Consule fis *Tristanum* Comment. Histor. Tom. II. p. 71. & p. 246. unde nummum addo. *Proles præcipue masc ula in regiis nuptiis desideratur.*



Præcipuè expetitur proles maſcula.

Στύλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες

i. *Columnæ enim familiæ ſunt proles maſcula*, teſte *Euripide* Iphigen. in Tauris v. 57. Confer plura in hanc rem veterum dicta collecta a *Stobæo* Sermon. LXXVII. Nec defuturos maſculos hæredes myſtico Meſſiæ cum Eccleſia connubio Spiritus indicat. בניך FILII TUI ait, compellans ſine dubio Regem ipſum, cujus epithalamium canebat. Quæ compellatio tamen ita eſt conſideranda, ut Eccleſia non excludatur, quæ per conſummatum matrimonium ἀνὴρ cum Marito ſuo evaſit, & propagandi ſeminis Sancti inſtrumentum eſt. Præmittamus ergo pauca de *Paternitate Chriſti* & *Maternitate Eccleſiæ*, & tum eo felicius de *ſtatu filiali fidelium* diſpiciemus.

& hic Meſſiæ promittitur.

Meſſias frequenter ut Pater proponitur.

IV. Meſſiam ſub ἀρχέτυπου *Patris* non raro ſacræ paginæ proponunt. Pater jam fuit Iſraelis ſub Oeconomia veteri, & *Rupes, quæ genuit eum* Deut. XXXII, 18. Sed illuſtriori modo enituit ejus *Paternitas* in Novo Teſtamento. Ibi inter nomina characteriſtica illuſtriora recenſetur & illud אבי עד i. *Pater æternitatis* Jes. IX, 6. *tum* quia in æterno pacis conſilio Paternitas ejus fundata, *tum* quia æterna eſt illa vita, cujus electis ſuis author eſt, (ſic enim Pater dicitur, qui alicujus rei author, inventor, ſcaturigo eſt, obſervante *Glaſſio* ὀνομαλ. Meſſiæ p. 182.) *tum* quia multos poſt ſe relicturus erat poſteros & in multum tempus, quæ gloſſa *Grotii* ſano ſenſu admitti poteſt, *tum* potiſſimum, quia per עד poteſt intelligi *ſeculum futurum*, ſive tota regni gratiæ poſt ejus adventum Œconomia, totaque fidelium generatio ad eam pertinens, quæ Meſſiam authorem habet. Vidit hoc *vetus interpres Græcus*, qui vertit: Πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, forte & *Symmachus*, qui habet ſimpliciter: Πατὴρ αἰῶνος. Arabs itidem reddit: *Pater futuri ſeculi.* Nec abludit *Jonathanis* Paraphraſis, qui reddidit קים דעלמיא *ſtabilem ſeculorum*, cui ſecula inſiſtunt, per quem *ſecula* i. tempora revelandæ gratiæ deſtinata, propagoque divina ſtabilita ſunt, vel ut dicit Paullus Hebr. I, 2. per quem Deus

Jeſ. IX, 6. illuſtratur.

עשה

τὸς αἰῶνας ἐποίησεν. Nec immerito huic interpretationi ut ἐμφατικωτέρᾳ pollicem premunt *Henr. Morus* Myſter. Iniq. II. cap. 6. §. 8. *Grellotius* Prodrom. in Apoc. l. p.m. 15. *Vitringa* in h. locum. Quod vero nomen hoc Meſſiæ ſit, agnoſcunt *Paraphraſtes* aliique Rabbini, quos in cenſum vocant *Majus* Theol. Jud. p. 121. *Michaelis* de nom. Chriſti p. 24. Et parum ab hac expreſſione diſtat, quando Βασιλεὺς αἰώνων dicitur 1. Tim. I, 17. Dicitur etiam Meſſias *Pater orphanorum* Pſalm. LXVIII, 6. parentum vicem præſtans Eccleſiæ ab iis deſertæ Pſ. XXVII, 10. Confer & Jerem. III, 4. Pſ. CIII, 13. &c. Luc. XV, 11. ſq. Ipſi Rabbini veteres Schechinam vocarunt: אב המון גוים ואב אחד לכלנו i. *Patrem multarum gentium & Patrem omnium noſtrum*, uti eſt in *Ir Gibbor* fol. 49. In hac *Paternitate* Meſſias ut ſecundus Adamus antitypus fuit Adami primi. Hinc *Auguſtinus* Epiſt. LVII. ad Dardanum: *Duo iſta, quæ in uno fiunt homine, naſci & renaſci, ad duos homines pertinent. Unum ad illum primum Adam, alterum ad ſecundum, qui dicitur Chriſtus.* Et lib. I. de pecc. mer. c. 15. *Sicut nullius carnalis generatio, niſi per Adam, ſic ſpiritualis nullius niſi per Chriſtum.* Quin &, qua talis, antitypus eſt Noachi, Abrahami, Iſaaci, Davidis, qui modo illuſtriori & μυστικωτέρῳ Patres fuere.

V. Et certe multis de cauſis ei hoc nomen competit. *Cauſæ hujus denominationis enarrantur:*

I. *Patris* nomen aliquid divini conſenſu populorum in ſe continet, quia excellentiam ſingularem, quæ quaſi imago Divinitatis eſt, cum *Paternitate* Deus connexuit. Hinc *Patris* appellatio unanimiter ab Ethnicis, Judæis, Chriſtianis Deo tributa, notante *Amyraldo* in Orat. Domin. p. 12. ſq. *Suicero* Theſ. Eccles. voce πατὴρ. *Veteres Deos omnes Patres dicebant*, ait *Servius* ad Æn. I, 159. *Lactantius* itidem Inſt. Divin. lib. IV. inter ſolennes ritus & precationes generaliter Deos omnes *Patres* nuncupatos tradit, *non tantum honoris gratia, verum & rationis, & quod antiquior* (Deus) *eſt homine, & quod vitam, ſalutem, victumque præſtat, ut Pater. Itaque*, addit, *& Jupiter a precantibus Pater vocatur & Saturnus & Liber,* *1) ut deſignetur divina ejus excellentia:*

ber, & cæteri deinceps Dii: quod his *Lucilii* verſibus confirmat:

Ut nemo ſit noſtrum, quin aut Pater optimus Divum,
Aut Neptunus Pater, Liber, Saturnus Pater, Mars,
Janus, Quirinus Pater nomen dicatur ad unum.

Conferri poſſunt *Briſſonius* de formulis lib. I p. m. 43. *Spanhemius* in Callim. p. 43. *Alex. Morus* in N. T. edit. Fabricianæ p. 25. *Turnebus* Adverſ. XIII, 8. *Maſſonius* vita Horat. p. 239. *Pearſon* in ſymbol. p. 44. ſq. *Gyraldus* Hiſt. Deor. Synt. 2. p. 78. *Gale* ad Jamblichun de Myſter. lib. VIII. c. 2. p. 299. 300. *J. H. Majus* Filius Obſ. Sacr. III. p. 143. ſqq. Quare quando Meſſias *Pater* dicitur, primo loco divinam ejus ſuper omnes excellentiam innui nullus dubito. Alternant ſane *Pater* & *Deus* Apoc. XXI, 7. *Ero ei in Deum, & erit mihi in Filium.* Confer 2. Cor. VI. 18. II. Porro, cum *Patrum* regimen ſit & antiquiſſimum in orbe & æquiſſimum & leniſſimum, hinc omnes, qui cum imperio aliis præſunt, Reges, Magiſtratusque communi ſuffragio *Patres* dicuntur. Probatum id abunde dederunt *Briſſonius* de formul. lib. III. p. 314. 315. & lib. II. p. 226. 227. *J. C. Bulengerus* Imper. Rom. lib. I. c. 22. *Barthius* ad Claudian. p. 651. 652. *Gatakerus* Comment. in Antonin. p. 11. *Duportus* Gnomol. Homer. p. 159. *Dougtæus* Anal. Sacr. lib. I. Excurſ. 107. *J. H. Majus* l. cit. Sufficiet heic potiſſimam hujus cognominis rationem audire ex *Sopatre* apud *Stobæum* Serm. XLIV. p. m. 312. Ὁμήρῳ γοῦν δόξε ἀπέχρησε πατέρα ἁπλῶς τῶν ἀρχομένων τὸν ἄρχοντα προσειπεῖν. καὶ τοι τί ποτ' ἂν εὑρεθείη τοῦτο προσφορώτερον ἀνθρώποις ὄνομα. ἀλλὰ καὶ τὸν ἥπιον φέρων ἐπέθηκε τῷ πατρὶ ὁμοῦ μὲν γονεῦσιν, ὁμοῦ δὲ ἄρχουσιν ἀγαθοῖς, ταύτην πρέπειν τὴν προσηγορίαν ἡγούμενος i. *Homero certe non ſatis fuit Principem ſimpliciter ſubditorum Patrem appellaſſe: quamvis haud aliud nomen benignius inter homines inveniri poſſet: ſed ad Patris vocabulum adjunxit quoque manſuetum, ſimul & parentibus & bonis Principibus hujusmodi nomenclaturam convenire ratus.* Merito ergo & Meſſiæ *Patris* honos competit, quem

2) *ut Regia ejus Majeſtas exprimatur:*

ut

ut Regem justum & mansuetum in præcedentibus vidimus. III. Doctores insimul & Magistri *Patres* dicti præcipue in Israele. Jud. XVII, 10. XVIII, 19. 1. Sam. X, 12. 2. Reg. II 12. Unde discipuli Prophetarum dicti sunt *filii* eorum. Quod imitati sunt Doctores N. T. 1. Cor. IV, 15. 2. Cor. XII, 14. Phil. II, 22. *Jarchius* ad Deut. VI, 7. זבשם שהתלמידים קרויים בנים כך הרב קרוי אב: i. *Et quemadmodum discipuli Filii vocantur, sic Præceptores quoque vocantur Patres.* Rationem quoque paternæ reverentiæ iis exhibendæ dat *Maimonides* Talm. Torah. c. 5. p. 20. שאביו מביאו לחיי העולם הזה ורבו שלמדו חכמה מביאו לחיי העולם הבא: i. *Quoniam Pater* (naturalis) *participem eum quidem facit vitæ seculi huius, Magister vero, qui docet eum sapientiam, ducit eum in vitam seculi futuri.* Confer eundem in More Nebhoch. p. 11. Edit Buxtorf. & adde *Hammondum* in Matth. XXIII, 9. *Ursinum* Antiq. Acad. p. 196. sqq. Ex hac quoque ratione Messias *Pater* nuncupatur, quia summus fidelium Doctor est, præcipue, quia hæc invicem junguntur Jer. III, 4. *Pater mi, Princeps* (seu mavis, Doctor, Formator) *juventutis meæ es tu.* IV. Sed propius quoque & magis ad literam Messiæ competit *Paternitas*, quia vitæ spiritualis & æternæ fons & origo est. *Vitæ æternæ* tum quoad jus, quod per justitiam suam acquisivit Joh. I, 12. tum quoad possessionem ipsam, in quam per resurrectionem introducet. *Vitæ* quoque *spiritualis* origo est, per verbum & Spiritum suum 1. Petr. I, 13. Matth. III, 11. Recte ergo *Fulgentius* Serm. de dupl. Nativ. Chr. *Christus nobis contulit justificationis gratiam, ut renasceremur ad regnum. Per illum* (Adamum) *nos filios seculi generatio carnalis efficit: per istum nos filios Dei generatio spiritualis exhibuit.* V. Denique totum Christi in fideles regimen actus mere *paternos* undiquaque nobis exhibet. 1) Amore *paterno* eos complectitur Joh. XV, 9. *Quemadmodum Pater me amavit, ita & ego dilexi vos* Ps. CIII, 13. Luc. XV, 20. 2) *Patris* instar omnia necessaria iis suppeditat, præcipue quæ ad vitæ spiritualis sustenta-

3) *quia Doctor supremus populi sui est:*

4) *quia vitæ spiritualis & æternæ fons est:*

5) *quia in regimine Ecclesiæ nil nisi paternos actus exserit.*

ſtentationem pertinent Pſ. XXIII, 1. ſq. 3) *Paterna* cura eos cuſtodit & ab imminentibus periculis defendit. *Parcit eorum, ut vir Filii ſui* Malach. III, 17. 4) Ad imaginem ſuam eos fingit. Sicut Adamus prior gignebat filium ſui ſimilem, ita & poſterioris Adami imago in liberis ejus exprimitur.

Qui viret in foliis venit ab radicibus humor,
Et patris in natos abeunt cum ſemine mores:

ut *Baptiſtæ Mantuani* verba lib. I. Sylv. mea faciam. 5) Caſtigat eos, ubi neceſſe habent. *Quoscunque amo, caſtigo & arguo*, Apoc. III, 19. quod *paternum* affectum prodere docet Paulus Hebr. XII. 6) Cumque parentum ſit, *theſauros colligere liberis* 2. Cor. XII, 14. ille *theſauros* filiorum ſuorum *implet* Prov. VIII, 21. 7) Denique liberos ſuos hæredes omnium bonorum firmo teſtamento conſtituit Luc. XXII, 29.

Eccleſia eſt Mater fidelium:

VI. Cum Patre ad prolem excitandam concurrit MATER. Sub hoc ſymbolo pingitur frequenter Eccleſia. Judæorum *Mater* erat Eccleſia Judaica Hos. II, 2. 5. IV, 5. Jes. L, 1. Ita & *Mater* Chriſtianorum eſt Eccleſia univerſalis, cujus ſinguli fideles membra ſunt. Hinc Cant. I, 6. *Filii Matris meæ exarſerunt in me.* Et Cant. III, 4. *Non faciam eum miſſum, donec illum introduxero in domum Matris meæ & in penetrale genitricis meæ.* Confer Cant. VIII, 1, 2. Explicat hoc emblema Apoſtolus Gal. IV, 26. *Quæ ſurſum eſt Hieroſolyma, libera eſt, quæ eſt Mater omnium noſtrum.* Ubi elegantiſſime emblemata *Matris* & *Civitatis* junguntur, quia civitates frequentiſſime in ſacris ut parientes & educantes liberos proponuntur: Jes. XXIII, 4. & præcipue Hieroſolyma terreſtris Thren. II, 22. Ezech, XXIII, 4. Matth. XXIII, 37: Similes phraſes apud *Pindarum, Homerum, Euripidem* occurrere notarunt *Ravanellus* in voce *Civitas* & alii. Quin ipſa Jeruſalem *Mater* dicitur Jerem. XV, 8. æque ac Roma apud *Claudianum* de II. Conſ. Stilic. audit

Civitates dicuntur Matres.

- - *Mater Regumque Ducumque.*

Con-

Confer *Spanhemium* de Præſt. & Uſu Numism. diſſ. VII. p. m. 643. Unde coaluit nomen *Metropoleōn*: de quibus *Bulengerus* de Imper. lib. II. c. 4. *Ez. Spanhemius* libro laudato diſſ. IX. p. 885. ſeq. & *Frater* ejus *Frid. Spanhemius* diſſert. de æqualitate & juribus veter. Metropoleôn, inſerta libro IV. Miſcellan. Sacræ Antiq. Sed & in typicis Eccleſia pluſculum ut *Mater* pingitur. Huc pertinet *Chavva*, *mater omnium viventium* Gen. III. 20. & in hac periphraſi Eccleſiæ typus, uti abunde probat H. *Deuſingius*, (Vir cætera ingenio quam judicio felicior, qui licet eum tuto ſequi nequeas, in multis tamen opportunam ulterius cogitandi de myſtico Scripturæ ſenſu anſam ſubminiſtrat) Demonſtr. Alleg. Hiſt. V. T. lib. III. §. 136. 137. Ad *Saram* Iſaaci *Matrem* ipſe Paullus adducto Gal. IV. loco alluſit. Cui jungenda eſt *Hanna* Samuelis *mater*, quæ in ipſo ſuo Cantico ſe ut typum Eccleſiæ conſiderat 1. Sam. II. 5. Nec dubitem, ipſam benedictam Salvatoris noſtri genitricem conſiderandam eſſe ut typum Eccleſiæ, Chriſtum myſtice gignentis & propagantis in electis. Id colligi poteſt I. Ex ipſo Cantico Mariæ Luc. I. 51-53. ubi varia ex prophetis V. T. 1. Sam. II. Pſalm CXIII. &c. ad ſe applicat, quæ univerſam Eccleſiam N. T. ſpectabant. II. Ex viſione Johannis Apoc. XII. 1. ſq. ubi lippiat neceſſe eſt, qui non agnoſcit in deſcriptione fatorum Eccleſiæ N. T. alludi ad conceptionem & partum Mariæ, fugam in Ægyptum, aliasque nativitatis Chriſti circumſtantias. III. Accedit elegantiſſima analogia, in quam nunc non exſpatiamur. Figendæ ei adjumento eſſe poſſunt, quæ habet H. *Deuſingius* in Allegoria Natalium Jeſu Chriſti, quæ exſtat Allegor. Hiſtor. Evangel. Prophet. p. 136. ſeqq. ſed cum magna circumſpectione adhibenda. Tutius adibit, qui poterit, ſcriptum vernaculum Collegæ conjunctiſſimi *Lud. Georg. Trevirani* doctrinam ac pietatem ſpirans de forma Chriſti in membris c. 2. & 7. Referri quoque huc poteſt ſymbolum *Lunæ* in ſomnio Joſephi Gen. XXXVII. 9. ſecundum literam *Matrem* ejus v. 10. ſed myſtice Eccleſiam repræſentantis. Nam quod Luna eſt in mun-

Eva, Sara, Hanna, ipſa Maria mater Domini, typi Eccleſiæ.

Luna mater. Gen. 37: 9. illuſtratur.

do, id Mater eſt in familia. Quare ipſi Gentiles Lunam pro Matre magna Deorum & hominum habuere. *Maternitatem* hanc Eccleſiæ agnoverunt Patres. Hinc *Cyrillus Hieroſolymitanus in* προκαλητ. exclamat: μιᾶς μητρὸς γεγόναπι υἱοὶ καὶ θυγατέρες. *Auguſtinus* Serm. 109: *Quemadmodum duo nos parentes ad mortem genuerunt, Adam & Eva, ſic nos duo ad vitam gignunt, Chriſtus & Eccleſia.* Et *Epiphanius* vitam tam auguſtæ Matris liberis convenientem requirit, hæres. ult. δεῖναι τὰ τῆς ἁγίας παρθένε μητρὸς τῆς Ἐκκλησίας τέκνα σεμνὰ ὑπάρχειν i. *oportere, ut liberi Eccleſiæ ſanctæ Virginis & Matris gravitatem ſingularem ſpirent.* Hinc & *Paullinus* Petrocor. lib. IV. de vita Mart. v. 287:

Pande ſinus patulos populis ditata receptis,
Adjectumque tibi gaudens amplectere plebem,
Sponſa Dei, totum rapiens ad viſcera mundum.

Plura loca ex profeſſo cumulavit *G. Arnoldus* Fratr. Soror. Appell. cap. VII. Huic *Matri* e diametro oppoſita eſt falſo prætenſa Mater, Roma Antichriſtiana, *Mater Babelica* Jer. L. 12. *Mater ſcortationum* Apoc. XVII. 5. de qua jam in Tyro myſtica vidimus.

Cauſſæ denominationis addiuntur: 1) quia Chriſti uxor: VII. Nunc analogia Eccleſiæ cum *Matre* propius indicanda. I. Conjugali vinculo Chriſto ſpiritualiter juncta eſt, ut ejus Regia conjux, quod emblema explanatum eſt Exerc. VIII. §. 9. *2) quia ſemen regenerationis in ſe continet:* II. Eccleſia quoque medium eſt, per quod Spiritus Chriſti vitam ſpiritualem in aliis excitat, eosque Chriſto gignit. In ea *ſemen regenerationis*, quod eſt verbum Dei 1. Petr. I. 23. conſervatur & proponitur. Habet illa exempla virtutum, quibus alii excitari poſſunt. Habet Paſtores & Doctores, quorum labor in Domino *puerperio* poteſt comparari. Gal. IV. 19. Unde per oves *fœtas* ſeu parturientes adumbrantur Jeſ. XL. 11. Habet *aquam* & *Spiritum*, ex quibus nova generatio debet fieri Joh. III. 5. *3) quia patitur dolores* III. Nec ſine acutiſſimis mortiferisque doloribus liberos ſuos Eccleſia parit. Eo ſpectant anxie-

xietates, quas Evangelii Præcones devorandas habent, parturientium doloribus comparatæ. Hinc ad discipulos Christus Joh. XVI. 21. 22. *Mulier, cum parit, dolorem habet, quoniam advenit hora ejus: postquam autem peperit puerulum, jam non meminit afflictionis, propter gaudium, quod homo sit natus in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitia tenemini: sed rursum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Confer Gal. IV. 19. Accedunt persecutiones & martyria, quæ frequentissime propagandi seminis sancti medium fuere. Typum hujus rei olim dedit Ecclesia Israelis in Ægypto pressa. *Quo magis affligebant eum* (populum) *hoc magis crescebat & multiplicabatur* Exod. I. 12. Unde *Tertullianus* Apologetico: *Exquisitior quæque crudelitas vestra illecebra magis est sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis.* SEMEN EST SANGUIS CHRISTIANORUM. Addi meretur testimonium famosi *Cardinalis Richelii* teste *Historia Ministerii* ejus, qui persecutionem Reformatorum his verbis dissuasit: *Seu cremati sunt, Salamandræ ad instar in igne perdurarunt: seu aquis mersi, piscium more multiplicati sunt: seu capitibus plexi, arborum adinstar germina plura, quam quæ resecta sunt, protruserunt.* Plura in hanc rem legantur apud *Hottingerum* Hist. Eccl. Tom. IX. p. 175. sq. *Heideggerum* Tom. II. Dissert. Sel. X. §. 27. sq. Th. *Ruinartum* præf. in Acta Mart. §. 4. IV. Sicut Ecclesia Mater est ratione originis, ita etiam ratione sustentationis & conservationis vitæ spiritualis. *Ecclesia est*, ita ait *Cyprianus* de Unit. Eccles. *quæ in multitudinem latius fœcunditate extenditur. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur.* Sane habet ubera sua Cant. IV. 5. VII. 3. quæ sunt uterque Scripturæ codex, ex quibus γάλα illud λογικὸν, ἄδολον propinat, quod augmentum puerorum ἀρτιγεννήτων promovet. 1. Petr. II. 2. Habet & *uber consolationum*, ex quo *sugere & satiari* integrum est Jes. LXVI. 2.

partus per anxiam curam Ministrorum & sanguinem martyrum:

4) quia media habet, quibus vita spiritualis roboratur.

VIII. Nihil jam concinnius, quam per FILIOS intelligere singulos fideles. Illi sæpissime introducuntur, ut *Filii* & *Semen Messiæ*,

Fideles sunt filii Messiæ

Landesbibliothek Oldenburg

Jeſ. VIII. 18. *Ecce ego & pueri, quos donavit mihi Jehova.* Hinc inter promiſſiones Meſſiæ datas in pacto cum Patre etiam hæc erat: *videbit ſemen* Jeſ. LIII. 10. Conferri poſſunt Deut. XXXII. 5. Jeſ. XLIII. 6. Jerem. III. 19. Chriſtus ipſe vocat diſcipulos *filiolos ſuos* Joh. XIII. 33. Nec prorſus hic cœcutit *Philo*, quando *Verbi* filios nos eſſe vult, de confus. ling. p. 341: Καὶ γὰρ εἰ μήπω ἱκανοὶ Θεοῦ παῖδες νομίζεσθαι γεγόναμεν, ἀλλά τοι τῆς εἰκόνος αἰδίᾳ αὐτοῦ λόγῳ ἱερωτάτῃ. i. *Nam ſi nondum idonei ſumus, ut nominemur Dei filii, ſimus ſaltem Sermonis illius ſacratiſſimi, qui ejus ſempiterna imago eſt.* Sunt autem *Filii* Meſſiæ I. Quatenus eſt Deus. Nam nomen Filiorum Dei fidelibus jam ab initio mundi, ſed cum maxima emphaſi in Oeconomia N. T. proprium eſt. Splendidiſſimus hic titulus, quoad fideles univerſim conſideratos, involvit eorum *regenerationem*, qua vitæ & naturæ Dei participes fiunt: qua ex filiis iræ & Satanæ in familiam Dei adſciſcuntur: *ſanctificationem*, qua imago Dei in iis reſtituitur: *conſolationem*, qua de paterno amore & favore Dei certi fiunt. Peculiarem vero vim hæc denominatio *Filiorum* ſortitur, quoties fidelibus N. T. tribuitur, uti in noſtro loco. Tum enim involvit ſtatum longe perfectiorem, in ſpecie, libertatem, parrheſiam, conſolationem, hæreditatem ulteriores. Hoc eſt *nomen melius nomine filiorum & filiarum*, qui ſcilicet ad veterem Oeconomiam pertinebant. Jeſ. LVI. 5. Confer Hoſ. I. 10. II. Poſſunt etiam *Filii Meſſiæ* dici, quatenus ejus ſunt ſubditi. Nam Filiorum nomen eſt indicium ſubjectionis & ita adhibetur 2. Reg. VIII. 9. XVI. 7. Hinc *Filii regni* pro ſubditis Matth. VIII. 12. Fideles quoque ſunt *ſemen Meſſiæ ſerviens* Pſ. XXII. 31. III. Porro ſunt *Filii* Meſſiæ, quatenus eſt ſupremus eorum Doctor. *Diſcipulos* enim *filiorum* nomen tam in ſacris quam in profanis ſcriptoribus habere conſtat. Videri poſſunt *Suicerus* in voce τέκνον. *Urſinus* Antiq. Acad. p. 35. *Gebhardus* ad Jeſ. LXVI. 7. §. 17. aliique. Et ſic fideles ſunt diſcipuli Meſſiae, quoniam ei ſe in diſciplinam tradidere, per verbum & Spiritum ejus de myſteriis regni cœlorum edocentur, ſalu-

1) *quia ejus qua Dei ſunt creatura. Nomen Filiorum Dei in genere confertur & explicatur.*

2) *quia ejus, qua Regis ſunt ſubditi:*

3) *quia ejus qua Doctoris ſunt diſcipuli:*

Landesbibliothek Oldenburg

salutarem doctrinam avide imbibunt, & per paedagogiam gratiae illucescentis Tit. II. 12. ad vitam moresque canoni a Messia praescripto conformandos adiguntur. Huc potissimum respicitur, quoties ut *Filii Sapientiæ* considerantur Prov. I. 10. XXIII. 26. Matth. XI. 19. Luc. VII. 35. IV. Denique sunt Filii Messiae considerantes celebrantesque eum, ut authorem vitae suae spiritualis & aeternae, omniaque officia observantes, quae Christo ut cœlesti Patri debentur; quo spectant *honor* Mal. I. 6. *amor* Prov. XXIII. 26. Joh. XXI. 17. *obedientia* tam activa Prov. I. 10. Matth. XX. 28-30. quam passiva in castigationibus Hebr. XII. 5. *confessio* & *deprecatio* peccatorum Luc. XV. 18. *expressio exempli* ejus 1. Petr. II. 21. *philadelphia.* 1. Joh. V. 1. *4) quia officia filiorum ei praestant.*

Nec minus fideles sunt *Filii Ecclesiæ.* Hinc ad illam dicitur: *Ab ortu faciam venire semen tuum* Jes. XLIII. 5. *Adducent filios tuos in sinu, & filiæ tuæ in humeris portabuntur* Jes. XLIX. 22. *Multi sunt filii desolatæ præ filiis maritatæ* Jes. LIV. 1. *Et omnes filii tui discipuli Jehovæ & multiplicabitur pax filiorum tuorum.* Confer Ps. CXLIV. 12. Unde & *Filii Sionis* dicuntur Ps. CXLIX. 2. Jes. IV. 4. Zach. IX. 13. quibus oppositi sunt *Filii ancillæ* Gal. IV. 31. & *Filii scortationum* Hos. I. 2. II. 4. Atque hoc nomen fideles merentur I. quia per eos Ecclesia propagatur, cujus robur & decus sunt Ps. CXXVII. 3, 4, 5. II. quia filialem erga Ecclesiam affectum spirant, commoda ejus promovent, in communione ejus studiose se conservant, praescriptis in ea verbi divini praeceptis se subjiciunt, passionum ejus sunt participes, nulloque tempore memoriam ejus ex animo suo elabi patiuntur. Psalm. CXXXVII. 5. 6. *Sunt quoque filii Ecclesiæ*

Id quoque suam emphasin habere videtur, quod in genere masculino *Filiorum*, non filiarum, mentio fit. Eo enim indicari potest, tale semen Messiam nacturum, quod virili robore instructum in provehendis regni Messiæ limitibus & firmanda Ecclesiæ felicitate augendaque ejus gloria mascule se geret. Hoc sane sensu Ecclesia, ut *pariens* υἱὸν ἄρρενα Apoc. XII. 5. introducitur. Et de ultimis temporibus Jes. LXVI. 6. *cum* *Cum emphasi ut Filii masculi considerantur.*

nondum invadet eam dolor, jam poſuit marem. Quod myſticum eſſe ipſe *Kimchius* agnovit in h. l. vocem זכר propterea adhiberi cenſens: כי הוא טוב וחזק מן הנקבה ובו ישמחו יולדיו יותר מן הנקבה כן יהיה אותי הדור שתהיה להם הישועה: i. *quod maſculus plerumque validior eſt fœmella, eoque magis gaudent Parentes, quam puella. Talem etiam fore illam generationem, quibus ventura ſalus.* Plura habet *Brand. Henr. Gebhardus* diſſertatione in h. l. inſerta Theſauro Theol. Phil. §. 8. Quibus adde ſis *Philonem* de Sacrif. Abelis. p. m. 148.

Meſſiam præcipue in noviſſimis temporibus læta prole gaviſurum ex Prophetis evincitur.

IX. Cum autem in noſtra pericopa ſecundum ſtabilitam noſtram hypotheſin ultimorum præcipue temporum ſtatus exprimatur, id præcipue hic notari meretur, alias quoque prophetias in eo colludere, quod Meſſias tum potiſſimum pulchra multaque ſobole gaviſurus ſit. Hinc *benedictiones uberum & uteri* Joſepho ſpirituali, Eccleſiæ Proteſtantium, promittuntur Gen. XLIX. 25. Hæc eſt illa prolificatio, de qua Jeſ. LX. 4. *Tolle circumquaque oculos tuos & vide, univerſi illi collecti ſunt, venerunt tibi, filii tui a longinquo venient, & filiæ tuæ ad latus geſtabuntur.* Jeſ. LXIV. 23. *Non laborabunt incaſſum & non parient per feſtinationem,* (ſive abortient) *nam ſemen benedictorum Jehovæ ſunt, & proles ipſorum cum ipſis.* Et luculentius adhuc Jeſ. LXVI. 7. 8. 9. *Antequam parturiret, peperit; antequam veniret dolor ipſi, enixa eſt MASCULUM. Quis audivit ſimilia? an parturitur terra uno die? an naſcitur gens una vice? nam parturivit, ſimul peperit Zion filias ſuas. An ego faciam parere, & non gignam, dicit Jehova? numquid ego ſum is qui gignit, & continebo me, quo minus pariam, dixit Deus tuus?* Quæ quo ſpectent, colligere in promtu eſt. Partim enim quoad externum Eccleſiæ ſtatum multiplicatio confeſſorum veritatis ſub hoc ſymbolo deſcribitur, partim quoad internum ſtatum tam illuſtres Spiritus ſancti operationes in illis confeſſoribus, ut pro γνησίοις Chriſti & Eccleſiæ filiis ſint reputandi. Utrumque conjungitur Jeſ. LX. 21. 22. *Populus tuus univerſus juſti, in ſeculum hæreditabunt terram, ſur-*

cu-

culus plantationum mearum, opus manuum mearum, ut condecorem me. Parvus erit in mille, exiguus in gentem validam. Ego Jehova in tempore suo accelerabo hoc. Consuli quoque possunt Ps. LXXII. 16. 17. CXLVIII. 11-13. CXLIX. 2. Ap. XXI. 24. sq. Hoc est *nomen novum* quod Ecclesiæ ultimæ promittitur Jes. LXII. 2. LXV. 15. per quod intelligitur nomen *Filiorum Dei*, quo etiam respicitur Apoc. II. 17. Observarunt id jam interpretes bene multi, sed non addidere rationem, cur per *nomen novum* nomen filiorum Dei intelligerent, quæ petenda est ex ritu *adoptionis* in filios, in quo nomina mutanda, nomenque novi Patris adsciscendum. De quo ritu videri possunt *Panvinius* de nomin. Rom. aliique citati a *Pitisco* in Lex. Ant. Rom. Tit. Adoptio. Hæc erit postrema mundi παλιγγενεσία, quam sterilitas & dolores partus antecedunt. Sterilitas Ecclesiæ sed brevi tollenda innuitur Cant. VIII. 8. coll. 10. Ubi *Sorori parvæ, cui non* erant *ubera*, ea mox *ut turres* attribuuntur. Dolores partus, quos pusillanimitas fidei vanos putat, neutiquam tamen frustraneos describit Jes. c. XXVI. 17, 18. 19. *Tanquam puerpera, quæ appropinquat ad pariendum, dolet, clamat in doloribus suis; sic exstitimus propter te, Domine. Uterum gessimus, cruciati sumus, tanquam peperimus ventum: salutes; non faciebamus terram, & non cadebant habitantes frugiferam. Vivent mortui tui; cadaver meum, surgent: evigilate & cantate procumbentes in pulvere, nam ros herbarum est ros tuus: & terram orcus GIGNET.*

Nomen novum est nomen filiorum.

X. Nec vereor, ad hoc quoque puerperium transferre ὠδῖνες τῆς κτίσεως, de quibus Rom. VIII. 19-22. de quo loco merito a quibusdam inter δυσνόητα Paullina, quorum Petrus mentionem facit, relato, quamvis sexcentæ sint opiniones, tres tamen potiores hæ sunt. Quidam ad instantem Ecclesiæ inter gentes præcipue in Romano imperio stabilitionem, alii ad universalem Judæorum & gentium in fine mundi conversionem, alii ad consummationem mundi universalem post resurrectionem mortuorum ab Apostolo collimari putant. Ego vero censeo, Apostolum hæc omnia simul intendere potuisse & vere

In locum Rom. 8: 19-22. digressio fit, & probatur Apostolum ad præcipuos gradus promovendæ gloriæ Ecclesiæ N. T. simul respicere:

1) *ex ſcopo Apoſtoli.*

vere intendiſſe. Id ſequitur I. ex ſcopo Apoſtoli, qui erat, ut ſpem filiorum Dei in ipſis afflictionibus corroboraret. Ea fini propoſitionem talem fecerat v. 18. *paſſiones hujus temporis non dignas eſſe futuræ gloriæ in nobis revelandæ.* Hanc propoſitionem ut confirmet, ita procedit, ut ordine & figillatim deſcribat primo quid univerſa Eccleſia, dein quid certi quidam fideles exſpectandum habeant. Spes univerſæ Eccleſiæ deſcribitur v. 19-22. Spes ſingulorum fidelium v. 23. ſq. Quid ſcopo Apoſtoli convenientius? Sic enim omnia exempla cumulantur, quæ ſpem in afflictionibus ſuffulcire poſſunt, quando in brevi tabella tum quid Eccleſia per certos gradus, tum quid ſinguli fideles ut gratioſam patientiæ mercedem exſpectandum habeant, delineatur. II. Accedit, quod πᾶσα ἡ κτίσις nullum alium facile ſenſum admittat, quam univerſæ Eccleſiæ. Aut enim univerſam naturam hic intelligere oportet, aut univerſitatem hominum, aut univerſitatem credentium & Eccleſiæ N. T. ex Judæis & gentibus collectæ. Deſignatur enim univerſitas voce πᾶσα, & quidem talis, quæ voci κτίσις convenit, quæ tanta eſt, ut vel omnia in natura, ſive macrocosmi, ſive microcosmi, vel omnia in gratia ſub ea comprehendantur. Sume verbi gratia illos, qui ſub κτίσεως nomine gentes intelligunt, *Hammondum, Knachtbulum, Ligtfootum,* non male, ſed non ſatis. Gentes κτίσις ſunt, ſed non πᾶσα. Cum ergo hic univerſa *creatura* vel *literalis* vel *myſtica* ſit includenda, & creatura literalis partim mundum exteriorem, partim ex phraſi Rabbinorum genus humanum, myſtica vero mundum Eccleſiæ ex Judæis & gentibus compoſitum comprehendat, porro ita ſtatuo, nimis inſolitam fore catachreſin, ſi quis in *creatura literali* hic vellet ſubſiſtere. Tanta enim illa foret, ut nullum hactenus ſimile exemplum neque ex ſacris, neque ex profanis ſcriptoribus oſtendi potuerit. Ut præteream, quam parum id ſapientiæ Spiritus conveniret, qui non verba, ſed res loquitur. Et quam parum ſcopo Apoſtoli, qui per ſolidam ratiocinationum catenam λογιζόμενος

2) *ex vi phraſeos* πασα κτισις, *& attributis, quæ huic creaturæ dantur, quæ tantum in membra Eccleſiæ militantis quadrant.*

v. 18.

v.18. Romanos ad constantiam in passionibus hortari studet. Monstrarunt id abunde *Deylingius*, *Ittigius* aliique. Potius igitur *creaturam mysticam* hic intelligimus, sub cujus universitate Ecclesia tam militans, quam triumphans comprehendi potest, unam panegyrin in Oeconomia N. T. conficiens. Non enim opus est, ut ab illo συναγμῷ & pariendi dolore cœlestem Ecclesiam excludamus, cum & illa suo sensu in membris Ecclesiæ militantis affligatur Apoc. VI, 9.10. 11. & sub παυσὶ κόπουσι comprehendatur Apoc. V, 13. Potissimum tamen de Ecclesia militante hic agitur. Et cur multis id probem, cum Apostolum ipsum evidentissimum omnique exceptione majorem hic habeam interpretem, qui v. 21. hanc spem habet, quod ipsa *creatura* ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. Quibus verbis insinuatur, quod talem liberationem creatura exspectet, per quam *servitus corruptionis*, cui obnoxia est, transmutabitur *in libertatem gloriæ Filiorum Dei*, cujus libertatis nulla creatura, præter semen electum capax est. III. Nec infrequens istud est in sacris, ut certum aliquod bonum Ecclesiæ universæ promittatur, quod tamen plures gradus comprehendit, qui diversis temporibus implendi. Exemplum hic dabit promissa *vivificatio*, quæ cum *revelatione Filiorum Dei*, de qua in textu nostro agitur, eodem redit. Hanc enim Apostolus noster 1. Cor. XV, 22. ita in genere describit, ut diversos & ferme eosdem, quos hic statuimus, gradus statim subjungat v. 23. sq. ita ratiocinans: *Sicuti in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur; unusquisque autem* ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι *in suo ordine; Primitiæ Christus; deinde ii, qui sunt Christi, in adventu ejus:* (quem adventum varios iterum gradus sub se comprehendere patet, *tum* quia statim a *fine* distinguitur: *tum* quia cum dicto Ps. CX, 1. confertur: *tum* quia designatio mortis, ut *ultimi* hostis, supponit varios hostes præcedentes, suo ordine per adventum Christi abolendos. Ita enim pergit Apostolus:) *deinde finis, cum tradiderit Regnum Deo & Patri, cum abolerit*

3) *ex more scripturæ cum hac hypothesi conveniente. Conferuntur 1. Cor. XV, 22. sq.*

verit omnem principatum & omnem poteſtatem & virtutem: Oportet enim illum regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos. Ultimus inimicus abolebitur mors. Sic creatio cœli novi & terræ novæ Jes. LXV, 17. 2. Petr. III, 13. inchoata jam eſt in initio N. T. continuabitur in ultima periodo, & perficietur in conſummatione ſeculi. Quin in ipſa oratione Dominica, quando jubemur orare pro ſanctificatione Nominis Dei, adventu Regni ejus, implemento voluntatis ejus, redemtione a malo, credibile eſt ſummum Doctorem omnes horum beneficiorum gradus in oculis habuiſſe, ut ita perfectum hoc orationis exemplar omnibus temporibus Chriſtianæ Eccleſiæ accommodatum eſſet. Eodem modo ſub emblemate παλιγγενεσίας Matth. XIX, 28. recte & primorum & ultimorum temporum gloria ſimul comprehenditur, ad quæ promiſſionem hanc extendi debere ex parallelo loco Apocal. XX, 4. patet. Præſertim quia in illa *Regeneratione* XII. tribus Iſraelis judicandæ, quæ univerſam Eccleſiam N. T. ab initio ad finem deſignant, cujus fata ſecundum numerum filiorum Jacobi in XII. periodis propoſuere Jacobus Gen. XLIX. & Moſes Deut. XXXIII. Et præcipue huc pertinent χρόνοι ἀποκαταστάσεως πάντων Act. III, 21. Nam per *inſtaurationem omnium* hic omnes gloriæ gradus deſignari, per quos ad ſummam perfectionem Eccleſia eniti debet, perſuadeor 1) per vocem univerſalitatis, πάντων, quæ ſine ſontica cauſſa non eſt reſtringenda, quæque, quod in tranſitu moneo contra Lutheranos, evidentiſſimum hic exemplum præbet, quod ſub ea ſæpius univerſitas electorum deſignetur. 2) quia in plurali de χρόνοις ſermo eſt, quo evidentiſſime indicatur, diverſa tempora in conſilio Dei præſtituta eſſe, quibus hoc bonum exſpectandum ſit. 3) quia additur, de hujus ἀποκαταστάσεως *temporibus omnes ſanctos ejus Prophetas ab initio mundi* locutos eſſe, quod diſtributive intelligi nequit, quia non omnes Propheræ de ſingulis temporibus teſtificati ſunt, ſed neceſſario ſumendum eſt collective. Cum enim hic de illo, alius de alio gradu ἀποκαταστάσεως prophetaverit,

Jeſ. LXV, 17. 2. Pet. III, 13. & oratio Dominica Matth. XIX, 28.

præcipue Act. III, 21. de inſtauratione omnium.

rit, plenum omnium temporum ſyſtema ex omnibus Prophetis colligi poteſt. Nondum manum de tabula tollo. Sed ut eo magis ad oculum pateſcat, varios gradus felicitatis in Eccleſia N. T. exſpectandæ frequenter ſub una voce phraſive contineri, liquidiſſimum addo locum ex Pſ. VIII, 7. *Omnia poſuiſti ſub pedes ejus.* Quod quamvis ſecundum primum intuitum videatur unicum actum innuere, omnes tamen gradus comprehendit, in reliqua Pſalmi parte commemoratos, in quibus per diverſa tempora illa ſubjectio fieri debebat. Hæc non noſtra, ſed ipſius Paulli ſententia eſt, qui propterea Hebr. II, 8. hanc objectionem, poſtquam locum Pſalmi citaverat, ſubjicit: *Nunc vero nondum videmus omnia ipſi ſubjecta eſſe.* Hanc objectionem Apoſtolus in verbis ſtatim ſequentibus ut æquam ſupponit, quare eam non negat, ſed tamen monet, initium *ſubjectionis* illius ſaltem jam in ſuis temporibus conſpici. IV. Novum argumentum meæ hypotheſi ſuppeditat terminus a quo & terminus ad quem *Filiationis* fidelium ab Apoſtolo fixus. *Terminus a quo* conceptis verbis v. 22. indicatur ἄχρι τῦ νῦν, *usque nunc*, ſeu *hactenus.* Cœpit ergo jam tum *exſpectatio gloriæ filiorum Dei*, quæ non poteſt ſumi de gloria futuræ vitæ privative, quia illa v. ſq. huic ut ſolamen ſpei ſingulorum fidelium contradiſtinguitur. Nec poteſt etiam referri ad gloriam ultimorum temporum, quia alias exſpectatio fruſtranea, nimisque feſtina fuiſſet, contra monitum Jes. XXVIII, 16. Exſpectatio ergo univerſæ Eccleſiæ, quæ jam tum cœperat, neceſſario reſpicere debebat imminentem eo tempore Eccleſiæ amplificationem & confirmationem. *Terminus* autem *ad quem* eſt corporum reſurrectio, quia ea ſub *filiatione*, de qua in tota pericopa agitur, v. 23. ſimul comprehenditur. V. Porro ſecundum hanc hypotheſin omnes phraſes plenam emphaſin habent, & ex uſu ſymbolorum in propheticis aptiſſime explicari poſſunt. VI. Denique pauciſſima ſunt, quæ huic hypotheſi opponi poſſunt, eaque talia, ut facili opera elidantur. Studioſe ea conquiſivit *Cl. Gothar-*

4) *Ex terminis a quo & ad quem, quos Apoſtolus figit.*

5) *Ex interpretationis ſecundum hanc hypotheſin facilitate.*

6) *Denique ex eo-*

rum, quæ huic ſententiæ objici ſolent levitate.

hardus Heideggerus Recreat. Sacr. P. II. p. 175. ſqq. 1) *Novitatis præjudicium.* Sed iſtud bonæ cauſſæ præcipue in interpretatione ſacrarum literarum nihil officit. Incrementum cognitionis a Prophetis promiſſum id poſtulat, ut ſemper aliquid ſequenti ætati remaneat detegendum, quod nondum ita clare præcedentes viderunt. Et ipſe faſſus erat Vir doctus, *Zwinglium*, *Bullingerum*, *Rivetum*, at quantos Viros! in ea hæreſi fuiſſe. Quin *Ittigius* antiquiores etiam *Gregorium M. Remigium*, *Lanfrancum Cantuarienſem* non alienos ab hac opinione fuiſſe in ſua de gemitu Creat. Diſſert. §. 70. 71. probatum dedit. 2) *Urgetur*, *quod vox κτίσις ſolitaria* (*aliud enim eſſe* νεὰν κτίσιν) *in toto contextu ſacro hoc ſenſu nunquam monſtrari poſſit.* Sed huic objectioni nervos ſtatim ſequens hujus vocis exegeſis incidet. 3) Additur, *neceſſum habere hujus explicationis Patronos* v. 13. *per illos*, qui primitias Spiritus nacti ſunt, *& inter quos ſe Paullus annumerat*, *intelligere in prima illa Pentecoſte cœleſti illo igne perfuſos Apoſtolos. An vero id Paullus de ſe dicere potuiſſet*, *utpote*, *qui tot annis poſt converſus fuit? Non videt Vir Cl. quid hic reſponſuri ſimus.* Sed res in vado eſt. Ponderetur tantum nexus, quem ſupra deteximus. Licet ſecure per eos, *qui primitias Spiritus accepere*, fideles ejus temporis & ſpecialius ex Judæis, ſpecialiſſime vero ipſos Evangelii Miniſtros intelligere. Nihil conſuetius eſt in Scriptura, quam ab Eccleſia generali certa quædam membra eam conſtituentia diſtinguere & ſigillatim conſpicienda dare. Sic in noſtro Pſalmo Sponſam a Filiabus Regum & virginibus pediſſequis diſcrevimus. Hoſpes ſit in ſacris, qui ignorat ſexcenta ejusmodi exempla cumulari poſſe.

Additur loci totius analyſis & exegeſis.

XI. Libet jam paulisper accuratius locum ipſum inſpicere, ut eo magis pateat, quanta ei ex noſtra hypotheſi lux affundatur. Tota pericope in duas partes poteſt reſolvi. Continetur enim in ea

I. Propoſitio, qua deſcribitur ſpes totius Eccleſiæ de ulteriori fidelium glorificatione poſt paſſiones obtinenda v. 19.

A. Sub-

A. Subjectum hujus propositionis est ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως. Notandus hic Hebraismus, quo substantivum regens pro adjectivo ponitur, & de quo accurate egit doctissimus *Joh. Vorstius* Philolog. Sacr. de Hebr. N. T. c. X. cujus exemplis hoc nostrum addi meretur. Est enim idem, ac si Apostolus dixisset ἡ κτίσις ἀποκαραδοκοῦσα, *creatura intense exspectans.* *Hebraismus in constructione notatur.*

κτισις designat hic Ecclesiam universam omnium temporum. Pro fidelibus sumi singulari dissertatione post alios defendit *Cl. Ittigius*, quem secutus est *Sal. Deylingius* Observ. Sacr. I. c. 38. In eo tamen ab iis differimus, quod ob additum πᾶσα in sequentibus fideles totius Ecclesiæ omniumque temporum intelligimus. Quare quæ alias alio respectu dicitur καινὴ κτίσις 2. Cor. V, 17. Gal. VI, 15. hic quoque commode πᾶσα κτίσις potest dici. Nec ulla ratio cogit, ut idem substantivum aliam in mutata hac adjectione nanciscì necessario notionem credamus. Ne tamen putent, qui contrarias partes sequuntur, exemplum parallelum nobis deesse, damus illud adæquatum ex Col. I, 15. ubi Christus πρωτότοκος πάσης κτίσεως dicitur. Ubi ratio primogenituræ nos eo ducit, ut per *creaturam* nihil præter Ecclesiam intelligamus. Eorum enim quis primogenitus est, quorum frater est, & quos sanctificat: id quod tantum vera Ecclesiæ membra ratione Christi habent. Et ita mysterium primogenituræ Christi a nostro Apostolo evidenter explicatur Hebr. II, 11. & in ipso nostro capite Rom. VIII, 29. Ratio autem denominationis hujus petenda est ex creatione mystica per creationem mundi repræsentata, per quam tota Ecclesia est *novum cœlum* & *nova terra*, singulique fideles considerari possunt, ut ποίημα Θεοῦ, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ Eph. II, 10. In qua significatione hæc vox synonyma est cum vocibus עולם αἰὼν, κόσμος, quæ cum per se universitatem *κτίσις & quidem πᾶσα ad Ecclesiam universam est referendum.*

mundi & hominum deſignent, itidem ſœpe ad univerſitatem Eccleſiæ transferuntur. Adde Apoc. V, 13.

Exſpectatio quæ fit exſerto capite Eccleſiæ propria eſt.

ΑΠΟΚΑΡΑΔΟΚΙΑ eſt peculiaris Eccleſiæ proprietas, non mundi inanimati, nullis affectibus obnoxii, neque hominum in genere, quorum longe maxima pars a ſpe fidelium eſt excluſa. Deſignat exſpectationem, quæ fit exſerto capite, qualis & per verbum צפה exprimitur ſecundum *Geierum* in Pſ. XL, 2. quæque ſymbolum eſt *ſpei*, quæ ſub χρίμαπι mulieris erecto capite ſtantis in nummis Romanorum non raro occurrit. *Exertio capitis* innuit 1) perſuaſionem certam de re ſperata: 2) intenſiſſimum deſiderium: 3) expectationem, quod res ſperata cœlitus ope divina ſit ſiſtenda. *Anchora* enim hæc εἰσέρχεπαι εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος, *quo præcurſor noſter Jeſus intravit*. Quæ quoque cauſſa videtur, cur ſpes ſalutis ſub emblemate *galeæ*, quæ eſt capitis tegumentum, criſtis ſuis in altum adſcendens, proponatur 1. Theſſ. V, 8. Sub eadem figura ſpem vivam diſcipulis ſuis injungit Salvator noſter Luc XXI, 28. *Quando vero illa fieri incipiunt, ſurſum ſuſpicite* (confer ſimilem phraſin Pſ. CXXIII, 1.) *& tollite capita veſtra, quia appropinquat redemtio veſtra.* Locus hic accurate cum noſtro conferri meretur, quia ejusdem cum noſtro eſt extenſionis, adeoque ad ſtabiliendam noſtram hypotheſin apprime aptus. Præſcribitur enim in eo diſcipulis (qui & hic & aliis in locis totam Eccleſiam ſuper eos fundandam repræſentant) officium in omnibus gradibus ſalutis Eccleſiæ, quæ adhuc futura erat, obſervandum. 1) quia potiſſimæ revolutiones Eccleſiæ a παιδοτρεία Solymorum usque ad conſummationem ſeculi in præcedentibus per compendium a Domino deſcriptæ erant; καιροὶ & πληρώματα ſingula eorum v. 24. 2) quia ἀπολύτρωσις itidem vox eſt, quæ redemtionem Eccleſiæ diverſis gradibus conſummandam exprimere poteſt, & hic debet, propter varia judi-

Spes cum galea comparatur.

Luc. XXI, 28. illuſtratur.

judicia antea recensita, quæ singula in certa quadam ἀποκατάστασιν finient. 3) quia hæc redemtio dicitur ἐγγίζειν. Appropinquatio enim per certos gradus fit. Sic dicitur *appropinquare regnum cœlorum* Matth. III, 2 *dies Domini* Hebr. X, 25. 4) quia *terminus a quo*, qui a Salvatore huic exspectationi figitur, idem est cum eo, quem Apostolus statuit: *quando hæc fieri incipient*: cum tamen terminus redemtionis ad ultima tempora, in quibus demum καιροὶ ἐθνῶν *complementum*, de quo v. 24. sortientur, excurrat. Quod aliter intelligi nequit, quam quia hæc *exsertio capitis* totius Ecclesiæ per omnes redemtionis gradus officium est. Frustra enim fidelibus temporum Christi privative consideratis injungeretur expectatio *redemtionis* post tot revolutiones educendæ, quarum finem ætas eorum attingere non poterat. Quare cum præparatione ad priorem redemtionis articulum inchoare quidem spes Ecclesiæ debebat, sed post ejus obtentionem continuari, donec ulteriora exspectanda restabant.

B. Prædicatum hujus creaturæ est, quod *revelationem filiorum* Dei exspectet.

1. Objectum est *revelatio filiorum Dei.* *Creatura hæc considerata ut mater filiorum Dei.*

ΤΙΟΙ ΤΟΥ ΘΕΟΥ hic non opponuntur creaturæ, quod quidam universitatem naturæ per creaturam hic innui præsumentes hic objecerunt, sed subordinantur. Creatura Ecclesiam universalem designans Mater est illa, cujus symbolum antea explicavimus, singulos fideles, & præcipue futuris temporibus adhuc adducendos pro suis filiis quoque agnoscens, quod evidentissime patet ex *doloribus partus*, qui huic *creaturæ* v. 22. attribuuntur, ut ostendatur, eam ratione filiorum Dei, qui Pater est, ob mysticum cum eo conjugium *Matris* vicem gerere.

ΑΠΟΚΑΛΥΨΙΣ eorum potest respectum habere ad apertu- *Revelatio filiorum Dei respicit ad aperturam Te-*
ram Testamenti, in quo quis adoptatus & pro hærede declaratus est, atque consequenter ad hæreditatem intro-
mitti-

Tamenti, in qua eorum perſonæ & bona patefiunt.

mittitur. Sic ſolitum apud Romanos, ad quos Apoſtolus ſcribebat. *Vell. Paterculus* II, 59. *Cæſaris deinde teſtamentum apertum eſt, quo Octavium nepotem ſororis ſuæ Juliæ adoptabat.* Sane cum ἀποκάλυψις non tantum de myſteriis & veritatibus abſconditis, ſed etiam de perſonis & rebus uſurpari poſſit, quæ ſtatutis temporibus comparent 2. Theſſ. II, 6. 8. hic talis intelligenda, per quam tum perſonæ filiorum Dei plerumque coram mundo ignotæ, tum bona & privilegia eorum promiſſionum involucris hactenus abdita per implementum in clara luce ponuntur. Talis *revelatio* facta eſt in initio N. T. quando Sponſa Chriſti nolebat amplius eſſe בעטיה *ut velata* Cant I, 7. & omnes fideles ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ *gloriam Domini conſpiciebant* 2. Cor. III, 18. quocum conjuncta erat ἀποκάλυψις *gentium* Luc. II, 32. Alia ἀποκάλυψις exſpectatur eo tempore, quo *abolebit Jehova exercituum faciem tegminis impoſiti omnibus populis & velamen impoſitum omnibus gentibus* Jes. XXV, 7. Sed perfectiſſima erit illa *revelatio* ſalutis & hæreditatis, ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ, de qua 1. Petr. I, 5. Niſi velis hic quoque per καιρὸν ἔσχατον totum tempus Œconomiæ N. T. intelligere, in quo ſalus & per gradus revelata eſt, & porro revelabitur: in qua ſententia nihil eſt abſurdi, & quod non apprime cum ſcopo Apoſtoli conciliari poteſt. Poſſet etiam per *revelationem filiorum Dei* deſignari revelatio ipſius Servatoris, quatenus filiis Dei promiſſa eſt. Sane frequenter adventus illius diverſus ad Eccleſiam N. T. tam in gratia quam in gloria ἀποκάλυψις dicitur. Sed huic conjecturæ non inhæreo.

Exſpectatio actus eſt Eccleſiæ propius.

2) Actus eſt ἀπεκδέχεσθαι. *Exſpectat* creatura hanc revelationem. Hic actus ſoli populo Dei privus eſt, nec unquam vox niſi de eo uſurpatur. Illi ſunt ἀπεκδεχόμενοι I. Cor. I, 7. Hebr. IX, 28. Confer Gal. V, 5. Phil. III, 20. Cum ἀποκαραδοκία perpetuo inhærens ſit Eccleſiæ qualitas, actu ipſo eam exſerit, & pro gradibus revelationis eam ita exſpe-

exſpectat, uti cum ſignis temporum convenit. Hinc triplex exſpectatio diſtinguitur Pſal. CXXX, 5.6. *Exſpectavi Jehovam, exſpectavit anima mea, & ad verbum ejus præſtolatus ſum.* Quod ſtatim elucidatur per ſimile vigilum, qui in tribus diverſis noctis vigiliis, unus poſt alium, exſpectant mane illuceſcens: *Anima mea eſt ad Jehovam, præ excubitoribus matutinis obſervantibus matutinum.* Similis gradatio exſpectationis proponitur in emblemate agricolæ exſpectantis primo *pluviam primam*, dein ea accepta *ſerotinam* Jac. V, 7.8. *Ecce agricola exſpectat pretioſum fructum terræ, longanimitate utens propter eum, donec accipiat pluviam primam & ſerotinam. Longanimes eſtote & vos, ſtatuminate corda veſtra, quia adventus Domini appropinquat.* Pſal. CXXX. 5. 6. explicatur.

II, Confirmatio propoſitionis inſtituitur duobus argumentis.

A. Prius eſt petitum a natura humiliationis Eccleſiæ, quam exprimit Apoſtolus v. 20. 21. In quo bene diſtinguenda ſunt tria, quæ ſingula ſuum momentum ad confirmationem propoſitionis Apoſtolicæ afferunt.

1) Humiliatio ipſa, quæ duabus phraſibus deſcribitur a) ut *ſubordinatio vanitati* v. 20. b) ut *ſervitus corruptionis* v. 21.

ΜΑΤΑΙΟΤΗΣ. Vox emphatica, reſpondens Hebræorum הבל שוא ריק, de quibus a τοῖς ὁ uſurpatur. Optime generalem ſignificatum ejus expreſſit *Gregorius Nyſſenus* Homil l. in Eccleſ Tom. l. p. 376. Ματαιότης ἐστὶν, ἢ ῥῆμα ἀδιανόητον, ἢ πρᾶγμα ἀνόνητον, ἢ βυλὴ ἀνυπόστατος, ἢ σπυδὴ πέρας οὐκ ἔχουσα, ἢ καθόλυ τὸ ὅλως παντὶ λυσιτελῶς ἀνύπαρκτον i. *Vanitas eſt vel verbum, quod non cadit ſub intelligentiam; vel res inutilis; vel conſilium, quod non poteſt conſiſtere; vel ſtudium, quod non pervenit ad finem; vel ut in ſumma dicam, id quod in quavis re utili non poteſt conſiſtere.* Magis tamen liquido addi debuiſſet frequentiſſima ejus in ſacris notio, qua de doctrina ſtulta & ex humano ingenio Ματαιότης quadruplicem vanitatem nominare poteſt:

Landesbibliothek Oldenburg

confícta adhibetur. Quicquid ſit, quatuor diverſis ſubjectis hic conjungendis tribui poteſt. 1) perpetuæ vitæ hujus viciſſitudini, omnibusque, quibus ejus tranquillitas turbatur, caſibus, præſertim peccaminoſis. Hinc τὰ σύμπαντα ματαιότης Pſalm. XXXIX, 6. Eademque vox a LXX. ponitur Eccl. I. 2. 14. II. 1. &c. 2) Judaismo qui ματαία 1. Petr. I, 18. præſertim poſtquam ejus doctrina ſtatutis hominum eſt adulterata. Hinc Magiſtri eorum deſcribuntur *ut diligentes* ματαιότητα ריק Pſ. IV, 3. Confer Pſ. XXXI, 7. 3) Gentilismo idololatria corrupto, cui Paulus ματαιότητι τοῦ νοὸς tribuit Eph. IV, 7. Confer Act. XIV, 15. Rom. I, 22. Idola ipſa dicuntur הבלי שוא Jerem. II, 15. Jon. II, 9. אלילים, quod μάταια vertitur Zach. XI, 17. 4) Antichriſtianismo, cujus aſſeclæ innuuntur Pſ. CXLIV, 8. notati ut tales, *quorum os loquitur* שוא. ματαιότητα. Quin vigiles & architecti hujus Pſeudeccleſiæ degenerantes innuuntur ut tales, qui לשוא, ſecundum LXX. εἰς μάτην *laborarunt & vigilarunt* Pſ. CXXVII, 1. 2.

1) *variorum vitæ humanæ caſuum,*

2) *Judaismi,*

3) *Gentilismi,*

4) *Antichriſtianismi,*

ΥΠΟΤΑΞΙΣ ſub hac vanitate non poteſt intelligi de *ſubjectione activa*, qua quis obſtringitur ad imperata facienda, quia eſt contra voluntatem, & tamen a Deo impoſita, quod non quadrat niſi in *ſubordinationem paſſivam*, quo ſenſu verbum hoc occurrit Luc. X, 16. Hebr. XII, 9. Sic fideles *ſubordinati* ſunt peccato & legi ejus, unde vita eorum miſeriis multis abundat Rom. VII, 17. ſq. Hebr. XII, 1. & Judaismo, Gentilismo, Antichriſtianismo, quia multa inde patienda habuere, & etiamnum habent.

Subjectio vanitati paſſive intelligenda.

ΦΘΟΡΑ eandem rem deſignat, quam Apoſtolus vanitatem appellavit, ſed plus miſeriam ejus exprimit. Activam & paſſivam ſignificationem admittit. Poteſt enim ſive id deſignare, quod *perniciei* ſubjectum eſt, ſive id quod aliis *perniciem* cauſſatur. Res ſub titulo ματαιότητος comprehenſæ ipſæ *perniciei* ſunt ſubjectæ, quia in mortem

Vanitas & ipſa perniciei ſubjecta eſt & eam cauſſatur aliis, qui ſubjecti ſunt.

æter-

æternam desinent; & aliquatenus fidelibus eam caussantur, quia in afflictiones multas ipsamque mortem temporalem eos præcipitant. Peccata sunt ἐπιθυμίαι φθορᾶς 2. Petr. I, 4. Judaismi statuta ceremonialia erant εἰς φθοράν Col. II, 22. Gentilismus Ecclesiam pene delevit, ipse tamen abolendus. Et quid est Antichristianismus nisi fovea perditionis, in qua ὁ Ἀπολλύων regnat ἐν τῇ ἀπωλείᾳ, quem itidem Deus ἀναλώσει Spiritu oris sui? Quo spectat illa φθορὰ præcursoribus ejus attributa. 2. Petr. II, 12.

ΔΟΥΛΕΙΑ *perniciei* conceptum miseriæ auget. Ne hic intelligas *servitutem* activam, quæ solis competit profanis, hostibus Ecclesiæ & veritatis, qui sunt δοῦλοι τῆς φθορᾶς 2. Petr. II, 19. Potest tamen fidelibus in hac vita sicut passiva ὑποταξις ita & δουλεία perniciei adscribi. Exemplar Apostolus præcedenti capite in sua persona dederat, quando se proposuerat ut τῇ σαρκὶ δουλεύοντα νόμῳ ἁμαρτίας Rom. VII, 25. & quidem ut *servum venundatum* v. 7. Quod symbolum hic ei magis competit, quia *servi venundati* præ aliis ad sordida ministeria cogebantur contra voluntatem, & tyrannice habebantur. Debebant enim nutum sequi Dominorum, sive vellent, sive nollent, tolerare auris perforationem, aliaque pati quamplurima, a quibus liberi erant, qui se ipsos vendiderant. Confer *Maimonidem* de servis c. 3. §. 9. *Dassovium* de Emphas. Sacr. Voc. Diff. I. §. 6. *Cramerum* Theolog. Israelis P. I. cap. 6. §. 22. Gemunt ergo & fideles sub δουλείᾳ τῆς φθορᾶς, tum quia peccati reliquiæ ipsis adhærent, tum quia per varias persecutiones tyrannice oppressi sunt a Judæis, Gentilibus & Antichristi assecIis, quarum typus in *servitutibus* variis Israelitarum in Ægypto, sub Cananæis & Babyloniis datus fuit. Sic *dominatum est sceptrum improbitatis super sorte justorum* Ps. CXXV, 3. præsertim sub Antichristianismo. Conf. Joel. III, 11. 12.

Servitus iterum non activa sed passiva intelligitur, quæ sola in fideles quadrat.

Rom. VII, 7. explicatur, Servi venundati differebant ab iis, qui se ipsos vendiderant.

Landesbibliothek Oldenburg

Deſcriptio hujus miſeriæ tam viva confirmat propoſitionem. Quid enim æquius, quam in tanta animæ & corporis παλαιπωρίᾳ meliora deſiderare & exſpectare ?

2) Origo porro hujus humiliationis tum negative tum affirmative proponitur: *non ſpontanea, ſed per vel propter ſubjicientem.*

Quomodo non ſponte ſua ſubjecti ſint fideles, docetur.

ΟΥΧ ΕΚΟΥΣΑ i. ἀναγκαζῶς 1. Pet. V, 2. Εκουσίως enim apud τὰς ὁ reſpondet τῷ נדבה Pſ. LIV. 8. & τῷ לבו נשא Exod. XXXVI, 2. Scilicet creatura *non tollit animam ſuam ad vanitatem*, quod eſt gnorisma fidelium N. T. Pſ. XXIV, 4. Suſpirat: *Transverſos age oculos meos, ne videant vanitatem* Pſ. CXIX, 37. Nec tantum quatenus *vanitas* peccatis eſt inquinata, cum non amplius ἑκουσίως peccent Hebr. X, 26. ſed etiam quatenus afflictionibus multis fideles premit, ab ea abhorrent. Fas quidem eſt, patienter ſe providentiæ divinæ ſubjicere; nemo tamen ſanæ mentis ultro afflictiones amplectitur. Nam *carnem ſuam nemo odio habet* Eph. V, 29. Et qui ſub iis ſunt, ſecundum exemplum ipſius Salvatoris, calicem præterire deſiderant. *Hei mihi! quod inquilinus ſim apud Meſech: habito apud tentoria Kedar* Pſ. CXX, 5.

Variis modis tamen eos Deus ſubjecit, & variis de cauſſis.

ΥΠΟΤΑΞΑΣ eſt ipſe Deus. 1) per æternum decretum. *Conſilio tuo regis me*, fatetur afflictus Aſſaph Pſ. LXXIII, 24. 2) Per ſtatutum ſtatim a lapſu manifeſtatum, quod erecto licet fœdere gratiæ & promiſſa redemtione ſub vanitate tamen ipſi fideles tamdiu manſuri ſint, donec in pulverem redeant. Quo ſpectant omnes minæ Gen. III, 16-19. 3) Per fœdus Noachicum, quo conſtans ordo viciſſitudinum in Eccleſia & tota terra ſtabilitus eſt Gen. VIII, 22. 4) Per prophetias, quibus omnes paſſiones Eccleſiæ ſunt prædictæ. 5) Per efficacem providentiam, qua tentationes dirigit. Hinc dicitur aliquando *vendere populum ſuum* Pſ. XLIV, 13. Et ὑποταξις *ſub Patre Spirituum* in omnibus tentationibus & afflictionibus expreſſe commen-

Landesbibliothek Oldenburg

mendatur Hebr. XII, 9. Cum autem rationes habeat sapientissimas, cur non uno ictu Ecclesiam glorificer, sed colluctari variis difficultatibus per aliquod tempus permittat, ut fideles suam ἀδυνεία sentiant, gratiæ divinæ totum opus salutis in solidum adscribant, eique unice adhæresçant; quid æquius, quam creaturam, quamvis non ultro, subjici tamen, voluntatique divinæ morem gerere?

Novum hic latet fundamentum spei. *Quare frustra creasset* Deus *filios hominum?* Ps. LXXXIX, 48. Si Deus subjecit, ab eo nil nisi lætus exitus exspectandus, quia misericors fidelium Pater est.

3) Exitus humiliationis in promissa liberatione: *sub spe, quod & ipsa inde liberabitur in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

ΕΠ ΕΛΠΙΔΙ. Indicatur Deum, dum subjecit creaturam vanitati, ei simul per promissiones multas spem feciisse.

ΟΤΙ ΚΑΙ ΑΥΤΗ. Insertio particularum καὶ αὐτὴ innuit oppositionem, qua fideles N. T. opponuntur sive illis filiis, qui jam in gloriam introducti sunt, sive illis, qui umbraticæ liberationis olim participes evaserunt.

ΕΛΕΥΘΕΡΩΘΗΣΕΤΑΙ. Sicut δουλεία varias partes miseriæ adumbrat, ita etiam hæc *liberatio* ad illas omnes se extendit. *Liberabitur* igitur creatura plene a vanitate quoad reliquias peccati in resurrectione: nec minus tamen pro *liberationibus* Ecclesiæ habendæ, tum in principio N. T. illa, qua ad plenam libertatem Oeconomiæ novæ introducta est, tum illa, qua a Tyrannorum insultibus in fine temporis vindicabitur. Servus, qui venditus erat, aut anno septimo aut Jubilæo *liberabatur*. Annus septimus N. T. in genere, Jubilaeus vero tempus ultimum ipsamque ex pulvere reductionem adumbrare potest. Eo usque se extendit promissio Joh. VIII, 32.

Liberatio Ecclesiæ per gradus instituetur.

Landesbibliothek Oldenburg

Libertas bonum ſolis electis conveniens.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ &c. *Libertas gloriæ* hic eſt *libertas glorioſa.* Boni hujus nulla creatura irrationalis eſt capax: quia libertas eſt voluntatis proprietas, & ad poſſeſſionem gloriae conſcientia requiritur. Proprium eſt Novi Teſt. ſed non uno ictu perficiendum. Quamdiu enim aliquid impedimenti reſtat, quo detinentur fideles, ut nequeant omnia facere, quae in honorem Dei volunt & debent, tamdiu *libertas* nondum eſt plenaria. *Libertas* & *gloria* Eccleſiae pari paſſu ambulat. Sicut autem de *gloria in gloriam* pergit 2. Cor. III. 18. ita etiam de *libertate* in *libertatem.*

Cum vero Deus ſubjiciens creaturam vanitati, tantam ſimul ſpem fecerit, quid aequius quam exſpectatione jugi promiſſiones Dei amplecti, & in ea tamdiu perſeverare, donec omnes impletæ ſunt?

Creatura hucusque gemens & parturiens eſt Eccleſia praeteriti temporis.

B. Alterum argumentum petitum eſt ab exemplo Eccleſiæ, quæ hactenus in mundo fuit. *Scimus enim, quod tota creatura hucusque una gemit & una parturit* verſ. 22. Quamdiu fuit κτίσις Dei in terra, tamdiu anxiam exſpectationem in futuram ſalutem protendit: praeſertim cum illa exſpectatio novis identidem Dei promiſſis excitaretur, ipſoque nomine ejus memoriali, Jehova, *futurum* ſemper intendente, confirmaretur. Quamvis enim ii, qui temporibus elapſis in Eccleſia vixerant, primo loco ſpe videndi Salvatorem in carne macerati fuerint, ſimul tamen & cætera promiſſa deſiderabant impleri, quæ de applicanda ſalute per Chriſtum parta & conſummanda Eccleſiæ gloria totiens iis data & repetita erant. Hinc duo illi motus, per συγενάζειν & συωδίνειν expreſſi, qui ita ſibi affines ſunt, ut poſterior propinquius, prior vero magis remotum ſpei implementum videatur includere. Unde conjecturæ anſa naſcitur, annon Apoſtolus per binas has voces ad duplicem elapſorum temporum Oeconomiam reſpicere voluerit?

Συ-

ΣΥΣΤΕΝΑΖΕΙΝ quid sit, patet ex descriptione στεναγμὸς apud *Philonem Judæum*: ἔστι στεναγμὸς, σφοδρὰ καὶ ἐπιπεταμένη λύπη. πολλάκις γὰρ ἀλγοῦμεν, οὐχὶ στένοντες. ὅταν δ' ἐπιστένωμεν, ἀνιαρῶς καὶ πάνυ ὀμβρηρῶς χρώμεθα ταῖς λύπαις. i. *Gemitus est tristitia interna atque vehemens, nam sæpe tristamur non gementes: sed quoties ingemiscimus, valde molestè inundamur, obruimurque doloribus.* Sic ille Allegor. Legis lib. II. p. 100. Et conferri potest idem in libro quod det. potiori insid. p. 177. Gemitus hic egregie convenit Ecclesiæ sub promissione, solitariæ, vagæ, cum perpetuis vitæ incommodis fluctuanti, & a spe videndi in hac vita promissam salutem longissime semotæ. Talis gemitus fuit protoplastarum, quando, erecto licet fœdere, expellebantur tamen e paradiso Gen. III. 23, 24. Hevæ, quando filium suum secundum, post elusam prioris spem, *Habelem* a vanitate appellabat Gen. IV. 2. Sic gemuit Lamechus Gen. V. 29. Abrahamus Gen. XV. 2. Jacobus Gen. XLIX. 18. Jobus c. XIX. 27. tota Ecclesia Israelis in Ægypto Exod. I. 14. II. 23. *Gemitus proprius est Ecclesiæ sub promissione.*

ΣΥΝΩΔΙΝΕΙΝ exprimit *pariendi dolores*, ubi tempus propinquum est. Secure ergo tribui potest Ecclesiae V. T. quæ est mater mystica fidelium N. T. Cant. I. 6. in qua fuere illi προσληπτικόπες, de quibus Ephes. I. 12. Et certe multiplices sunt ὠδῖνες, חבלים, quibus exerceri illa Eceleſia debuit, ut magno molimini Dei de consummanda salute via sterneretur. Huc pertinet tota sub lege fatigatio. Hoc intendebant omnia judicia, quibus populus Judaicus sœpe pressus est, ut ante salutis pleniorem manifestationem vivum exemplar impotentiæ carnis daretur. Quin illæ post Assyriacam Israelis & Babylonicam Judæ captivitatem, populi hujus per gentes dispersiones, Palæstinaque a Romanis in provinciam redacta, annon jure inter *dolores partus* numerantur, cum his mediis Deus usus fuerit, ut gentium in Ecclesiam introductio eo facilior esset? *Dolores partus in Ecclesia sub lege ostendantur.*

Com-

Landesbibliothek Oldenburg

Communio doloris per σὺν indicata in utrisque vocabulis innuit arctum vinculum, quod inter omnes partes Ecclesiæ intercedit, præcipue quoad afflictiones. Hæ enim non tantum omnibus Ecclesiæ statibus & vicibus communes fuere, sed etiam arctiorem inter se χάριν habent, quia præcedentes afflictiones identidem sequentium typi fuere.

Cum ergo tota Ecclesia, quæ unquam & usquam fuit, unam spem hactenus habuerit, fore, ut per afflictiones gloria Ecclesiæ magis magisque proveheretur, quid æquius erat, quam spem illam porro conservare, cum implementum ejus longe propinquius immineret?

Jure igitur nostrum locum, cum excellentiores gradus revelationis filiorum Dei comprehendat, ad illam quoque revelationem speciatim applicamus, de qua Psalmista in nostro versu agit.

Per filios Messiæ ab Ecclesia pariendos Judæi convertendi præcise intelligi possunt:

XII. Id adhuc addendum, antequam a *Filiis* mysticis Christi & Ecclesiae discedimus, speciatim hic cogitari posse de illis, qui in conversione Judæorum, quam adhuc speramus, postliminio adoptandi. Hi enim sunt *filius primogenitus*, ob σκληροκαρδίαν abdicatus & ejectus, sed tamen in fine seculi reducendus. Hinc introducuntur reliquiæ Israelis dulcissimo Patris nomine Messiam compellantes Jes. LXIII. 7. 8. *Sed nunc Jehova Pater noster es tu, nos argilla, & tu formator noster, & opus manus tuæ omnes nos. Ne effervescas Jehova vehementer admodum, & ne in æternum recorderis pravitatis: ecce intuere, age, populus tuus omnes nos.* Eodem referendum, quod legitur Jer. XXXI. 9. *Cum ploratu venient & cum supplicatione ducam eos; faciam eos, ut accedant ad torrentes aquarum, in via recta, in qua non offendent; quia exstiti Israeli Pater & Ephraim est primogenitus meus.* Inspici quoque potest locus Jes. XXIX. 22-24. Atque utinam ad hanc spem occœcata natio tandem aspirare serio inchoaret, missis illis nugis, quibus quidem ad se pertinere talia promissa non

Judæi circa hanc spem lippientes.

male

male supponunt, sed carnalem iis sensum tribuunt. Exempli loco sit *Midrasch Tillin* fol. 28. col. 4. אמר רבי אלעזר ברבי יוסי עתיד כל אחד ואחד מישראל להיות לו בנים כיוצאי מצרים שנאמר תחת אבותיך יהיו בניך. וכמה היו אבותיו כשיצאו ממצראים. אמר רבי אבהו ואל תתמה שהרי תרנגולתא ברא ביומא רבא ילדה תרי ביעי וביומא זוטא חדא ה'חד כי כימי העץ ימי עמי: i. *Rabbi Elieser, filius R. Jose dixit, in seculo futuro unusquisque ex Israele tot habebit filios, quot Israelitæ exiverunt ex Ægypto, sicut dicitur:* (Ps. XLV. 17.) *loco parentum erunt tibi liberi. Ecquot vero erant Patres, cum exiverunt ex Ægypto? sexaginta myriades. R. Abhu dixit, noli mirari, nam ecce, gallina fera in die longiori duo ova ponit, in breviori unum. Hoc est, quod scriptum est* (Jes. LXV. 22.) *sicut dies arboris sunt, ita erunt dies populi mei.* Sic & locum Jes. LXVI. 7. & *puerperium* ibi descriptum de sua reductione intelligunt, sed ibi quoque umbras captant, & in recollectione tribuum ex omnibus angulis subsistunt. Audiamus *Raschium* l. cit. יתקבצו בנים לתוכה אשר היתה שוממה מהם ושכולה וזהרי הוא כאלו ילדתן. עכשיו בלא חבלי יולדה כי כל האומות יביאום לתוכה: i. *Congregabuntur filii in media Solyma, quibus antea fuerat exhausta atque orbata. Ita quidem speciem præbebit, ac si eos peperisset sine doloribus puerperii. Omnes enim gentes eos in mediam Solymam adducent.*

XIII. *Filii* Messiæ opponuntur PATRIBUS. Rabbinos de *Patribus* populi Israelitici ex Ægypto eductis hic cogitare ex *Midrasch Tillin* modo didicimus. *Patrum* nomen illis cum emphasi sæpe dari certum est Jerem. VII. 22. XXXI. 32. Joh. IV. 20. Act. VII. 44. 45. Hebr. I. 1. &c. Et merito, cum non tantum secundum carnem *Patres*, sed etiam *capita fœderalia* essent, quorum transgressio longum malorum syrma in seram posteritatem post se traxit. Sed nihil id facit ad hunc locum. De *Patribus* Messiæ & Ecclesiæ agitur. Hi sunt aut *literales* aut *mystici*. *Literales* totam genealogiam sanctam absolvunt ab Adamo ad Christum, quam Evangelistæ conservarunt. Rom. I. 3. IX. 5. *Mystici* sunt, quicunque unquam & usquam

Per Patres non sunt hoc loco intelligendi, qui ex Ægypto exiverunt,

sed Patres Messiæ & Ecclesiæ tum literales, tum mystici,

Landesbibliothek Oldenburg

genealogia sancta, Apostoli, Doctores.

in Ecclesia egregiis Spiritus donis, efficacia fidei, splendore sanctitatis præ reliquis eluxerunt, *Patres in Christo* 1. Joh. II. 13. Confer Matth. XII. 50. Marc. VII. 21. Præcipue vero illi hoc titulo ornantur, qui in Ecclesia instrumenta sunt, per quæ Christus in aliis gignitur. Huc pertinent primo loco *Apostoli*, 1. Cor. IV. 15. Gal. IV. 19. 1. Thess. II. 11. qui iis, quos per Evangelium Christo adduxerunt, filiorum nomen frequenter tribuunt 2. Cor. VI. 13. 1. Tim. I. 2. 18. 1. Joh. II. 1. 18. 28. &c. Unde Johannes juvenem ἀκόλαστον, si narratiunculæ *Eusebii* Hist. Eccl. III. c. 23. fides adhibenda, ita compellasse fertur: τί με φεύγεις, τέκνον, τὸν σαυτῦ πατέρα; i. *Fili, quid me Patrem tuum fugis?* Atque id nomen eo majori jure gerebant, *tum* quia antitypus fuere XII. Israelis literalis Patriarcharum, quorum numerum in eorum vocatione Salvator noster sine dubio respexit; *tum* quia universæ Ecclesiæ in παλιγγενεσίᾳ Judices constituendi Matth. XIX. *tum* quia certa ratione totius Ecclesiæ N. T. capita fœderalia fuere, præcipue in fœdere N. T. cum iis vicem totius Ecclesiæ N. T. gerentibus erecto per institutionem sacræ cœnæ & Spiritus effusionem. Alii quoque Doctores dicti Patres, donec suavissimum nomen Pontifex Romanus ad se rapuit. Inspiciatur hic *Arnoldus* Fratr. Soror. Appellat. c. VIII.

Spectandi quoque hic Patriarchæ:

Sunt autem quidam, qui ut *Patres* Christi & Sponsæ suæ *literales* & *mystici* simul considerari possunt, triga nempe illa Patriarcharum in tempore promissionis illustrium, *Abrahamus, Isaacus*, & *Jacobus*, quorum heic rationem habendam non male censet *Hieronymus* & *Cyrillus*.

præcipue Abrahamus, Caput fœderale omnium credentium post eum, de cujus paternitate quædam observantur.

Abrahamum universalem & mysticum credentium omnium, qui post eum victuri sunt, *Patrem* esse, ipsi Judæi agnoscunt. Hinc in codice Talmudico *Biccurim* cap. Jeschmebiin: בתחילה היה אב לארם ושמו אברם ולבסוף אב לכל העולם ושמו אבריהם: i. *Initio erat Pater Aram sive Syrorum; & vocabatur Abram. Tandem fuit Pater totius mundi; & vocatur Abraham.* Colludit *Michlol Jophi* ad cap. 3. Malach: אברהם היה אב לכל הבאים אחריו באמונתו: i. *Abraham fuit Pater omnium, qui eum secuti sunt*

sunt in fide. Similiter *Maimonides* Hilchot Biccurim cap. 4. §. 3. ארי הוא אב כל העולם כלו שנכנסי תחת כנפי שכינה: i. *Ecce ipse Pater est totius mundi, omnium qui se recipiunt sub alas divinæ Majestatis.* De hac Abrahami *Paternitate* inspici merentur Celeb. *Vitringa* Observ. Sacr. lib. V. c. 3. 5. & *Hulsius* Prærogativ. V. T. diss. X. præcipue p. 361. seq. Potissima hujus *Paternitatis* caussa est fœdus singulare cum Abrahamo ictum, in quo ille in *Caput fœderale* omnium sequentium fidelium constitutus est, ita ut ipse promissiones acciperet, quæ ad universam Ecclesiam usque ad finem mundi pertinebant, iisque omnibus per fidem adstipulans, restipulandi inde perpetuum jus nanciscerétur, donec omnia, quæ Deus ipsi promisit, semini ejus exsoluta sunt; quod restipulandi jus tum ipse in cœlis tum per semen in terra exercet. Inde *sinus Abrahæ* Luc. XVI. 22. 23. est symbolum Ecclesiæ & *Paternitatem* ejus exprimit; æque ac *sinus Dei* Joh. I. 18. Paternitatem primae personae Deitatis emphatice adumbrat. Metaphoram enim sumtam esse a Patre, in cujus veluti *sinu* filii conveniunt, dum vesperi ab operis diurnis congregantur, agnovere *Cornelius a Lapide*, *Salmero*, *Piscator*, *Cappellus*, *Flaccius*, *Fesselius*, aliique, quamvis passim non satis accurate genium symboli perspexerint, dum de gloria cœlesti id explicant, cum potius generalem cum Ecclesia communionem, quae jam in terris praecipue in N. T. inchoanda, significet. Eandem Paternitatem innuit Paullus in sua disputatione de Judaeorum rejectione, quam Rom. XI. instituit: praecipue quando propius examinatur, quid versu 24. per καλλιέλαιον sit intelligendum. Tria enim Apostolus distinguit, *radicem*, *frondes* & *oleam* ipsam, seu *stipitem* semper virentem, insitionisque novae identidem capacem. Radix Christus est, frondes sunt Ecclesiae membra. Quid vero stipes, seu *truncus oleæ*? Quid nisi Abrahamus? Hujus enim *Paternitatem* & sub ea latens mysterium Apostolus Rom. IV. 1. sq. 16. sq. IX. 7. & in hujus capitis initio explicat. In hunc aptissime totum emblema quadrat. *Oleæ* enim frequenter vi-

Sinus Abrahæ. Luc. 16: 22.

Rom. 11: 24. elucidatur.

Abrahamus truncus oleæ.

rorum egregiis dotibus prae aliis in Eccleſia inſignium emblema eſt, & pulcherrime talem adumbrat, qui in fide Chriſti radicatus, dulcedine & pinguedine Spiritus plenus fuit, eo usque ut per illum tanquam canalem benedictio pinguiſſima ad alios derivata ſit. Ille opponitur τῷ ἀγριελαίῳ *oleae ſilveſtri*, genealogiae gentilium a communione Dei per tempus ſeparatorum. Sicut cum ſtipite omnes rami juncti ſunt, & per eum e radice ad ramos ſuccus derivatur, ita ad Abrahamum univerſa Eccleſia ſingularem χρίσιν habet, inque promiſſionibus ei datis, ab eo fide apprehenſis, & ita ad ſemen propagatis pleniſſime deliciatur. Judæi in ſua rejectione ab hoc *trunco* abſciſſi ſint: gentes vero in ſua converſione ei iterum inſitae. Matth. III. 9. Et operae pretium, ut inquiratur, annon huc quoque collimetur Jeſ. VI. 11? *Ut ilex, & ut quercus, in quibus, ubi dejiciuntur, ſupereſt ſtipes: ſemen ſanctum erit ſtipes ejus.*

Paternitas hæc Iſaaco & Jacobo cum Abrahamo communis eſt.

Quamvis autem *Paternitas* haec Abrahamo primo loco competat, ſimul tamen ad filium ejus Iſaacum & nepotem Jacobum ſpectat, quia promiſſiones fœderales, quae hujus *Paternitatis* fundamentum ſunt, iis quoque, & quidem iisdem ferme verbis repetitae ſunt Gen. XXVI. 1-5. XXVIII. 13. 14. Inde nihil frequentius in ſacris, quam hujus trigae conjunctio. Hinc Deus, quando innuit ſe promiſſa excellentiſſima his Patriarchis data impleturum, ſe *Deum Patrum, Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi nuncupat* Exod. III. 13-15. Iſaacus & Jacobus appellantur *cohæredes ejusdem promiſſionis* Hebr. XI. 9. Conferatur Gen. XXXV. 12. Et converſio gentium, ut communio cum his tribus Patriarchis deſcribitur Matth. VIII. 11. ſæpiusque, quando de *Patribus* in genere mentio fit, præciſe hi tres innuuntur Deut. IV. 31. Rom. XI. 28. &c.

Vocula תחת *deſignare poteſt,*

XIV. Relatio, quæ eſt inter Meſſiae *Patres* & *Filios* explicatur per vocem תחת, quae communiſſime LOCO ſeu VICE vertitur, aliquando tamen & PROPTER, 1. Sam. II. 20. Zeph. II. 10. & vide plura apud *Noldium* Concord. p. 773.

Si

Si ad *Patres carnales* Messiæ tantum respiciendum quis putaret, tum designatur, quamvis ii abdicati essent & rejecti, & genealogiæ eorum turbatæ, non defuturos tamen alios, qui illorum locum occupaturi erant. Hoc sensu sumitur vocula nostra de Esthera, quam Ahasverus *fecit regnare* תחת ושתי *loco Vaschti* Esth. II. 17. *Loco* ergo *Patrum* fuere *Filii Messiæ*, quia istis rejectis in populum Dei assumti, omnibusque prærogativis secundum antitypum donati, quas unquam *Patres* in umbra possederunt. 1) *loco Patrum filios futuros, idque tum carnalium,*

Sed uberior est sensus, quando *Patres spirituales* Messiae cum his *Filiis* conferimus. 1) Illorum locum occupant. Sicut Deus Hevae *reposuit semen alterum* תחת *loco Habelis, quam ipsum interfecit Kain.* Gen. IV. 25. Quamvis *Patres* ablati essent, praecipue qui sub horrendis persecutionibus animam efflaverunt, semper tamen alii suppullulabunt, qui genealogiam sanctam in mundo conservabunt. 2) Benedictionibus iisdem gaudebunt, quae in *Patres* effusae erant, Apoc. XXI. 2-7. quae omnes uberrimo modo in eos confluent. 3) Vestigia Patrum prement. Eidem fidei normae cum *Patribus* adhaerebunt: eidem fundamento cum iis inaedificati erunt. Unde in fundamentis Solymae novae leguntur *nomina XII. Apostolorum agni.* Apoc. XXI. 14. Ejusdem sanctitatis & pietatis vestigiis inhaerebunt. *Domus tuæ decus erit sanctitas, Jehova, in longitudinem dierum.* Ps. XCIII. 5. Unde *Beza* ita παραφράζει: *tum potissimum spiritualium*
a) *quia eorum genealogiam conservant:*
b) *quia iisdem benedictionibus gaudent:*
c) *quia eorum vestigia premunt:*

Hinc tibi progenies, o Rex, nascetur, avorum
Quæ genus & moret referat —

4) Antitypus erunt *Patrum.* Cum enim πολυποικίλη σοφία Θεοῦ hunc in constitutione Ecclesiæ ordinem fecerit, ut præcedentia tempora semper debilius præludium haberent rerum in sequente Oeconomia Dei illustrius manifestandarum, hinc emphatice dici possunt *Patrum vicem* gerere, qui per eos jam adumbrati sunt. Sume exempli caussa *Patres* Messiæ, qui circa d) *quia antitypus erunt Patrum.*

Finis Oeconomiæ V.

cum initio novæ conjunctus typus fuit finis glorioſi Eccleſiæ N. T.

ca manifeſtationem ejus in carne & gloria poſt paſſiones, adeoque in fine Oeconomiæ veteris vixere. Evidens eſt ex συναφείᾳ temporum, illam glorioſam Spiritus menſuram, illa gaudia poſt dolorem partus, illos veritatis triumphos, illos Heroas a Deo actos præluſiſſe excellentiori Eccleſiæ in fine Oeconomiæ novæ gloriæ, quam exſpectamus & anhelamus. Hinc ſæpe apud Prophetas ſimilibus phraſibus prima & ultima N. T. tempora deſcribuntur, ita ut quo referres, dubitandum eſſet, niſi nexus & particulares quædam ſingulorum temporum characteriſticæ fluctuanti ſuccurrerent. Quin tales Prophetias quoque invenimus, quæ aptiſſime ad tempora finem Oeconomiæ Veteris & ſimul ad tempora finem novæ ſpectantia referri poſſunt, quod ex eodem fundamento relationis typicæ fluit, quæ inter illuſtriſſimas has Temporum Eccleſiæ periochas deprehenditur. Quoniam autem hic ad certas quadam perſonas typicas reſpicitur, quæ Patres Meſſiæ ſpirituales fuerunt, non diſſimulabo, me ut tales præ aliis conſiderare illos illuſtres Eccleſiae N. T. Patriarchas, Apoſtolos. Hos enim ut typum totius ſequentis Eccleſiae conſiderari poſſe firmiter perſuaſus ſum. Probabile enim eſt hiſtoriam N. T. eodem jure ut allegoricam conſiderari poſſe, quo hiſtoria V. T. quod data opera & argumentis non penitus contemnendis (quamvis fatear, interſperſa multa ſubtilia magis quam ſolida, quae lectoris judicio diſtinguenda relinquimus) probavit *Deuſingius* in Demonſtr. Allegor. hiſtor. p. 148. ſeqq. Præcipuum autem hujus hypotheſeos fundamentum in eo conſiſtit, quod hiſtoria N. T. poſſit conſiderari ut pars Oeconomiæ Veteris, quae ante Solymae excidium plene non exſpiravit, quaeque ex intentione Dei tota typica erat & eſſe debebat. Quare & hiſtoria Apoſtolorum huc eſt referenda. Illi erant *exemplaria* ὑπολυπώσεως *eorum, qui crediturі erant olim* 1. Tim. I. 16. Hinc nomina myſtica iis indita. Hinc numerus duodenarius myſticus communiſſime univerſalitatem Eccleſiae reſpiciens in iis ſervatus. Hinc Judas in ſymbolum Anti-

Apoſtoli ipſi aliquid typicum habuere,

chri-

christianismi positus: Petrus Judaismi tam in abnegatione Christi, quam in resipiscentia, & sic deinceps. Hinc Spiritus Sanctus sub symbolo visibili iis collatus: quales divinae apparitiones semper aliquid typici & mystici habuere. Huc quoque spectant eorum miracula, quae necessario æque ac miracula Christi spiritualia beneficia ex intentione Dei adumbrarunt. Cumprimis autem in Apostolis typus fuit Virorum excellentium, qui ultimis temporibus in scenam rediturі, quorum antesignani Reformatores fuere, in quibus Spiritum Apostolorum revixisse ex parte innuit egregia Prophetia Ps. LXVIII. 28. a Viris Clarissimis *Vitringa*, *Roellio*, *Buschio* atque aliis ita illustrata, ut dubitari amplius nequeat, quin inibi successus Reformationis cum successu praedicationis Evangelicae ab Apostolis institutae conferatur. Ex hoc fundamento numerus duodenarius totiens, totiensque in descriptione tum Solymae novae Apoc. XXI. tum populi eam inhabitaturi Apoc. VII. repetitur. Puto etiam hoc includi in resurrectione mystica Sanctorum & Martyrum Apoc. XX. 4. 5. Rationes præcipue in explicatione hujus typi spectandae sunt a) quod sicut illi Heroes in fine V. T. Ecclesiam Dei ornarunt, ita hi in fine N. T. proditurі sint: b) quod sicut illi splendidissimis Spiritus charismatibus instructi fuere, ita similiter pleniſſimo Spiritus modulo (si non majori, quod pie sperare licet, *tum* praeviis Prophetiis, *tum* quia antitypus semper typo est excellentior) futurum Ecclesiae semen sit inundandum. An vero dona illa futura sint ordinaria an extraordinaria, in eo hactenus malo ἐπέχειν, quam certi quicquam definire. Pro extraordinariis militat, quod per ea gloria Dei evidentius coram oculis mundi illustretur, taliaque opera in conversione Judaeorum & gentium adhuc a Deo educenda restent, quae videntur extraordinarias Dei operationes requirere. Plus tamen æstimanda erit ordinariorum donorum amplificatio, quæ verum & solidum & Ecclesiae privum semper bonum fuere. c) Accedit quod sicut priores

& expresserunt Viros excellentes quibus in fine Ecclesia gavisura est.

Analogia generatim monstratur.

res illi Heroes magnis honoribus cumulati, inque Judices universi credentium cœtus constituti sunt, fructusque laborum suorum immensos gaudentes aspexerunt, ita quoque hi postremi Messiae & Ecclesiae *Filii super totam terram principatum* quendam mysticum obtinebunt, de quo statim.

tum quoque ratione Patriarcharum, quia promissa iis data plenissime implebuntur in filiis.

Nec negligendi hic ii, quos postremo loco per *Patres* intelleximus, triga illa Patriarcharum, Abrahami, Isaaci & Jacobi. Eorum *loco* erunt hi *Filii*, quia promissiones illis factae plenissime ab his in implemento conspicientur. Sicut illi quandam posterorum vicem gessere, quando ut *capita fœderalia* pro iis promissiones amplissimas acceperunt, ita posteri quodãmodo eorum vicem gerent, dum promissiones Patribus datas, quarumque praegustum quasi in laetitia & spe inde concepta habuerunt, largissime possidebunt. Quemadmodum enim Paullus de fidelibus N. T. generatim Hebr. XI. 40. testatur, eos *non sine nobis consummandos*, ita speciatim de fidelibus ultimorum temporum id verum erit, ad quos excellentissimae promissiones Patribus factae in implemento spectant.

2) propter Patres, non quasi merito eorum subnixi sint Filii,

XV. Si cui tamen videatur dubium, an vocula תחת ita sumi possit, cujus dubitationis caussam non perspicio, is alteram ejus notionem indicatam hic conjungat, quæ est elegantissima, & innuit, *propter* illos illustres *Patres* thalamum Messiae laeta & illustri prole fœcundum fore. Non eo sensu, quo Judaeorum errori aliquid ponderis possit accedere, qui *Patrum* horum meritis innituntur, & in iis inaniter gloriantur. Vanissima haec spes & gloriatio exspirabit, quando in sua conversione dicent ex Jes. LXIII. 16. *Abraham non novit nos, & Israel non agnoscit nos: tu Jehova Pater noster es; Assertor noster a seculo est nomen tuum. Propter Patres* ergo potius benedicetur semini Messiae, quia Patribus illis datae promissiones ad omnia Ecclesiae adeoque & ad ultima tempora spectantes, quae ob veritatem Dei necessario impleri debent, praecipue quia super his promissionibus fœdus plus semel erectum

sed quia Patriarchis fidem & veritatem suam in seros posteros Deus obstrinxit.

ctum, eademque fide ab illis apprehensae sunt. Eo respexit praecipue promissio illa conceptis verbis singulis Patriarchis repetita, quod *omnes gentes in eorum semine sint benedicendæ.* Gen. XII.3. XVIII.18. XXII.18. XXVI.4. XXVIII. 14. Promissionis hujus praestantiam merito urget Celeb. *Altingius* Op. Tom. II. p. 40. „Inter omnes promissiones, quae Abra„hamo factae sunt, nulla insignior, quam haec: de benedi„ctione omnium gentium in semine suo. Loquitur enim non „de benedictione transitoria, sed permanenti: non de coar„ctata, sed latissime patenti. Ea major nulla facta fuit ante, „neque post. Nam priores de Christo hac obscuriores fuere, „posteriores vero hujus tantum explicationes & illustrationes. „Ubique haec benedictio postremo loco collocatur, tanquam „fastigium omnis benedictionis, quae nulla est vera, nisi ex „hoc fonte procedat. Imo nulla, cujus cognitio nos magis „attineat: cum quicquid solatii in V. T. Gentibus repositum „est, in hac promissione repositum sit. Gal. III. 8. Haec sane promissio peculiarem his Patriarchis ad fideles N. T. χέσιν conciliavit, ut tanquam capita eorum fœderalia considerari possint, sicut Petrus liquido declarat Act. III. 25: *Vos estis* FILII *Prophetarum &* PACTI, *quod pepigit Deus Patribus nostris, dicens ad Abrahamum: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Durat autem haec χέσις tam diu, donec omnes familiae terrae benedictionis Patribus factae participes evaserunt, quod non ante fiet, *quam plenitudo gentium ingressa, & totus Israel salvatus fuerit* Rom. XI. 25. 26. Unde recte *Abenezra* scribit ad Gen. XXII. זו היא השבועה הגדולה עומדת לעד *Hoc est illud juramentum magnum, quod in æternum subsistit.* Unde & quando Deus se *Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi* nominat, hoc singulare spei in precibus fulcimentum esse agnoscit *Philo* de Abrah. p. m. 357: *Omnes* ait, *amici charique Deo, amantes verum Deum & redamati ab eo, qui dignatus est, sicut indicant oracula, propter vitam ipsorum probatissimam, communem cum iis appellationem habere. Suum enim cooptavit cum*

Potissima promissio iis data concernit semen, in quo gentes benedicendæ:

quæ ultimam Ecclesiæ gloriam simul involvit.

illorum nominibus, e tribus compoſitum vocabulum ſibi vindicans. Hoc, inquit, nomen meum eſt æternum, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, relativum pro abſoluto. Et merito. Deus enim non habet opus nomine. Attamen humano generi ſuum nomen elargitus eſt, ἵνα ἔχοντες καταφυγὴν πρὸς ἱκετείας καὶ λιτὰς, μὴ ἀμοιρῶσιν ἐλπίδος χρησὶς i. *ut habentes refugium ad preces & ſupplicationes, a ſpe bona non excluderentur.*

Specialiſſime Judæi propter Patres aliquando convertendi ſunt, quia ultima hæc converſio Patribus jam promiſſa eſt. Geneſ. XVII, 7. illuſtratur.

Quoniam vero ſpecialiſſime *Filii Meſſiæ* in contextu noſtro Judæos deſignare poſſunt, propterea notandum, ſingularem plane emphaſin hanc phraſin habere, quando Spiritus eos *propter Patres* poſtliminio pro genuinis Filiis recipiendos & denuo Chriſto gignendos eſſe declarat. Nam inter promiſſiones Patribus datas hæc quoque de ultima Judæorum converſione reperitur. Quando omnium gentium in ſemine Abrahami benedictio prædicitur, tribus omnes Iſraelis ſimul includuntur. Et evidentius Gen. XVII, 7. *ſtabilio fœdus meum inter me & te, ac ſemen tuum poſt te, per ætates ſuas, ut ſit fœdus perpetuum: me eſſe tibi Deum & ſemini tuo poſt te:* quæ promiſſio ſtatim v. 19. Iſaaco continuanda indicatur. Atque hæc verba tam late neceſſario eſſe extendenda ex multis locis patet, quæ de ultima converſione Judæorum agunt, & ſimul fœdus Dei cum Patribus ictum fundamentum eſſe illius exſpectationis indicant. Sic Levit. XXVI, 42. *Utique recordabor fœderis mei cum Jacobo, adeoque fœderis mei cum Iſaaco, atque fœderis mei cum Abrahamo recordabor, ac terræ ipſius recordabor.* Pſ. CV, 8. *Recordatur in ſeculum fœderis ſui, verbi, quod præcipit in mille generationes* (mille generationes ſunt omnes ad finem usque mundi. Conf. Exod. XX, 6.) *quod pepigit cum Abrahamo, & juramenti ſui præſtiti Iſaaco: quod præſtitit Jacobo in ſtatutum, Iſraeli in fœdus perpetuum.* Clariſſime Mich. VII, 19. 20. *Converſus miſerebitur noſtri, ſubiget iniquitates noſtras: imo projecturus es in profundiſſimum maris omnia peccata iſtorum. Præſtabis fidem datam Jacobo, benignitatem datam Abrahamo, quam juraveras majoribus noſtris a die-*

a diebus priscis. Eodem respexit Apostolus gentium, quando Judæos in ipsa reprobatione *dilectos propter Patres* appellat Rom. XI, 28. Neve quis cogitet, Paullum hic tantum suam cum Judæis consanguineitatem innuere, e vestigio addit v. 29. quod *charismata & vocatio Dei sint* ἀμεταμέλητα: *charismata* nempe tot repetitis promissionibus Patribus exhibita, & *vocatio* eorum in fœdus æternum ipsis & semini eorum pactum, ex quo certitudo futuræ conversionis Judæorum, quæ statim v. 30. 31. describitur, fluit. Unde necessario sequitur, *amorem propter* Patres promissionem Patribus stabilitam de restituendo Israele innuere. Hinc non male Hebræi docent, *Deum populo suo aliquid promittentem, solere in Scriptura promissorum suorum testes & quasi sponsores dare Abrahamum, Isaacum & Jacobum.* Vide *Jos. de Voisin* in Procem. Pug. Fid. p. m. 159. *Rom. XI. 28. explicatur.*

XVI. Tam præclara soboles dignos natalibus suis nanciscetur honores. Filii Messiæ erunt שרים, PRINCIPES. Vox hæc generaliter quemcunque designat, qui cum imperio præest, sive in pace sive in bello. Si communi hac notione nomen sumitur, tum prædici videtur, fore ut Magistratus mundi posthabita genealogia carnali familiam Messiæ augeant, & inter semen Ecclesiæ reputentur. Licet autem hæc spes multis promissis verbi prophetici firmata sit, magis tamen cum nexu convenit, ut *Principes* mysticos intelligamus, qui in Ecclesia N. T. *Principibus* illis, quos Christus abolevit, Col. II, 15. opponendi. Spiritualem sane *principatum* in posteris erigendum Deus ipsis Patribus indicavit, quando uxorem Abrahami nuncupavit שרה, id est, post additum ה ex המון, *Principem multitudinis*; & quando Jacobo nomen ישראל *Principis Dei* dedit. Principatus hic est generatim omnium *fidelium*, & speciatim *Doctorum Ecclesiæ.* Si *fideles* intelliguntur, tum respicitur singularis illa dignitas & excellentia, qua ornantur, dum in *regale sacerdotium* adsciscuntur. Confer quæ in hanc rem Exerc. VIII. §. 11. jam notavi. Possunt tamen

Principatus filiorum Messiæ potissimum spiritualis est, qui competit tum singulis fidelibus, tum Doctoribus.

& ſtrictius intelligi, qui aliqua prærogativa charismatum præ reliquis pollent, & præcipue qui *Doctorum* partes gerunt. Ita explicant Rabbini, ad iſtud Hethæorum ad Abrahamum Geneſ. XXIII, 6. נשיא אלהים אתה בתוכנו i. *Princeps Domini es tu inter nos*, tradentes, Principem Abrahamum fuiſſe non regnando, ſed docendo. Unde *Chaldæus Paraphraſtes vertit*: רב קדם " i. *Magiſter coram Domino*. Et Rectores Academiarum Hieroſolymitanarum dicebantur *Principes*, docente *G. Urſino* Antiq. Acad. Hebr. p. 19. Ex hoc fundamento Apoſtoli dicuntur *Principes* Pſ. LXVIII, 28. ad quem locum meretur conſuli Cl. *Buſchius*. Et huc referenda Prophetia de N. T. Pſal. CXIII, 7. 8. *Erigens ex pulvere tenuem, qui ex fimeto elevat egenum. Ad ſedere faciendum cum Principibus: cum Principibus populi ſui.* Quacum colludit promiſſio, quam diſcipulis ſuis dat Salvator Matth. XIX, 28. *Principatum* hunc myſtice exercent, ut אדירים *præcipui inter ſanctos* Pſ. XVI, 3. *quia* Spiritu generoſo ſunt inſtructi, *uncti Dei*: *quia* characterem majeſtatis iis Dominus indidit, qui cum veneratione agnoſcitur; *quia* bella ſpiritualia movent, quibus Satanas de cœlo dejicitur, ratio captivatur, corda ad obedientiam veritatis flectuntur, judicia in refractarios invehuntur: *quia* legem Jehovæ inculcant: *quia* judicium ſpirituale exercent, inter purum & impurum diſcriminantes: *quia* divitiis charismatum excellentium pollent, unde *divites populi* ſupra ſunt nuncupati: denique *quia* exemplo illuſtri præeunt, ad quod ſingula membra Eccleſiæ ſe componere fas eſt.

Rabbini Doctores nominant Principes.

Partes principatus potiores indicantur.

Tales quoque *Principes* habitura ultima Eccleſiæ ætas. Eo videtur referendum Jeſ. XXXII, 1. *Ecce ſecundum juſtitiam regnabit Rex, & ipſi adeo Principes ſecundum judicium principatum gerent.* Clariſſima autem Apoc. XX. 4-7. *Et vidi thronos & ſedebant ſuper eos, quibus datum eſt judicium: & animas illorum, qui ſecuri percuſſi ſunt propter teſtimonium Jeſu, & propter ſermonem Dei, & qui non adorarunt beſtiam, aut imaginem ejus, & non acceperunt characterem in frontibus ſuis &*

Principes bi ultimis temporibus promiſſi ſunt.

in

in manu sua; & vixerunt & regnarunt cum Christo mille illos annos. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima! in hos enim secunda mors non habet potestatem; sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annos. Hinc Apoc V, 10. XXIV Seniores ajunt: *regnabimus in terra.* Nec dubito huc quoque transferre epiphonema, quo epistola septima Apocalyptica clauditur Apoc. III, 21. *Qui vincit, dabo ei sedere mecum in throno meo, quemadmodum & ego vici, & consedi cum Patre meo in ipsius throno.* Quamvis enim promissiones, quibus singulæ epistolæ clauduntur, plenissimum implementum in cœlesti gloria sortituræ sint, est tamen in iis semper aliquid, quod ad spiritualia beneficia diversis temporibus in terris dispensanda referri potest.

XVII. Principatum Filiorum Messiæ illustriorem reddet amplitudo ejus, בכל-הארץ IN TOTA TERRA. Præsupponit hæc phrasis, quod regnum Messiæ aliquando super *totam terram* extendendum sit. Plenissime de hac re sub eadem phrasi Prophetæ agunt Ps. VIII, 10. *Jehova, Domine noster, quam ingens est nomen tuum in tota terra.* Psal. LXXII, 8, 11, 17. 19. *Dominabitur a mari usque ad mare, & a fluvio usque ad terminos terræ. Adorabunt eum omnes Reges: omnes gentes servient ipsi. Benedicent sibi in ipso omnes gentes. Benedictum sit nomen ejus glorioſum in seculum. Et impleatur gloria ejus tota terra.* Ps. XCVIII, 3. 4. *Viderunt omnes termini terræ salutem Dei nostri. Clangite Jehovæ tota terra.* Jes. XI, 9. *Plena erit terra cognitione Jehovæ, ut aquis mare operientibus.* XII. 5. *Canite Jehovam, qui erectionem fecit: notificatum hoc est in tota terra.* Jes. XXV, 8. *opprobrium populi sui removebit a tota terra.* Dan. II, 35. *Lapis, qui percusserat imaginem, factus est mons magnus & implevit totam terram.* Zach. XIV, 9. *Erit Jehova in Regem super totam terram.* Prætereo quamplurima alia loca, quæ aliis phrasibus æque amplis futurum Messiæ regnum describunt. Merito ad has similesque Prophetias duo examinantur.

Regnum Messiæ super totam terram aliquando dilatandum,

quod non de singulis incolis terræ sed de omnibus generibus hominum videtur intelligendum esse.

Primum est, quomodo Jehova has promissiones impleturus sit? & an secundum verba in omni emphasi sumta sperari queat, omnes terræ incolas ad verum Deum convertendos & pro vero Ecclesiæ semine habendos esse? Me quod attinet, nullos ego limites omnisufficientiæ divinæ circumscripserim. Deus promissorum suorum tenax, ita ea implebit, ut nihil quod secundum ea juste desiderari potuerat, defuturum sit. Singulis tum phrasibus & vocibus, quæ Spiritus adhibuit, satisfiet, quarum verum sensum secundum omnes partes eruere ante implementum difficillimum est. Præsertim cum secundum consilium Dei vaticinia semper aliquid obscuriusculi habeant, quod humanæ curiositati tectum manet, donec eventus id in plena luce collocet. Hoc quoque sensu nonnisi *posteriora Dei* contemplamur. Interea statuere licet, nullam vim phraseologiæ Spiritus fieri, si quis statuat, non ad singulas totius terrarum orbis gentes, nedum ad subjecta singula promissiones Dei se extendere, cum id videatur sortem Ecclesiæ militantis superare, & Gogus, Magogusque impleto millennio lacertos moturus sit Apoc. XX, 7-9

Nec tamen propterea opus est stylo prophetico testamentario hyperbolen tribuere.

Nec opus est, quod passim interpretes faciunt, hic statim ad hyperbolen confugere, quam verbis Spiritus temere tribuere vereor. Prophetias singulas ego cum reverentia confidero, ut consilium Dei æternum & immobile patefacientes, adeoque ut partem Testamenti Dei, in quo quamvis ænigmatice, convenienter tamen beneplacito suo & cum decenti ἀνελίξει Deus loquitur, *ut justificetur, quando loquitur.* Heic saltem in propatulo est, vocem כל variis restrictionibus pro subjecta materia obnoxiam esse. Quando ergo de *omnibus gentibus* sermo fit, secure de omnibus generibus gentium Scriptura intelligitur: quando vero de *tota terra*, præcise tota illa terra designatur, quæ & quousque consilio Dei Messiæ in regnum destinata est. Sic *terra tota* Dan. IV, 1. omnes regiones dicuntur, quæ parebant Regi Babyloniæ. Nec dubito hac phrasi alludi ad Canaanem, quæ typus Ecclesiæ N. T. fuit,

Phrasis tota terra propius explicatur.

quæ

quæ κυρίως *terra* 1. Reg. IX, 18. 21. 2. Reg. XI, 3. 2. Chron. XXII, 12. & omnes tribus Iſraelis *terra tota* 1. Sam. XIV, 25. Idem cogitandum, quoties fines vel *extremitates terræ* in Scriptura pro terminis regni Meſſiæ ponuntur 1. Sam. II, 10. Pſal. II, 8. XXII, 28. XCVIII, 3. Jes. XLV, 22. Alludi enim illic ad fines terræ Canaanis, quatenus a Davide & Salomone eſt poſſeſſa, & regni Meſſiæ typus fuit, patet ex Deut. XXXIII, 17. Pſal. LXXII, 8.

Prærogativa ultimæ ſubjectionis terræ, præ illa, quæ in exordio N.T. facta eſt, indicatur:

Sed naſcitur hinc alia quæſtio, ſi liceat *totam terram* in hos cancellos coarctare, an ergo credibile ſit, grandi aliquo præ elapſis temporibus emolumento Eccleſiam gaviſuram eſſe: præcipue cum converſio gentium, quæ in primordiis Chriſtianismi viſa eſt, phraſibus æque generalibus deſcribi videatur? Heic vero mihi nihil certius eſt, quam ingentem præ omnibus ſuperioribus ſeculis prærogativam in ultimis temporibus exſpectandam eſſe. Hoc fluit ex toto ordine viarum Dei, qui in creationis myſticæ, æque ac in creationis typicæ fine Adamum ſecundum, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας & πληρώματος ſiſtet. Hoc poſtulat ipſa Eccleſiæ natura, quæ beneficiorum ſpiritualium pleniori menſura inundata ſplendore ſuo per ſe tenebras gentium multo fortius diſſipabit. Nec obſtant ſimilia & interdum tantum non parallela de primis temporibus vaticinia. Nam 1) quædam agunt de terra, quatenus in primo tempore Chriſtianismi nota & commerciis cultiorum gentium frequentata erat. Quæ ergo ad ſeriora tempora reſpiciunt, in quibus tot orbis partes tum ignotæ detectæ ſunt, tot gentes tum plane efferatæ ad meliorem diſciplinam translatæ, navigationesque multo ampliores ſtabilitæ, neceſſario vaſtiora Eccleſiæ pomœria deſcribunt, quando illam ſuper totam terram diffuſum iri oſtendunt. 2) Pleræque Prophetiæ, quæ vulgo ad priora ſecula referuntur, non debent conſiderari ut in occupata tum mundi hæreditate exhauſtæ. Solent ſæpenumero ea primis N. T. temporibus adſcribi in Prophetia, quorum tamen initia in iis tantum viſa

1) quia variæ partes terræ tum ignotæ nunc detectæ:

2) quia variæ Prophetiæ ad prima tempora ſpectantes in iis nondum exhauſtæ:

viſa ſunt, *ſive* ut ad arctiſſimum viarum Dei nexum attendamus, *ſive* quia priora N. T. tempora, quatenus cum fine Œconomiæ veteris coincidebant, ultimorum typus fuere. Ita mihi videtur v.gr. de Prophetia Jes. II, 1. ſq. Pſ. XXII, 28. ſqq.

3) quia aliæ Prophetiæ generatim ad omnia tempora ſpectant:

3) Aliæ Prophetiæ generales ſunt, & ad omnia Eccleſiæ tempora per ſe ſpectant, quarum implementum licet inchoatum eſſe agnoſcatur, tamen ex directa Spiritus intentione ad ultima usque tempora extendendum eſt. Hoc uſu venit Gen. XLIX, 10. Num. XXIV, 17.

4) quia Spiritus comparate loquitur:

4) In quibusdam locis Spiritus Sanctus comparate loquitur, & quando mundum univerſum Meſſiæ pro termino imperii aſſignat, mundum gentium intelligit, arctis limitibus terræ Iſraelitidis oppoſitum. Hoc clare conſpicitur in Jes. XLII, 10. collato v. 6. XLIX, 6. LII, 10.

5) quia loca de ultima converſione ſunt plura & nervoſiora.

5) Denique certiſſimum eſt, loca illa, quæ de ultima generali gentium converſione agunt, eſſe & plura & multo ἐμφατικώτερα, quæ longe majorem poſtremæ Eccleſiæ præ primitiva amplitudinem futuram docent. Inſpici poſſunt Jes. LX. LXV. LXVI. Apoc. VII. XXI.

Principatus filiorum Meſſiæ eosdem cum regno ejus fines habebit.

XVIII. Sicut autem Meſſiæ Regnum ſuper totam terram dilatabitur, ita σωθρονοι ejus eosdem principatus ſui terminos habebunt. Huc pertinet egregia illa Danielis Prophetia c. VII, 27. *Et regnum, & dominatus, & majeſtas Regnorum ſub omni cælo data eſt populo ſanctorum excelſorum* (Dei τελοκγίς) *cujus regnum regnum ſeculi & omnia imperia illi ſervient & obedient.* Eoque ſine dubio Apoſtolus quoque reſpexit 1. Cor. VI, 2. *An neſcitis ſanctos mundum judicaturos eſſe?* Hanc ipſam eſſe promiſſam manſuetis *hæreditatem terræ* Pſalm. XXXVII, 9. 11. 22. 29. 34, Matth. V, 5. ex profeſſo docet Celeb. *Vitringa* Obſerv. Sacr. V, 6. Sane evidentiſſime hæc promiſſio ad ultima tempora reſtringitur Jeſ. LX, 21. *Et populus tuus univerſi juſti, in ſeculum hæreditabunt terram.* Sicut autem Principes potiſſimum ſpirituales hic intelleximus, ita exercitium quoque principatus eorum plane ſpirituale erit, quod his potiſſimum partibus procul dubio conſtabit.

Exercebitur hic principatus in exſtirpatione hoſtium veritatis.

1) Inſtrumenta

menta erunt, per quæ alii & quidam magno numero exſtirpata ſuperſtitione, idololatria, & impietate omni, in regnum Meſſiæ transferentur Jes. XXX,32. LX,22. LXII,10. 2) Doctrinam gratiæ cum tam evidenti veritatis ad conſcientiam demonſtratione docebunt, ut aſſenſum omnium terræ gentium impetraturi ſint Jes. LX,3.17. LXII,11. 3) Charismatibus Spiritus excellentiſſimis inſtructi ſanctitatem vitæ ſpirabunt, atque ita aliorum venerationem, amorem, ſequelam excitabunt Dan. XII,3. Zach. XIV,20.21. 4) Denique reſtituetur quoque diſciplina Eccleſiaſtica in priſtinum ſplendorem. Indubitatam hanc ſpem fovemus: nec abſterremur impedimentis quibuscunque, quæ in præſenti rerum ſtatu huic Eccleſiæ felicitati obicem ponere videntur. Perrumpet illa omnia pleniſſima animorum nunc varie diviſorum in promovendum honorem Dei conſpiratio; *quando* Magiſtratus, qui nunc ſæpe honori ſuo nimium timent, gloriam ſuam lubentiſſime in cœleſtes Solymas transferent, & Eccleſiæ commoda promovere pro ſummo honore ducent: *quando* Doctores zelo fervidiore animati, & in Spiritu, poſthabitis, qui nimis inter multos dominantur, affectibus carnalibus, propius conjuncti erunt: *quando* totius populi Dei unus ſenſus, unum ſtudium erit, ut gratioſa illa dona, quibus eos Jehova cumulabit, intaminata conſtantiſſime conſerventur. Nam procul dubio reſtauratio illa ordinis & decentiæ in Eccleſia Dei excellentisſimum medium erit, per quod fruitio tantæ beatitudinis in terris tam diuturna evadet. Ut vero conſtet, quam ſolido fundamento hæc noſtra exſpectatio nitatur, irridentibus incaſſum multis ævi noſtri Pſeudo-Politicis, quin & Pſeudo-Theologis incredulis & in ipſa luce cœcutientibus, conſideranda exhibemus ſequentia Prophetarum loca. Jes. XXXIII,20. *Vide Zionem civitatem condicti conventus noſtri: oculi tui videbunt Hieroſolymam manſionem tranquillam, tentorium, quod non tranſit, cujus paxilli nunquam movebuntur & cujus nulli rumpentur funes.* Pertinet hæc Prophetia ad tempora, in quibus

doctrinæ veritatis demonſtratione, veneratione & ſequela quam exigent, præcipue in reſtitutione diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

Certitudo hujus ſpei ex diverſis vaticiniis evincitur.

Jeſ. XXXIII. 20. explicatur.

quintum & ultimum *væ* hostibus Ecclesiæ N. T. a Jesaia ingeminatum præteriit, id est ultima. In illis comparatur *tentorio*, non quale illud ambulatorium in deserto, quod typum Ecclesiæ primitivæ gerebat, *sed tale quod non transit.* Et constantiæ istius medium illud memoratur, *quod paxilli nunquam movebuntur & nulli funes rumpentur. Paxilli & Funes* consuetum Legum emblema sunt. Unde certum est, accuratam Legum divinarum ad Ecclesiæ commodum pertinentium, ejusque fines & limites constituentium, observantiam tum temporis prævalituram: quod fieri nequit, ubi *funes* Ecclesiæ, amoris & unionis vincula, a confessoribus externis impune rumpuntur. Eodem respicitur Jes. LX, 18. *Non audietur amplius vis in terra tua, vastitas & fractio in terminis tuis, & vocabis salutem muros tuos, & portas tuas laudem.* Suppono non posse has similesque Prophetias de statu Ecclesiæ internæ intelligi. Ejus enim termini semper inconcussi stant: hic vero aliquid speciale ultimis temporibus promittitur. Necessario ergo de statu Ecclesiæ externæ Propheta est capiendus. Jam vero, quomodo non *audiretur vis in terra* Jehovæ, si ipsi, qui pro ejus membris haberi volunt, populo Dei impune insultare pergerent? Quomodo cessaret *fractio in terminis*, quamdiu termini Ecclesiæ, disciplina posthabita, dubii & obscuri manent? Quod sunt *muri* civitati, id Ecclesiæ est disciplina. Quomodo ergo per murorum soliditatem populus Dei salvus esse potest, quamdiu illorum loco nil nisi rudera & ruinæ conspiciuntur, per quas porci & canes pro lubitu transiliunt? Id quoque innuitur in mystico Templi Ezechielis cultu descripto c. XLVII, 23 24. *Et populum meum docebunt distinguere sanctum & commune, & internoscere inter impurum ac purum. Et super controversia illi stabunt ad judicium: judiciis meis judicabunt eum: & leges meas ac definitiones meas in omnibus temporibus meis observabunt, & Sabbata mea sanctificabunt.* Hinc & de nova Hierosolyma dicitur Apoc. XXI, 12. quod *habebat murum magnum*

Eodem refertur Jes. LX, 18. &c.

& al-

& altum & v. 27. *Non intrabit in eam omne polluens & faciens abominationem & mendacium: nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni* & c. XXII, 15. *Extra autem sunt canes & incantatores & scortatores & homicidæ & idololatræ, & omnis, qui amat & facit mendacium.* Quam longe hæc absunt a tristissima præsentium temporum facie, ubi muro remoto tot adhuc sceleratis copia datur, se pro membris Christi veræque Ecclesiæ venditandi! Quod si in publico iidem se fratres & amicos horum illorumve honestorum hominum dicerent, non tolerarentur, quia externa etiam cum iis familiaritas dedecori viro bono esset. Et patimur tamen, hos ipsos coram nostris oculis comparere; porro ore manuque testatum facere, se fratres & amicos interioris admissionis Christo, omnibusque sanctis esse. O tempora! o mores! Ecquid ergo æquius, quam tot fidelis Jehovæ de eluenda hac macula promissa, quantum in nobis est urgere, omnique occasioni invigilare, per quam tanta spes Ecclesiæ promoveri potest?

XIX. Origo dignitatis descriptæ ab ipso Messia est: משיחתו CONSTITUET EOS. Omnis excellentia Filiorum Dei fluit ex merito Christi, quo jus υἱοθεσίας acquisivit, Gal IV, 5-7. quod per Spiritum suum applicat singulis electis in justificatione Joh. I, 12. Atque is est potissimus finis totius Regni ejus. Unde illum pro fonte omnium prærogativarum, quas possident, agnoscunt. *Sol & clypeus est Jehova Deus. Gratiam & gloriam dat Jehova; non negat bonum ullum iis, qui ambulant in integritate* Ps. LXXXIV, 12. Adde exscriptum jam supra locum Ps. CXIII, 7. 8. Ab eo mystice exspectatur: *ut sint filii nostri ut plantæ educati in juventute sua: filiæ nostræ ut angulares lapides politi, in speciem palatii* Ps. CXLIV, 12. Unde ei acceptum fertur, quod *dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris per sanguinem suum, & fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo* Apoc. I, 5. Conf. Apoc. V, 10. Vox textus talem constitutionem exprimit, quæ est firma & constans. Honos filiorum Dei non est sicut honor hujus mundi, qui ci-

Constitutio hujus Principatus a solo Messia est. & constantiam ejus implicat.

to evaneſcit. Quos Meſſias honoravit & coronavit gloria, ii in æternum fulgebunt. Eo refer στέφανον τῆς δόξης ἀμαραντίνον, 1. Petr. V, 4. Sed hæc æternitas gloriæ in cœlis ad omnes electos pertinet. Hic vero etiam illa diuturna duratio gloriæ innuitur, quam in terris fideles exſpectandam habent. *Florebit temporibus ejus juſtus, & amplitudo pacis, donec non ſit luna* Pſ. LXXII, 7. *Filii ſervorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum ſtabilietur coram te* Pſal. CII, 29. Sed hoc ex ultimo commate, quod nobis excutiendum reſtat, patebit affatim, in quo diuturnitas gloriæ, quam Filii Meſſiæ ei ferent, deſcribitur.

Nomen Dei & Meſſiæ non πλεονάζει, *ſed ſummam emphaſin habet.*

XX. Objectum laudum perpetuarum erit NOMEN EJUS, Meſſiæ Regis. Nam ipſe *Bucerus* & alii, qui in reliquis hujus Pſalmi partibus duplicem ſenſum ſtatuunt, & literaliter omnia ad Salomonem detorquent, hunc tamen verſum ſaltem excipere vi veritatis coguntur. Vox שם & ὄνομα de Deo Chriſtove uſurpata in lingua ſancta auguſtiſſimæ eſt ſignificationis. Quare immerito inter pleonasmos refertur a *Vorſtio* de Hebraism. N. T. lib. I. c. 14. Cum enim *nomen* id præciſe ſit, quo res ab aliis ſuppoſitis diſtinguitur & cognoſcitur, per *nomen* Dei & Chriſti etiam tota illa excellentia deſignatur, qua uterque omnibus creaturis opponitur, & a nobis agnoſcitur: adeoque quicquid in Deo & Chriſto objectum cognitionis, fidei, amoris & cultus eſſe poteſt. Unde liquet

Nomen & gloria alternant.

ſynonymam hanc vocem eſſe τῷ כבוד, δόξα. Apud ipſos profanos authores hæc vocabulo ὄνομα & δόξα alternant. *Ælianus* Var. Hiſt. lib. I. c. 13. Πολὺ ἦν τὸ τῦ Σωκράτες ὄνομα i. *Ingens erat Socratis gloria.* Sic & μέγα ὄνομα κατ' ὀλίγον ἀποῤῥεῖ i. *magna gloria* (ſc. in terris) *paullatim defluit* apud *Lucianum* Navigant. p. m. 511. Venus in Hippolyto *Euripidis* v. 1.

Πολλὴ μὲν ἐν βροτοῖσι κἀνκ ἀνώνυμος
Θεὰ κέκλημαι Κύπρις

i. *potens apud mortales & gloria pollens Dea, Cypris vocor.*

Hinc

Hinc ὀνομαστὸς, ἔνδοξος, ἐνδόκιμος & κλέος, δόξα, φήμη, ὄνομα, ut synonyma obveniunt apud *Pollucem* Onomaſt. V. §. 158. Adduco hæc eo lubentius, ut addam obſervatiunculam, quæ mihi non videtur negligenda. Multæ enim ſunt voces & phraſes, quæ ſimul in Hebraica, ſimul in Græca lingua authoritatem habent, unde multa lis ſubnata inter eos, qui de ſtylo N. T. commentati ſunt, an ad Hebraismos, an ad Græcismos puros ſint referendæ. Quam controverſiam ego ita componendam duco, ſaltem in multis, ut quæ cum Hebraismo analogiam habent, quamvis etiam apud authores prophanos exempla occurrant, ſecundum vim & emphaſin tamen Hebraismi neceſſario explicanda mihi videantur, *tum* quia ſcriptores omnes N. T. ſtylo Helleniſtico adſueti, *tum*, quia tales Hebrææ linguæ in aliis idiotismi rudera ſunt, quæ omnium eam antiquiſſimam & communem matrem oſtendunt. Ita quamvis apud Græcos quoque ὄνομα pro δόξα ponatur, ex Hebraicæ tamen linguæ genio id ſervatum eſt, in qua nihil frequentius, præſertim quando de nomine divino agitur. Abunde hoc demonſtratum eſt exemplis apud *Ravanellum*, *Flaccium Illyricum* & alios Lexicographos. Exegeſis hæc divina authoritate ſtabilita eſt Exod. XXXIII, 19. & XXXIV, 5. collatis cum XXXIII, 18. ubi שם & כבוד alternant.

Stylus Helleniſticus in N. T. plerumque eſt præferendus.

Hic ſpeciatim videndum, quid per *nomen Meſſiæ* intelligatur, quod æque late patet, ac *nomen Dei*, *tum* quia ipſe eſt Deus, *tum* quia *nomen Dei* eſt in ipſo, *tum* quia ipſe in emphaſi aliquando *nomen Jehovæ* appellatur. Involvit ergo *nomen* Meſſiæ I. omnes ejus divinas perfectiones, præcipue illas, quas in regno gratiæ revelavit, quarum catalogus Exod. XXXIV. 6. datur. Confer Pſ. CXLV. 1. 2. coll. 3. 7. 8. Inter omnes vero virtutes præcipue *gratia* חסד pro *nomine* ejus habetur, uti ex Exod. XXXIII, contextu, præcipue ex v. 19. iterum patet. Unde & Pſ. XLIV, 27. חסד a LXX. per ὄνομα redditur. II. Omnia ejus opera, præcipue quæ in Œconomia ſalutis ab eo geſta ſunt, uti ex eodem Pſal. CXLV. col-

Per nomen Meſſiæ intelliguntur

1) *omnes ejus perfectiones:*

2) *omnia ejus opera:*

collatis v.1.2. cum 4.5.6. conſpicitur. In hic enim operibus virtutes ſuas demonſtravit. Præcipue obedientia & meritum Chriſti conſideratur ut *nomen* ejus, per quod juſtificamur 1. Cor. VI, 11. III. Verbum gratiæ, quod per ipſum revelatum eſt, & de eo agit. Sic תורה per ὄνομα redditur Jes. XLII, 4. coll. Matth. XII, 21. Act. IX, 15.16. XXVI, 9. Septuaginta quoque ὄνομα ponunt pro דבר 2. Chron. I, 9. & pro שמע Jes. LXVI, 19. IV. Fœdus illud æternum & immutabile, per quod ſuam fidem obſtrinxit. Hoc eſt illud *nomen*, quod ſuper fideles invocatur, & ad quod in precibus ſuis provocant, in quod etiam baptizati ſunt. V. *Nomina* ſymbolica Deitatis, quæ Meſſiae tribuuntur, & præcipue *Nomen Jehova*, quod eſt *memoriale* ejus, qui cum Jacobo luctatus eſt Hos. XII, 6. Hoc potiſſimum innuitur Apoc. XIX, 12. *Habebatque nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi ipſe.* Nomen enim *Jehova* hic innui colligo, *tum* ex eo, quod verſu præcedente dicitur: *appellabatur fidelis & verax*, quæ vera & genuina nominis tetragrammati eſt interpretatio: *tum* ex eo, quod reſpicitur ad tiaram ſummi Sacerdotis, in cujus lamina aurea *ſanctitas Jehova* legebatur: *tum* ex eo, quod phraſis alludit ad reverentiam, quam Judæi nomini huic ἀνεκφωνήτῳ dederunt, quod non auſi ſunt pronunciare. Nec obſtat, quod v.13. addatur: *vocaturque nomen ejus: Sermo ille Dei;* Sed potius noſtram hypotheſin confirmat. Valde enim probabilis mihi videtur illorum conjectura, qui per nomen λόγος ad Chaldæorum מימרא alluſum putant, non quaſi Meſſiam ſpeciatim hac denominatione ſemper deſignaverint, quod probatu eſt difficile, ſed quia nominis tetragrammati hæc conſueta apud eos periphraſis eſt. Quamvis autem huc alludi potuiſſe conceſſerim in noſtro loco, non tamen in illa alluſione explicaturo vocem λόγος ſubſiſtendum puto, cum nomen דבר jam ab antiquo nomen myſticum Filii fuerit in pluribus V. T. locis. Cæterum tetragrammatum *nomen* Meſſiae cum ſingulari emphaſi competere adeo liquidum eſt ex ſacris paginis, ut volentes

3) *verbum gratiæ:*

4) *fœdus æternum:*

5) *nomina ſymbolica & præcipue nomen Jehova: Apocal. XIX, 12. illuſtratur.*

Nomen Jehova cum λόγος coincidit.

lentes nolentes in propriae cauſſae ruinam id confiteri adacti ſint Judæi, ſicut merito a multis ex noſtris contra eos notatum eſt. Nominare hic ſufficit *Raymundum* Pug. Fidei III. 3. cap. 2. pag. m. 641. ſeqq. *Grellotum* Prodrom. Apocal. pag. 22. *Pearſonium* in ſymb. pag. 266. *Altingium* Prolegom. in Jerem. p. 660. *Cramerum* Theol. Iſr. P. II. diſſert. I. c. 8. *Edzardum* Berach. c. I. p. 226. 235. ſeq. *Eiſenmengerum* Jud. Revel. p. I. p. 213. ſeq. *Michaelis* de nomin. Chriſti p. 5. ſq. &c. VI. Relationes illæ, quas per opus mediatorium tum ad Patrem tum ad fideles Meſſias accepit, paſſim quoque ut nomen ejus conſiderantur Jes. VII, 14. *Vocabis nomen ejus Immanuelem* Jes. IX, 6. *Nomen ejus vocabitur, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis robuſtiſſimus, Pater æternitatis, Princeps pacis* Jerem. XXIII, 6. *Hoc nomen ejus eſt, quo vocabunt eum, Jehova juſtitia noſtra.* Confer heic Geneſ. XXXII, 29. Judic. XIII, 18. VII. Præcipue nomen *Filii* ut ἀφορώτερον ὄνομα introducitur Hebr. I, 4. quodque tam incomprehenſibile & excellens eſt, ut ferre nullum fortius habeamus ad os obtundendum Photinianis pro divina excellentia Meſſiæ argumentum. Et hoc ipſi Judæorum Magiſtri ut nomen Meſſiæ agnoſcunt, quando Pſal. LXXII, 17. ינון pro nomine proprio habent: *Ante Solem* ינון i. *Filius vel generatus eſt nomen ejus.* VIII. Quin tota illa gloria & majeſtas, quam Salvator noſter poſt paſſiones obtenturus erat, ut præmium laboris, ut *nomen* ejus conſideratur. Hoc eſt *nomen ſuper omnia nomina*, quod Pater ipſi dedit Phil. II. 9. Unde Apoc. XIX, 16. & hoc nomen in femore ſcriptum habet: *Rex Regum, Dominus Dominantium.* IX. Denique ipſa laus & celebratio virtutum Chriſti, ut *nomen* ejus poteſt conſiderari Pſ. VIII, 2. Pſ. LXXXIX, 17. Mal. I, 11. &c. In pleriſque tamen locis propheticis non unum & alterum horum ſignificatorum, ſed plura ſimul innuuntur, quod ſecundum ſubjectam materiam eſt diſcriminandum.

6) *relationes Meſſiæ in mediatorio actu ad Patrem & fideles.*

7) *nomen filii:*

8) *gloria quam poſt paſſiones nactus eſt;*

9) *celebratio virtutum ejus a fidelibus inſtituenda.*

XXI. Hic nihil prohibet omnia hæc ſimul conjungere. Quisnam vero circa pulcherrimum hoc objectum actus præci-

Recordatio nominis Dei & Meſſiæ

omnia religioſi cultus officia deſignat.

præcipue ſit obſervandus, declaratur per אזכירה FACIAM RECORDARI. Hebraeis ſub *recordationis* voce multa comprehenduntur. Quando Deo adſcribitur, omnes actiones deſignantur, quibus virtutes ſuas fœderales inter homines demonſtrat. Et reciproce quando de fœderatis Dei & electis uſurpatur, omnia religioſi cultus officia includit. Quod linguae ſanctae cum aliis eſt commune. Ex Arabiſmo phraſin illuſtrat *Lud. de Dieu* ad Levit. II. 2. Apud gentiles certi quidam rerum ſacrarum Præfecti dicebantur ἱερομνήμονες. *Antoninus* de rebus ſuis lib. VI. c. 7. inculcat πάντα σὺν μνήμῃ Θεοῦ, i. *omnia cum recordatione Dei.* Conferri poſſunt *Antonii* & *Maximi* collectiones ſentent. Serm. 84. *Gatakerus* ad cit. Antonini locum. *Witſius* Miſcell. Exerc. VI. §. 6. 7. In ſacris paginis cultus divinus in genere *recordatio* Dei dicitur. Eccleſ. XII. 3. Jeſ. LXIV. 5. Jerem. LI. 50. Singulæ quoque partes, quæ cultum hunc conſtituunt, hac phraſi exprimuntur. Prædicatio verbi divini Jerem. XX. 9. Converſio ad Deum Ezech. VI. 9. Confugium fidei & fiducia in Deo Nehem. IV. 14. Jon. IV. 8. Præceptorum Dei obſervatio 2. Sam. XIV. 11. Celebratio virtutum ejus Pſalm. VI. 6. Totus cultus Leviticus in V. T. erat memoria nominis divini Exod. XX. 24. Hinc ſuffimenta dicuntur אזכרה, μνημόσυνον Levit. II. 2. In modulationibus quoque muſicis Levitarum Dei erat *recordatio* 1. Chron. XVI. 4. Inde translatum eſt ad cultum ſpiritualem N. T. prioris antitypum Pſ. CII. 13. Zach. X. 9. Et frequentiſſime ille *recordatio nominis divini* appellatur Pſ. XX. 8. CXIX. 55. CXXXV. 13. Jeſ. XII. 4. XXVI. 13.

De ſingulis quoque cultus partibus uſurpatur.

Rationes ſunt
1) quia ſupponitur excellentiæ nominis Meſſiæ cognitio:

XXII. Quænam vero huic phraſi inſit elegantia & emphaſis, propius enucleandum eſt. I. Nemo cujuscunque rei *meminit*, niſi quam prius cognoverit. Itaque *recordatio nominis Meſſiæ* ſupponit *tum* revelationem ab antiquo Eccleſiae factam, *tum* cognitionem virtutum, operum, verbi, fœderis, relationum, gloriae & cujuscunque excellentiae, qua ſe ut amabilem propoſuit, & quidem in illa menſura, quae tempori-

poribus N. T. promissa est. *Cognoscet populus meus nomen meum* Jes. LII. 6. II. Ipse *recordationis* actus consistit in repetita sæpius mentis attentione ad ea, quae prius didicerat. Sic affecti sunt fideles erga Messiam. *Nunquam obliviscuntur nominis Dei sui* Ps. XLIV. 21.

2) *quia in singulis cultus partibus nomen Messiæ identidem in mentem revocatur.*

Μνημονευτέον Θεῦ μᾶλλον, ἢ ἀναπνευστέον

i. *Recordatio Dei magis necessaria est quam respiratio*, ut est apud *Maximum* cit. loco. Quare & *Philo* de migr. Abrah. p. 396. ait: τῦ δὲ μεγέθους καὶ πλήθους ἀρχὴ τῶν καλῶν καὶ τέλος ἡ ἀδιάσειστος περὶ Θεῦ μνήμη. i. *Magnitudinis autem multitudinisque bonorum & initium & finis est indesinens Dei memoria.* Hic sensus fidelium est de Messia: hic fructus amoris erga eum, quo incensi sunt, quique efficit, ut cogitationes eorum frequentissime circa ejus virtutes, opera, & sic porro, occupatae sint. Si in exercitio pietatis operam insumunt, recurrit identidem imago dilecti, per quem solum iis accedere ad Patrem permittitur. In precibus recordantur *nominis* ejus, per quod orare debent Joh. XIV. 13. & *gratias agere* Eph. V. 20. in verbi mediatione *nomen* ejus est clavis cognitionis, quod ubique quaerunt: in donis spiritualibus quando deliciantur, ad hoc *nomen*, tanquam unicum fontem recurrunt: in Sigillorum usu inveniunt *memoriale*, quod per ea Ecclesiae universae Christus communicavit, praecipiens: Τῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν: Luc. XXII. 19. in ipsa operum naturae contemplatione recordantur *nominis* ejus, cujus pulcherrima emblemata creaturis impressa praevio verbo ubique deprehendunt. Ps. VIII. 4. 5. Obversatur quoque hoc *nomen* fidelibus in virtutum Christianarum studio, ad quod per considerationem gloriae Christi animantur. 2. Cor. III. 18. Et quamvis in rebus ad externae vitae sustentationem pertinentibus occupentur, tum quoque dilectum hoc *nomen* memoria non excidit. Memores sunt praecepti Apostolici Col. III. 17. *Et omne, quod facitis, in sermone aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu, gratias agen-*

tes Deo & Patri per ipſum. Nec interdiu ſolum ſed & noctu mentis acie in *nomen* Meſſiæ ſunt defixi Pſ. LXIII. 7. Præcipue in nocte afflictionum, tentationum, paſſionum, in qua per memoriam hujus nominis efficaciſſime ſuſtentantur. III. Pleniori ſenſu *recordatio* talem repetitam mentis attentionem includit, quae cum diligentia & cura inſtituitur. Hinc apud alios quoque authores *meminiſſe* deſignat curam rei habere. Sic Graeci dicunt μεμνῆσθαι πατρὸς καὶ μητρὸς pro *curam eorum gerere*, officia iis debita implere. *Horatius* Epiſt. VIII. lib. I.

3) *Quia ſollicitu ſemper cura fideles premit ad præſtanda illa officia, ad quæ per nomen Meſſiæ obligantur:*

Præceptum auriculis hoc inſtillare memento.

Hinc memor cura apud *Ovidium* de Ponto IV. El. 2.

Carmina ſola tibi memorem teſtantia curam
Non data ſunt - -

Hoc neceſſario in *recordatione nominis Meſſiæ* includendum eſt. Ubi enim illa rite fit, ibi ſimul cura geritur, ut officia illa impleantur, quæ ex *nominis Meſſiæ* conſideratione derivantur. Sic *recordatio perfectionum* Meſſiae involvit, ut divinam ejus excellentiam cum ſancto timore revereamur, & illas virtutes, quas in opere redemtionis exſeruit, nobis in exemplum proponamus. *Recordatio operum* & præcipue redemtionis per ſanguinem ejus nos urgebit, ut juſtificationem & ſalutem per veram fidem in eo quaeramus, gratoque corde beneficii hujus magnitudinem agnoſcamus. *Recordantes verbi ſui* iſtud pro perpetua norma tum credendorum tum agendorum ponemus. Quod ſub eleganti ſymbolo Legislator Iſraeli inculcavit, præcipiens: *alligabis ea* (præcepta) *in ſignum manui tuæ & erunt pro frontalibus inter oculos tuos* Deut. VI. 8. Quatenus enim norma fidei ſunt, *frontali inter oculos* comparantur: quatenus vero actionibus exprimenda, ut *ſignum in manu* ponendum conſiderantur. *Recordamur* fœderis, quando ſtipulationes fœderales, quantum in nobis eſt, implere ſtudemus.

Nota ad Deut. 6:8.

Qui

Qui nominum symbolicorum & præcipue *nominis Jehova* recordantur, ii nil nisi fidei spei que suæ fundamenta, amorisque & honoris Messiæ exhibendi argumenta deprehendunt. Qui *recordantur relationum*, quas in opere mediatorio ad populum suum Messias nactus est, illum vera fide pro suo Magistro, Pontifice, Intercessore, Rege, Judice agnoscunt & recipiunt. Qui *recordantur filiationis* ejus, incomprehensibilis amoris divini, qui per hoc nomen exprimitur, magnitudine ipsi incenduntur. Qui *recordantur gloriæ*, qua vestitus est, glorificare illum corde, ore, opere studeant. Qui *recordantur laudum* Messiae, quae in Ecclesia enarrantur, in iis gaudent, easque omni intentione virium continuare & promovere quaerunt. IV. *Recordatio* id speciatim includit, ut illius rei, cujus meminimus, etiam apud alios mentionem instituamus, dignis modis eam celebrando. Hinc *meminisse* pro laudare, depraedicare apud *Phædrum* lib. IV. fab. 25.

4) quia nominis Messiæ frequentem mentionem faciunt. Meminisse pro celebrare. Sepulchra memoriæ dicebantur.

Dum sanitas constabit, pulchre meminero

Hic *memoria* pro celebratione passim. Et sepulchra dicta *memoriæ*, non tantum, quia *eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, in memoriam revocant*, uti placet *Augustino* de cura pro mort. c. 4. sed etiam, quia divites legatis cavere solebant, ut commemoratio eorum ad sepulchra quotennis instituerentur. Docet id *Barthius* Adversar. lib. X. c. 1. ex *Scævola* Jc. lib. XX. Digestorum cap. 18. de Alim. leg. *Quos libertos meos, ubi corpus meum positum fuerit, ibi eos morari jubeo, ut per absentiam filiarum mearum ad sarcophagum meum memoriam quotennis celebrent.* Ergo *recordatio* nominis Messiae id quoque includit, ut virtutes, opera, & quicquid per *nomen* ejus intelleximus, memori dictione celebretur, idque *tum* precibus & δοξολογίαις ad eum & Patrem directis Apoc. V. 12. *tum* prædicatione publica, quae in Ecclesia perennem Messiae memoriam conservat Ps. CXLV. 6. Duplex haec recordatio arctissime juncta est, & per vices fideles occupat. *Recordan-*

Dupliciter nomen Messiæ commemoratur tum coram Deo per preces, tum coram hominibus per laudes,

quo hic potissimum respicitur.

tur nominis Messiae coram Deo, quando illius perfectiones, meritum, promissiones coram throno gratiae ferunt, & in hoc nomine propitiationem cum Deo & cætera beneficia gratiae unice quaerunt. *Recordantur* coram hominibus, quando gloriam Messiae aliis enarrant, liberos, domesticos, & quoscunque adhortandi ansam habent, in cognitione nominis hujus instituunt, seque invicem ad agnoscenda & celebranda mysteria tot gratiae in nomine Messiae recondita excitant. Nervose hanc utramque memoriam urget Doctissimus *Patrick* Mens. Myst. lib. I. c. 1. Atque haec notio hic potissimum respicienda, quia secundum datam analysin describitur praeambulum in laude Messiae, quo alii excitandi ad conjungendum se choro celebrantium, quod ibi efficacissime fit, ubi Praecones Evangelii omnibus viribus annituntur, ut *nomen* Mesiae coetui fidelium magis magisque innotescat.

Qui spondet se facturum recordari nomen Messiæ,

XXIII. Nec negligenda est forma Hiphil, in qua verbum nostrum occurrit: FACIAM *recordari*, quae in similibus phrasibus consueta est, quae eodem respiciunt. Sic Ps. XX. 8. *Nomen Jehovæ nostri faciebamus recordari.* Jes. XXVI. 13. נזכיר שמך i. *facimus recordari nomen tuum.* Facit, ut alii recordentur, qui nomen Messiæ coram aliis *commemorat*, sive deprædicat. Atque hoc sensu postremum officium hic designaretur, quod sub *recordationis* emblemate comprehendimus. Sed potest etiam aptissime, qui loquitur, ab illis, qui *commemorare nomen Messiæ* in N. T. debebant, distingui, & ut impulsor eorum ad praeconium Evangelii considerari.

est aut Psaltes ipse,

Si enim vel in sola Psaltis persona hic subsistamus, ille ab initio monuerat, se carmen suum consecrasse Regi, suoque exemplo juxta cum reliquis omnibus Prophetis V. T. incitamento est Ministris N. T. ut eadem vestigia observent: praecipue quia illi in implemento omnem gloriam Messiæ a Psalmista descriptam visuri, atque inde fortissimum fidei suæ firmamentum hausturi erant. Quis enim debitum honorem ei subtraheret, qui talem se actu revelat, qualis secundum delinea-

tio-

tionem prophetiæ esse debebat? Aut quis turpissimæ ingratitudinis notam effugeret, si sub evidentissima gloriæ Messiæ revelatione se ab iis in studio eum celebrandi vinci pateretur, qui eandem gloriam tantum in obscuro ænigmate & e longinquo præviderunt? Sed ulterius quoque nos evehit hæc dictio. Meminerimus linguam Psaltis esse *calamum cœlestis Scribæ*, id est ipsius Spiritus sancti, adeoque verba ejus non esse sua, sed Spiritus ad calamum dictantis, quæ ipse effecturus erat. Sic plena constabit emphasis. Spiritus sanctus enim ille est, cujus opus primum, secundum consilium gratiæ istud erat, ut gloriam Messiæ promoveret. *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & renunciabit vobis* Joh. XVI. 14. Illius est, Praecones Evangelii instruere & animare, ut laudes Messiae annuntient. Unde cum *vento* comparatur, qui *animalia* & *rotas* currus Messiae agit & inspirat Ezech. I. 12. 20.

aut Spiritus S. per eum loquens.

XXIV. Commendatur porro opus per se excellens a duratione continua: בכל-דר ודר IN OMNEM GENERATIONEM ET GENERATIONEM. Per דר Scripturam intelligere ætatem hominis manifestum est. כל-דר ergo denotat omnes ætates insequentes usque ad finem mundi. Majoris emphasis caussa דר duplicatur, sine dubio, ut non tantum perpetua, sed etiam nunquam interrupta successio indicetur. Tamdiu continuis laudibus nomen Messiae commemorandum erit. Constantissima est conservatio Ecclesiae Dei in terris. Haec unica caussa est propagationis generis humani. Hoc pactum fœderis Noachici. Hic scopus longanimitatis omnis, quam exercet Deus. Haec nunquam interrupta conservatio est medium, per quod commemoratio nominis divini, & in N. T. nominis Messiae a praecedenti *generatione* sequenti inculcatur & traditur Ps. LXXVIII. 3-7. Jure autem merito ab illa *generatione* id exspectabatur, quae ἁπλῶς *generatio Messiæ* est Jes. LIII. 8. Idque potissimum in illis aetatibus, in quibus semen Messiae amplissimum in terris erit. Felicitas haec, si

In omnem generationem & generationem indicat memoriam non tantum perpetuam sed etiam nunquam interrumpendam.

quaedam alia, durabilis erit. *Erit nomen ejus in ſeculum: coram ſole propagabitur nomen ejus* Pſ. LXXII. 17. Et ſpeciatim de perenni duratione praedicationis Evangelii ſplendidiſſima eſt promiſſio Jeſ. LIX. 21. *Hoc eſt fœdus meum cum ipſis: Spiritus meus, qui eſt ſuper te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore ſeminis tui, & ab ore ſeminis ſeminis tui, dicit Jehova, a nunc & in ſeculum.*

Confeſſio a memoria poteſt diſtingui.

XXV. Conſequens commemorationis eſt CONFESSIO POPULORUM. In perſonis, quæ *confeſſionem* Meſſiæ reddent, non opus eſt ut ſubſiſtamus. Nominantur POPULI, cujus vocis vim indicavimus Exercit. V. §. 31. Et in omni emphaſi eam hic ſumendam, patet ex iis, quæ §. 16. hujus Exerc. de extenſione regni Meſſiæ ſuper *totam terram* dicta ſunt. *Confeſſionem* populorū multi cum *commemoratione* confundunt. Sic *Baſilius* in h. l. Τίς δέ ἐστιν ἡ τῆς ἐκκλησίας μνήμη; ἐξομολόγησις τῶν λαῶν i. *Quid per memoriam Eccleſiæ intelligitur? Confeſſio populorum.* Et fateor multa in utriusque vocis notione concurrere. Habent tamen ſingulæ aliquid peculiare, quod ut in luce ſiſtamus, primo quid ſit *confeſſio Dei* in genere explicandum, atque inde pateſcet, quid hic per *confeſſionem Meſſiæ* intelligi poſſit.

Confeſſio varia in ſcriptura memoratur 1) peccatorum: 2) per cultum Dei: Jehuda ſunt veri Dei cultores in N. T.

XXVI. Convenit יָדָה Græcorum ὁμολογεῖν & ἐξομολογεῖν. I. In tenuiori ſenſu ad Deum relatum confeſſionem peccatorum exprimit Joſ. VII. 19. Pſ. XXXII. 5. Prov. XXVIII. 13. II. In auguſtiori vero totus cultus Dei per יהודה deſignatur 1. Reg. VIII. 33. 35. Præcipue cultus N. T. Pſ. XLIII. 4. L. 14. 23. C. 4. CXXII. 4. Hæc vera eſt cauſſa, cur populus Dei ut Jehuda ſpiritualis conſideretur. Sive enim ab יהודה cum plerisq;, ſive cum *Hillero* Syntagm. Hermen. loc. XIII. c. 3. p. 359. a יהד derivetur, certum tamen eſt a *confeſſione* hunc Patriarcham dictum eſſe ex Gen. XXIX. 35. XLIX. 8. Hinc *Judæi* verum Dei cultum in N. T. profitentes & exercentes Apoc. II. 9. III. 9. *Non enim, qui eſt in propatulo Judæus, Judæus eſt: nec ea, quæ eſt in propatulo circumciſio, id eſt in carne, circumciſio eſt, ſed qui in occulto*

Ju-

Landesbibliothek Oldenburg

Judæus est, & circumcisio cordis, id est, in spiritu, non in litera: cujus Judæi laus (confessio) *non est ex hominibus, sed ex Deo*, ait Apostolus Rom. II. 28, 29. Quocum convenit, quod ait *Author Nizzachon* Sect. לך לך §. 21: מי שאינו מאמין כשורה אין מילתו משוה אותו ליהודי גם המאמין כשורה הרי הוא יהודי אפי' אינו נימול i. *Qui non credit, ut oportet, circumcisio ejus non facit eum Judæum. Qui vero credit, ut oportet, ille est Judæus, etiamsi non sit circumcisus.* Eodem ex fonte est, quod illa sacrificia, quæ potissimum veram rationem cultus N. T. adumbrabant, dicerentur sacrificia תורה, ad quæ citato Ps. L. loco respicitur evidentissime. Adde Ps. LIV. 8. Ps. CVII. 22. CXVI. 17. Pertinebant illa ad classem τῶν שלמים, & solebant pro beneficiis a Deo acceptis cum in solennibus festis, tum in aliis occasionibus offerri. Ratio illorum præscripta est Levit. VII. Typum post alios nos quoque tractavimus in Tract. Vernac. de fœdere gratiæ c. XIV. §. 11. Specialius autem *confiteri* de singulis & primariis cultus divini partibus dicitur. *Sacrificia* תורה.

III. Igitur denotat actum illum fidei, quo fœderi gratiæ adstipulamur, quia adstipulatio illa cum confessione tum indignitatis tum omnisufficientiæ Dei in Christo conjuncta est. Sic restauratio fœderis cum Deo hoc verbo innuitur 2. Chr. VI. 24. Et ὑποταγὴ τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον 2. Cor. IX. 13. nihil aliud est, quam ὑπακοὴ τῆς πίστεως Rom. I. 5. Hanc *confessionem*, quæ est radix omnis spei & consolationis, ut *firmiter retineamus* hortatur Apostolus Hebr. IV. 14. Hinc in *Glossariis* veterum: ὁμολογίω *Voto, fateor, consentio.* Et: Ομολογία *Confessio, Stipulatio, Concinnitudo, Pactio, Convenientia, Votum.* Plura ex Græcis scriptoribus notavit *Stephanus* in Lexico & *Outreinius* in Hebr. III. 1. & X. 23. Et persuasus sum, *sacrificia confessionis* ad adumbrandum actum hunc fœderalem præcipue pertinuisse. Quin in etymo vocis, quæ a יד videtur derivanda, est aliquid, quod hanc significationem egregie illustrat: cum non tantum fœdera porrectis datisque manibus antiquitus stabilita sint, sed etiam *confessio* super sacrificia impositis capiti hostiæ *3) per adstipulationem fidei ad fœdus gratiæ:*

Landesbibliothek Oldenburg

hoſtiæ manibus fieri ſoleret. Unde & obſtrictio, quæ Deo fit in baptiſmo, ut *confeſſio* conſiderabatur a Patribus. Vide *VVetſtenium* in Origen. ad Martyr. p. 117. 118. IV. Ex hac *confeſſione fidei* naſcitur *confeſſio ſpei*, de qua Hebr. X. 23. quæ fit per gloriationem fidei in bono, quod indubitato exſpectatur. V. Communiſſime tamen intelligitur *confeſſio*, quæ fit per celebrationem Dei. Talis *confeſſio* Meſſiæ adſcribitur Pſ. XXXV. 18. LXIX. 31. CXVIII. 19. 20. Matth. XI. 25. & fidelibus Pſalm. LXXXIX. 6. XCVII. 12. & in plurimis aliis locis. Et diſtincte conſiderari meretur ejus tum objectum, tum actus. *Objectum celebrationis* eſt, quicquid Deus de ſe revelavit, quod ut excellens Deoque dignum anima fidelis agnoſcit & deprædicat, adeoque *nomen* ejus Pſ. LIV. 8. CXXXVIII. 2. Speciatim mentio fit *confeſſionis* virtutum, quas in opere gratiae exſeruit, quo ſpectant benignitas Pſ. CVI. 1. CXXXVI. 1. veritas Pſ. LXXXIX. 6. ſanctitas Pſ. XCIX. 3. CVI. 47. juſtitia Pſ. VII. 18. Extendit ſe hæc *confeſſio* ad opera divina Pſ. IX. 1. CXI. 1. & præcipue ad beneficia, quibus populum ſuum Deus cumulat Pſ. XLII. 6. XLIV. 9. CVII. 1. 8. 15. 21. &c. In quibus & ſimilibus locis *confeſſio* nihil aliud notat, quam debitam gratiarum actionem, quam immerito a confeſſione hac diſtinguunt *Gomarus* op. Theol. p. 57. 58. *Vorſtius* Philol. Sacr. P. I. p. 170. ſeq. *Lud. de Dieu* ad Matth. XI. 25. cum in vera celebratione Dei gratiarum actio includatur. Idque eo magis, quia excellentia Dei, quæ tum a Mediatore, tum a peccatore celebratur, ſingularem ad hujus ſalutem habet. Quod vero *actum celebrationis* attinet, ille ad omnia cogitata, dicta, facta ſe extendit. *Confitemur* Deo corde & *cogitationibus*, quando perfectionum, operum ac beneficiorum ejus pondus recte cognoſcimus, æſtimamus, veneramur & amamus. *Confitemur lingua*, quando hujus interni de Deo ſenſus teſtimonium verbis damus, & ad easdem perfectiones, opera, beneficia agnoſcenda, amanda, celebranda alios excitamus. Ad hoc enim *lingua* a Deo data eſt, ut ſit interpres mentis, & ut ea *Deo & Patri* benedica-

4) per ſpem:

5) per celebrationem Dei, cujus objectum eſt, quicquid Deus de ſe revelat,

actus vero ad omnia cogitata, dicta, facta ſe extendit.

dicamus. Jac. III. 9. Quod quando facimus, *per Christum illi* διὰ παντὸς *assidue & jugiter offerimus hostiam laudis, hoc est, fructus labiorum confitentium nomen ejus* Hebr. XIII. 15. Denique *confitemur* ei *factis*, quando totum *corpus sistimus Deo hostiam sanctam, vivam & gratam per cultum rationalem.* Rom. XII. 1. Et eo usque se extendere *confessionem Dei* discimus ex *Bereschit Rabba* ad Gen. XLI. 44: ועל כן דוד אמ' יודוך עמים אלהים יודוך עמים כלם ולמה הזכיר יודוך ארבע פעמים כלומ' יודוך בלבותם יודוך בפיהם יודוך במעשיהם הטובים ויודוך יחדיו בכל אלו שנ' כי אז אהפוך אל עמים שפה ברורה לקרא כלם בשם יהוה ולעבדו שכם אחד: i. *Et propter hoc dicit David:* (Ps. LXVII. 4.) *Confitebuntur tibi populi omnes &c. Et cur memoravit, confitebuntur tibi, quatuor vicibus? Quasi dicat: confitebuntur tibi corde suo, & confitebuntur tibi ore suo; confitebuntur tibi operibus suis bonis, & confitebuntur tibi omnibus his simul, sicut dictum est:* (Zeph. III. 9.) *Quia tunc convertam ad populos labium purum, ut invocent omnes in nomine Domini, & ut serviant ei humero uno.* Certum interea est, praecipue respici ad talem *confessionem*, quae utut in corde radicata & operibus demonstrata, ore tamen potissimum instituitur. Et hoc proxime convenit cum radice, secundum quam הודה idem valet quod *projicere.* Atque adeo designatur talis actus, quo fidelis plenus sensu magnitudinis Dei, operumque & beneficiorum in immerentem effusorum, os hactenus clausum aperit, & se in laudes divinae gratiae pleno gurgite effundit. Nec timet amplius, nec haesitat, sed beneficiorum meritum & authorem alta voce, lingua soluta absque metu & pudore εὐκαίρως ἀκαίρως effert, & in cœtu sanctorum aperte profitetur. *Confessio* haec cum summa emphasi fit, quando cum tanta parrhesia conjuncta est, ut hostes, tormenta, ignes nihil vereatur. Talis commendatur Matth. X. 32. Unde *Origenes* in exhortat. ad Martyrium p. m. 172: *Si neque sermone a Confessione alieno, nos ipsos inquinaverimus: sique omnia tulerimus, nempe, adversariorum opprobrium, & ludibrium, & irrisionem & infamiam,*

Hic praecipue ad celebrationem oris respicitur.

quae cum summa emphasi inter tormenta & persecutiones confessio dici meretur.

& miſerationem, quæ noſtri miſereri videntur, ſeu ſeductos & ſtolidos nos exiſtimantes & deceptos appellantes: inſuper vero, ſi non diſtrahamur curis circumflexi, noſtro vel verſus liberos, aut horum matrem, aut verſus aliqua eorum, quæ amicisſima in vita habentur, amore: velut erga poſſeſſiones, aut erga vitam præſentem: ſed omnia hæc averſantes, toti fiamus Dei & Vitæ, quæ cum ipſo & apud ipſum eſt; tanquam communionem habituri cum Unigenito ipſius & iis, qui ejus ſunt participes: tunc nimirum dicemus, ὅτι ἐπληρώσαμεν τὸ μέτρον τῆς ὁμολογίας. εἰ δὲ, καὶ ἑνί τινι λείποιμεν, οὐκ ἐπληρώσαμεν, ἀλλ' ἐμολύναμεν τὸ τῆς ὁμολογίας μέτρον i. *Nos impleviſſe menſuram Confeſſionis. Quod ſi autem vel in uno aliquo horum deficiamus, non implevimus, ſed inquinavimus menſuram Confeſſionis.* Unde qui hoc ſpecimen fidei in Eccleſia dabant, dicti *Confeſſores*, de quibus conſule *Sagittarium* de Cruc. Mart. c. 1. *Forbeſium* Inſtruct. Hiſt. Th. XII. 3. §. 1. Et ſepulchra eorum dicta *Confeſſiones*, uti docent *Moyne* Var. Sacr. II. p. 438. ſqq. *Bulengerus* Inſtrum. Templor. III. 33. *Aringhius* Rom. Subterr. lib. II. cap. 5. §. 18. VI. Denique notandum, ſæpiſſime præſertim in Pſalmis per *confeſſionem* talem celebrationem Dei exprimi, quæ fit cantu & inſtrumentis Muſicis. Sic Pſ. XXXIII. 2. *Confitemini Jehovæ in cithara, in nablio decachordo pſallite ipſi.* Pſ. VII. 18. *Confitebor Jehova ſecundum juſtitiam ejus, & pſallam nomen Jehovæ altiſſimi.* Adde Pſ. XXX. 13. XLIII. 4. LVII. 10. & confer 2. Chron. V. 9. VII. 6. XXX. 21. Esdr. III. 11. Quod ſecundum ſenſum myſticum Muſices templi Exercitatione prima detectum exprimit illam Dei *confeſſionem*, quæ per celebrationem nominis ejus inſtituitur, fore publicam, in ſacrificio Chriſti fundatam, cum jucunditate junctam, lætitiam & fervorem aliorum excitaturam, multosque in easdem laudes ſuaviſſime conſpiraturos.

6) ſigillatim ſolet confeſſio quoque celebrationem Dei per Muſicam Templi deſignare, quæ typus fuit proprietatum in ſincera Dei laude requiſitarum.

Confeſſio hæc in ſpecie officium eſt Meſſiæ exhibendum.

XXVII. Speciatim Meſſias ut objectum *confeſſionis populorum* a Pſalte noſtro conſideratur. *Confitebuntur* TIBI. Hoc quoque alibi ſæpius occurrit. Ad Meſſiam alloquium inſtituitur Pſ. LXVII. ipſis Judæis confitentibus. Et de eo v. 4. &

Landesbibliothek Oldenburg

& 6. *Confitebuntur tibi populi, o Deus : confitebuntur tibi populi omnes.* Ad eundem ſpectant verba Pſ. CXLV, 10. *Confitebuntur te, Jehova, omnes facturæ tuæ, & ſerio amantes te benedicent tibi.* Et Jes. XII. 4. *Et dicetis in die illo : confitemini Jehovæ, nuncupate nomen ejus, notificate in populis opera ejus, commemorate, quod ſublimatum ſit nomen ejus.* Quæ Prophetia eo magis noſtræ parallela eſt, quia ibi quoque ex nexu patet, quod præciſe ad ultima tempora reſpiciatur. Et certe quicquid *confeſſio* ratione Dei comprehendit, id omne ut honor Meſſiæ quoque exhibendus conſiderari poteſt. Illi *confitemur* peccata noſtra, quando ejus ſanguine & merito quærimus ſalvari. Ille cultus univerſi fidelium objectum eſt, quem Filio junctim cum Patre deferunt Joh. V, 23. Præcipue fides proxime in illum tendit, eumque ut cauſſam juſtitiæ & vitæ apprehendit Jes. XLV, 23. 24. Unde naſcitur gloriatio ſpei in ipſo v. 25. Quare merito laudibus indefeſſis virtutes, opera & miracula ejus celebrantur: eæque laudes ut verus antitypus canticorum V. T. ſunt conſiderandæ, unde Græci interpretes הודה per ὑμνεῖν, *hymnis celebrare*, recte verterunt. Obſervat id *Theodoretus* in h. l. Ταῦτα προθεσπίσας ὁ ψαλμῳδὸς, ὑπισχνεῖται, ἐν ἑκάστῃ γενεᾷ διὰ τῶν τῆ καιρὸν εὐσεβῶν τὸ ὄνομα τὸ θεῖον ἀνυμνεῖν ὑπισχνεῖται. ὅτω γὰρ καὶ οἱ τρεῖς ἐξέδωκαν. ἀνυμνήσω τὸ ὄνομά σε, διὰ τῦτο λαοὶ ὑμνήσουσί σε εἰς αἰῶνα διηνεκῶς i. *His prædictis Pſaltes pollicetur, ſe in unaquaque generatione per homines pios, qui pro tempore erunt, divinum nomen celebraturum. Sic enim & tres Interpretes reddiderunt : Celebrabo hymnis nomen tuum per ſingulas generationes : propterea populi hymnos canent tibi in ſeculum ſemper.* Atque ita hic habemus invictum ad tuendam Deitatem Filii contra Socini aſſeclas argumentum. Cum enim æqualis ei cum Patre honor deferendus ſit, eandem quoque cum Patre excellentiam eum poſſidere oportet. Quod telum eo certius ferit, quia verbum הודה conſtantiſſime de honore ſummo, qui vero Deo tantum exhibetur, uſurpatum invenimus. Obſtare videtur Gen. XLIX, 8. יהודה אתה יודוך אחיך i. *Jehuda,*

quod ad adſtruendam Deitatem ejus, contra Socinianos urgetur.

tu es, *confitebuntur tibi fratres tui.* Sed ut ſuo loco relinquam, quod quidam hic *confeſſionem* a Juda ipſo vi nominis ejus inſtituendam intelligunt, perpendendum eſt, *confeſſionem* hanc ad ſequentes prærogativas Judæ, quas Patriarcha recenſet, referri debere, inter quas illa palmaria erat, quod Schilo ex eo orturus, qui verum hujus confeſſionis fundamentum & objectum erat. Nec rejicienda eſt *Onkeloſi* paraphraſis, quæ ita habet: יהודה את אודיתא ולא בהתתא בך יורון אחך i. *Juda, tu confiteberis & non confunderis, in te* (vel propter te, quatenus nempe unicum confeſſionis totius Iſraelis objectum ex te naſcetur,) *confitebuntur fratres tui.* Quod vero Pſalm. XLIX, 19. de Antichriſto dicitur: *quum te confitebuntur, ubi bene facies tibi*, id ipſum idololatricum honorem ei ab aſſeclis, ut Pſeudo-Deo ferendum innuit.

Confeſſio hæc durabilis, quin æterna erit:

XXVIII. Et honorem vere divinum hic innui adhuc magis pateſcit ex ejus duratione: לעלם ועד IN SECULUM ET ULTRA, quæ phraſis Exerc. VI. §. 7, 8. abunde explicata eſt, & evictum, *perennem durationem* per illam deſcribi, quæ tum omnium ſeculorum hujus vitæ decurſum, tum ipſam æternitatem comprehendit. Quare Sole meridiano clarius eſt, talem hic celebrationem deſcribi, quæ non tantum Eccleſiam militantem in omnibus temporibus, ſed etiam triumphantem in beata æternitate occupabit. Ita conſtitutum eſt cum illa *confeſſione*, quæ ſoli Deo competit Pſ. XXX, 13. LII, 11. LXXXVI, 12. In terra prima elementa laudis divinæ addiſcuntur: in cœlo vero omnis actio, in quam Angeli & beati ſpiritus conſpirant, nil niſi æternum Hallelujah eſt. Pſ. CVI, 48. 1. Chron. XXIX, 10. 11. 1. Tim. I, 17. Eademque celebrationis æternitas Meſſiæ tribuitur. *Timebunt te cum Sole & coram Luna, in ſeculum ſeculorum. Benedictum ſit nomen ejus glorioſum in ſeculum* Pſ. LXXII. 5 19. *Sedenti in throno, & agno benedictio & honor & gloria & imperium in ſeculum ſeculorum* Apoc. V, 13.

XXIX.

Landesbibliothek Oldenburg

XXIX. Consideratur autem *confessio populorum* ut consequens *commemorationis*, quando per voculam ךכ hoc tmema cum præcedente connectitur, quæ hic ob naturam rei per PROPTEREA vertenda est. Ille enim est ordo operationum Spiritus, quas in singulis fidelibus habet. Excitat *memoriam nominis* Messiæ in cordibus, quando intellectum illuminat, ut nomen ejus cognoscant, & gloriam ejus retecta facie videant. Cujus cognitionis istud effectum est, ut omnes facultates & vires animæ ad ejus celebrationem incendantur. In Ecclesia eodem tramite proceditur. Præeunt Ministri Evangelii, a Spiritu Sancto animati, qui per eos memoriam nominis Messiæ conservat. Sequuntur gentes omnes, quæ prædicatione ad obedientiam veritatis perducuntur, atque ita chorum populi perficiunt, a Deo formati, ut laudes ejus enarret. Typus hujus ordinis videtur fuisse in Musica templi, ubi Levitæ carmina præcinebant, totus populus ea repetendo sequebatur. Morem hunc alternis canendi *Gemaristæ* a cantico Mosis derivant ad Sotæ cap. I. quæ verba ob prolixitatem Latine adscribo ex versione *Wagenseilii: Tradentibus Magistris ita hæc enunciavit R. Akiba. Ea hora, qua adscenderunt Israelitæ ex mari, intenderunt animum ad decantandum hymnum. Quomodo vero hymnum cecinere? Nempe, sicut adultus Hallel recitat, cui reliqui in summa tantum capita respondent. Moses exorsus:* Cantabo Domino: *Judæi respondebant:* Cantabo Domino. *Moses pergebat:* quia admodum excelluit. *Israelitæ rursus subjiciebant*: Cantabo Domino. *R. Eliezer F. R. I. G. dixit (canticum illud prolatum fuisse) prout minorennis Hallel recitat, post quem reliqui iterant, quæ ipse dixerat. Moses cœpit:* Cantabo Domino. *Illi pariter dicebant*: Cantabo Domino. *Mose pergente*: quia admodum excelluit; *etiam illi subjiciebant*: quia admodum excelluit. Adde quæ in notis p. 615. 616. ex *Philone* confert *Wagenseilius* & *Ligtfootum* Hor. Hebr. ad Matth. XXI, 9. In carmini-

& ut consequens memoriæ nominis Messiæ considerari debet.

Illustratur hoc ex ritu in Musica Templi consueto.

minibus gentilium, si non idem, simile aliquando obtinuit. *Virgilius* Eclog. III.

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

Allusum ad hunc ritum videtur Apoc. XIV, 3. ut in vernacula ejus loci exegesi docui. Alternatio talis laudum Messiæ innuitur Ps. CXLV, 21. *Laudem Jehovæ loquetur os meum, & benedicet omnis caro nomen sanctum ejus in seculum & perpetuum.*

Sapientissime Psalmes hac celebrationis Messiæ promissione finit, quia talis glorificatio est finis tum Dei in omnibus operibus suis,

XXX. Sicut autem singularem Psalmodi sapientiam in ipso prologo & porro in nexu perpetuo elegantissimo admirati sumus, ita eandem in conclusione deprehendimus. Finit enim in eo, in quo omnia molimina atque opera DEI finiunt, quodque sibi ut metam unicam se dignam constantissime, præcipue in opere salutis, Deus proposuit. Quamvis enim Deus nullius rei extra se indigeat, & absque creaturæ confessione suis bonis suaque perfectione in se ipso beatus fuisset, cum tamen extra se agere decerneret, nihil frustra agere per sapientiam infinitam poterat. Quemadmodum autem necessario finem intendere in operando debebat, ita nullum alium intendere poterat, nisi suam gloriam. Cum enim sanctissimum sibi ut Enti perfectissimo amorem deberet, in amore illo sui perfectissimo includebatur, ut sui caussa faceret, quicquid faciebat, & divinissimam illam φιλαυτίαν (liceat ita loqui) in omnibus factis demonstraret. Ut præteream, quod cum aliquid producere moliretur, præter suam essentiam nihil esset, nihilque in omnem æternitatem esse posset, quod non ab ipso, & per ipsum subsisteret, adeoque ad ipsum referendum esset unice Rom. XI, 36. Cum vero omnium operum Dei hic scopus fuerit, de opere præstantissimo inter ea, quæ hactenus nobis revelata sunt, scilicet opere gratiæ, id potissimum cogitandum est, quod ad laudem gloriæ, & præcipuæ gratiæ suæ destinatum fuisse Scriptura sufficienter testatur Jes. XLIII, 21. Eph. I, 6. 1. Petr. II, 9. Rom. IX, 23.

& præcipue gratiæ,

Landesbibliothek Oldenburg

IX,23. Sicut autem hoc SS. Trinitas universim intendit, ita præcipue hic scopus viarum, laborum, passionum omnium fuit, quibus Messias se subjecit lubentissime, ut a populo, inter quem ut *pulcherrimum* se demonstravit, quem ut *Propheta* docuit, ut *Imperator* ex regno Diaboli eripuit, ut *Rex* gubernat, ut *Sacerdos* redemit, ut *Sponsus* secum univit, certisque gradibus ad summam in plenissima secum communione salutem perduxit, indesinenter celebraretur. Hac fide a Patre ei in consilio pacis data vadimonium susceperat. Hoc omnes Prophetiæ includunt, quæ de futura Christi & regni ejus gloria agunt, magnamque partem supra variis in locis citatæ sunt. Confer hic inter multa alia Ps. VIII. 6. XX, 2. XXI.2-8. Jes. LIII.10-12. Hæc est illa χαρὰ ἀντῷ προκειμένη, Hebr. XII,2. hic ille debitus Agno honor, cujus initia jam a primordiis Christianismi accepit, quando *in nomine Jesu omne genu se flexit supercœlestium & terrestrium & eorum, quæ sub terra sunt, & omnis lingua professa est, quod Dominus sit Jesus Christus, ad gloriam Dei Patris* Phil. II, 10. 11. Plenius vero hunc honorem nanciscetur, quando postremum Halleluja Ecclesiæ in terris decinetur, de quo Apoc. XIX, 1. sq. Plenissime, quando regnum Patri tradet & cum eo erit omnia in omnibus.

tum Messiæ in omnibus ejus relationibus & viis supra descriptis.

XXXI. Atque hic pedem figimus, teque rogamus Lector, ne nimis meditando properes, dum ad finem properamus. Excellentia sobolis, quæ Messiæ promittitur, simulac felicitas tanta est, ut merito ad eam anhelent, qui sibi bene volunt. Quicquid jucundum & amœnum in mystico conjugio deprehenditur, cujus delicias tam vivis coloribus Psaltes expressit, id parum ad nos pertinet, nisi ut γνησίως *filios* nos actu demonstremus. Si *Pater* est Christus, honorem, amorem, fidelitatem & obedientiam exspectat. *Si Pater sum*, ait, *ubi est honor meus?* Mal. I, 6. Ubi hæc officia intermittuntur ab iis, qui nomen filiorum prætendunt, ibi con-

Serio curandum, ut tanquam γνησίως Messiæ & Ecclesiæ filios nos geramus.

conqueritur: *filios educavi & extuli, ipsi autem deficientes rebellaverunt in me. Ah gens peccatrix, populus gravissimus iniquitate, semen maleficentissimum, filii corruptores!* Jes. I, 2. 4. Si *mater* est Ecclesia, quid nobis incumbit, nisi ut ejus præcepta avidi imbibamus, tenerrimoque affectu ei adhæreſcamus? Præcipue tria officia a nobis exspectantur, si spem Ecclesiæ ultimorum temporum promovere & propius ad illius seminis similitudinem accedere velimus, quod in illis ut genuina proles Messiæ agnoscetur. Nam primo, quia id loco Patrum erit, Patrum vestigia relegere iisque inhærere fas est. In priori Messiæ adventu *convertebatur cor Patrum ad filios & cor filiorum ad Patres ipsorum* Mal. III. 24. Idem in postremo Messiæ adventu obtinere debet. Ita enim Sancti, qui decesserunt, in nobis reviviscent, si idem fidei robur & sanctificationis incrementum ostendemus, cujus illi exemplar nobis reliquerunt. Via ad sanctificationem eadem nobis aperta est: eandem metam perfectionis attingere dabitur, quam illi obtinuere, ubi socordiam omnem ex animis excutiemus & spe auxilii Spiritus suffulti in eundem gradum enitemur. Porro tanti Regis Filii & hæredes ut *Principes* tam augustis natalibus dignos se gerere oportet. Incomprehensibile est illud beneficium, quod illi, qui natura filii iræ & servi Diaboli erant, in Principatum Filiorum Dei evehuntur. Sed tanti honoris fastigium Spiritum quoque generosum requirit, qui originis suæ cœlestis memor, quicquid terrenum & mundanum est, despicit. Nemo vero majori jure inter hos *Principes* connumerabitur, quam qui doctrina atque vita aliis præire, eosque imperio Christi subjicere satagunt.

1) *in hærendo vestigiis fidelium Patrum:*

2) *ut Spiritu generoso, qui Principes decet, terrena despiciamus.*

XXXIII. Tertium vero & potissimum illud est, ut in vera propagine Messiæ *memoria nominis & confessio* laudum ejus perpetuo conservetur. Hæc est illa occupatio, quæ prima & ultima populo Dei esse debet. Ea fini Psalmodus noster a Spiritu actus est ad carmen tam sublime & excellens pan-

3) *ut gloriæ Messiæ nos totos consecremus:*

pangendum, Ecclesiæque tradendum. Et si parva licet componere magnis, id ipsum intendens non tantum pro concione canticum hoc vere divinum explicare, sed etiam meditata mea publici juris esse volui. O si tenui conatu Pater luminum benedicere, quæque per imbecillitatem ingenii attingere nequivi, ex thesauris Spiritus sui in legentium cordibus supplere velit! Talem sane Regem nostrum, sequentes lineam Prophetæ, deprehendimus, ut etiam sic amplissimus laudum ejus campus apertus sit. Ecquis erit, nisi plane excœcatus fuerit, cujus pectus non incalescere debuerit in tanto excellentissimarum virtutum & admirandarum viarum cumulo? Obtestor ergo vos, quos *commemorare* nomen Messiæ in Ecclesia decet, Symmystæ & cooperarii in vinea Domini, ut omnes vires animi & corporis ad magnificandum Regem nostrum intendere studeatis. Nostra culpa fit, quid enim diffiteamur, quod est in propatulo? ut nomen Messiæ, cujus *commemorationem* promovere oporteret, blasphemetur inter gentes. A nobis severa ratio exigetur, nisi tandem veterno ex animo excusso cum majori fervore id, quod nobis demandatum est, quodque officii nostri ratio exigit, urgeamus. O Angeli Laodiceno tepidiores, nonne evomet vos Dominus ex ore suo, si perrexeritis *nominis Messiæ* oblivisci, vestroque tantum nomini & vestris commodis studere? Ipsi illi inter nos, queis de meliore luto Numen præcordia finxit, (sed quam rari nantes in gurgite vasto!) quibus nomen Messiæ per internam lucem Spiritus revelatum est, qui de præstantia ejus convicti sunt, conqueri debent, quod quicquid deferre huic nomini studeant, longe infra ejus meritum subsidat. Id ergo agamus, precibusque ardentibus Regem nostrum fatigemus, ut idoneos nos ad *memoriam nominis sui* reddat, ne nostra culpa id in obscuro maneat, populique terræ ab agnoscendo eo & celebrando prohibeantur.

Ministri verbi nomen Messiæ commemorantes jugiter.

Atque o si unus universum *populum* impetus corriperet, & in *confessione* laudum Messiæ omnes occuparentur! O si to-

Populus universus, in confessione

& celebratione ejus ſemper occupatus.

ta Eccleſia nil niſi celebrantium Jehovam chorus eſſet! Quoniam autem *confeſſio* tum peccatorum, tum fidei præcedere debet, antequam Angelicum hoc officium præſtare poſſumus, quid ceſſamus, qui nomen Chriſti nominamus, eam afferre? Cur non moras omnes abrumpimus, ſi ulla ſalutis animarum cupidine tangimur, ut in fœdus illud tranſeamus, extra quod nil niſi certiſſima pernicies imminet? Vos vero, dilectæ Deo animulæ, Vos qui Apoſtolo *confeſſionis* noſtræ vos conſecraſtis, eja agite, inchoate hic in terra opus illud, cui perficiendo cœlum & æternitas deſtinata eſt. Si communionis cum ſanctis cœlitibus in Eccleſia N. T. ſunt primordia, ſi nullam aliam felicitatem deſideratis, quam quæ in perfecta Dei & Agni celebratione conſiſtet, in exprimendis corde, ore, opere Regis veſtri laudibus toti eſtote. REGI AUTEM SECULORUM IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI SAPIENTI DEO SIT HONOR ET GLORIA IN SECULA SECULORUM. AMEN!

IN-

INDEX I.

Præcipuorum locorum Scripturæ Sacræ, quibus in his Exercitationibus aliqua lux affunditur.

Cap.	Vers.	Pag.
	GENESIS.	
II.	24.	342
III.	8.	118
	15.	395, 396
	16.	406, sq.
XII.	3.	593
XVII.	7.	594
XXII.	18.	593
XXXVII	9.	561
XLIX.	12.	188
	22.	438, 439
	EXODI.	
XV.		6
XXIII.	21	110
XXVIII.	2.	290
XXX.	23. sq.	263. sq
	LEVITICI.	
XVI.	23, 24.	296, 297
XXVI.	42.	594
	NUMERI.	
XXIV.	17.	242, 243, 244
	19.	432
	DEUTERONOMII.	
VI.	8.	610
XVII.	15.	254, 255
XXXII.	39.	409

Cap.	Vers.	Pag.
	JUDICUM.	
III.	16.	166
V.		9
	2. SAMUELIS.	
VII.	8.	254, sq.
	12, sq.	7
XII.	3.	386
	7.	254, sq.
	1. REGUM.	
I.	34, sq.	259, sq.
X.		231, sq.
XXII.	39.	314
	2. REGUM.	
II.	14.	409
XI.		259, sq.
	2. PARALIPOM.	
XX.	21.	168
	PSALMORUM.	
VIII.	7.	571
XIX.	6.	524
XXI.	4, 5.	148
XXVII.	6.	44
XXXIII.	2.	51
	3.	44
XLIII.	3.	523
XLIV.	11.	208
XLVII.	6.	30, sq. 44. 46

Landesbibliothek Oldenburg

Cap.	Vers.	Pag.
XLIX.	5.	52
LII.		6
LXVIII.	5.	183
	26.	30, sq. 51, 59
LXXX.	2, 3, 4.	121, 122
LXXXI.	3.	51, 59
LXXXVII.	7.	49
LXXXIX.	19.	44
XCII.	4	51
XCVIII.	2, 3.	30, sq.
	5.	51
	6.	44, sq. 46
CV.	8.	594
CVIII.	3.	51
CX.		8, sq.
	3.	168
	4.	287
CXXX.	5. 6.	577
CXXXIII.	2.	309
CXXXIX.	15.	291
CXLIV.	9.	51
CXLV.	5.	167
CXLIX.	3.	49, 51, 59
CL.	3.	46, 51, 59
	4.	49, 51
	5.	61

PROVERBIORUM.

VII.	17.	327
IX.	1.	543
X.	11.	142
XVI.	12, 13.	250
	32.	349

ECCLESIASTIS.

XII.	3.	202

CANTICI.

II	16.	382, 383
III.	9, 10.	231, sq.
	11.	289, 290
V.	9.	188
	12.	140
	18.	382, 383
VI	5, 6.	334, 335
VII.	10.	382, 383

Cap.	Vers.	Pag.
	ESAIÆ.	
IV.	1.	109
VI.	1.	295, 299
IX.	6.	159, 556, 557
XI.	5.	173
XX.	6.	422
XXIII.		421, sq.
	4.	428
	8.	436, 453
	17, 18.	489
XXIV.		424
XXV.		424
XXX.	29.	49, 59
XXXIII.	20.	601, 602
XLVIII.	16.	271
XLIX.	25.	160
LIII.	10.	175
LVIII.	1.	46
LX.	18.	602
LXI.	3.	268, sq.
LXII.	2.	567
	5.	523
LXIII.	9, 10, 11.	112, 113
LXV.	17.	570
LXV.	1.	230, 231

JEREMIÆ.

III.	4.	386
VI.	17.	47
XVIII	7, 8.	427, 428
XXXI.	14.	59
L. LI.		417

EZECHIELIS.

XXVI-XXVIII.		425, sq.
XXVII.	15.	314, 468
XXVIII.	3.	449, 486
	12, 13.	449, 450

DANIELIS.

X.		116, 117
	5.	166, 173
XI.	38, 39.	439, 462
XII.	1.	117
	12.	489

HO-

Landesbibliothek Oldenburg

Cap.	Vers.	Pag.
	HOSEÆ.	
II.	20.	346
VIII.	1.	47
	JOELIS.	
III.	9. sq.	432,442
	AMOSI.	
III.	15.	314
	MICHÆ.	
II.	13.	176
	HABAKUCI.	
II.	12.	432
III.	8.	183
	ZACHARIÆ.	
III.	1, sq.	117,118
VI.	13.	290
XI.	15.	209
XIV.	20.	63, 64
	MALACHIÆ.	
I.	6.	408
	MATTHÆI.	
VI.	29.	170
XII.	34.	80
XVII.	2.	296
XIX.	28.	570
XXII.	11.	369
	43.	10
XXV.	1. iq.	526
	6.	524
	32.	363
XXVIII.	3.	295
	LUCÆ.	
I.	35.	279
XVI.	22.	587
XXI.	28.	574, 575
XXIV.	19.	156
	JOHANNIS.	
III.	29.	407,408, 523
IV.	24.	10
V.	20.	192
XII.	37.	118, 119
XIX.	34.	237
	23, 24.	249
	ACTORUM.	
III.	21.	570, 571
	25.	593
	AD ROMANOS.	
II.	28, 29.	614, 615
VII.	7.	579
VIII.	19, 22.	567, iq.
IX.	5.	152
XI.	24.	587
	28.	595
XII.	11.	81
	1. AD CORINTH.	
VI.	17.	346
VII.	34.	403, 404
XI.	7.	346
XIII.	1.	61, iq.
XV.	22.	569, 570
	2. AD CORINTH.	
III.	3.	90, 91
V.	2, 4.	291, 292
VI.	11.	96
	GALATAS.	
III.	27.	368
IV.	26.	560
	EPHESIOS.	
III.	18.	318
	PHILIPPENSES.	
II.	8.	292
III.	14.	398
	COLOSSENSES.	
I.	15.	573
	1. TIMOTHEUM.	
I.	17.	557
	TITUM.	
	5.	547
II.	13.	159, 160

Landesbibliothek Oldenburg

Cap.	Vers.	Pag.
	HEBRÆOS.	
I.	1.	31
IV.	12.	164
VII.	26.	131
XI.	14.	548
	I. PETRI.	
I.	5.	576
	2. PETRI.	
III.	13.	570
	JUDÆ.	
	9.	117,118
	APOCALYPSIS.	
I.	13.	173
	16.	164
II.	17.	567
V.	8.	53
VII.	4.	22
VIII.	2.	48
XII.	1.	338
	1. sq.	562
XIV.	1. 2.	22
XV.	2.	52
XVIII.	12.	467. sq.
	16. sq.	460. sq.
XIX.	12.	606
	19, 20.	489
XXI.	8.	474
	9.	340
	17.	23

INDEX II.

Vocum præcipuarum Hebraicarum, quæ elucidantur.

אדני 12, 13, 404.
אהב 251.
אהלות 304. seq.
אוה 402.
אויב 208.
אי 421. 422.
אלהים 145, 146, 224. sq.
אלמונים 468. sq.
אמר 82, 83.
אני 67.
בעל 404, 406, 407.
גבור 159, 160.
דברי אמת 177.
דור דור 613.
דרך 174.
הדר 167. sq.
הוא 408. sq.
הוד 167. sq.
הורה 614.
היכל 541, 542.
השתחוה 399.
חבר 272.
חלה 495, 496.
חן 202.
ידידות 17.
יהוה 54, 606.
יקרות 335, 336.
יד 359.

כבוד

כבוד 167, 510.
כוח 11, 12.
כנור 55.
כתם 364.
מהיר 84, 85.
מנחה 496. sq.
משבצות זהב 518.
משכיל 15, 16.
נוראות 191.
נפל 203.
נפילים 208.
נשא פשע 113.
נשים 393.
סופרים 83. sq.
עגבים 57.
ער 236. sq.
עולם 236. sq.
עט 85. sq.
על דבר 177, 178.
על כן 149.
עם 202.
ענה 178, 179.
פנג 472.
פניסה 514. 515.
צריק 187.
צלח 175.
צרי 472.
קרה 307.
קציעות 306, 307.
רחש 78. sq.
רכב 177.
רקמות 515.
שבט 241.
שגל 339, 340.
שושבין 523.
שיר 16.
שכינה 272.
ששון 267, 268.
ששנים 24, sq.
תודה 615.
תחת 204, 205.
תעות 446.

INDEX III.

RERUM.

A.

Abietes navium Tyri mysticæ 482. sq.
Abrahamus caput fœderale 587.
-- truncus oleæ. 587, 588.
Abrahami paternitas 586, seq.
-- sinus 587.
-- Vocatio mystica 394.
Accingere gladium ad femur 165. sq.
-- induere arma 170.
-- majestatem 170.
-- præparari ad opus 162.
-- se cur Christus dicatur 162, 170.
Aculei verba sapientum 202.
Acu pictæ vestes 519, sq.
Adamus a pulchritudine dictus 124, 125.
-- ejus vestis 370.
-- ejus cum spiritibus commixtio 396.
-- paternitate typus Christi 557.
-- pulchritudine typus Christi 102.

Adora-

Adoratio Messiæ describitur 399, 400.
Adversarii V. *Hostes*.
Ægyptiorum Reges Dii 222.
Ægyptus mystica 456, 457.
Æs in Phœnicia 466.
-- symbolum sanctitatis 466.
Æternitas absoluta & relativa 236. sq.
-- benedictionis Christi 148, 149.
-- regni Christi 360, sq. 277, 278.
Affectus per Musicam temperantur 40, 41, per citharam 58, 59.
Agallochum 305.
Agni in Tyro mystica 474.
Αἰῶνες τῶν αἰώνων 237.
Alæ vestium protectionis symbolum 298, 299.
Alatæ sagittæ 197.
Albæ vestes gloriam cœlestem adumbrant 295.
-- nuptiales 289.
-- Sacerdotis summi 291.
-- sacrificantium 293.
Alexandri M. in Tyrum expeditio 423, 426, 488.
Amanuenses Spiritus sunt sacri Scriptores 88, 89.
Ambrosiæ petræ 435.
Amicæ Sponsæ sunt Doctores 528.
Amores Christi & Ecclesiæ reciproci 19, 382, 383.
-- quomodo considerandi 64, 65.
Amor justitiæ in Christo 251, 252.
Ancipites gladii & eorum symbolum 164.
Angeli non habent nomina propria 120.
Angelorum duo tantum nomina symbolica 120, 121.
Angelus fœderis 112.
-- in quo nomen Dei 110. sq.
-- in rubo 111.
-- redemtor 112, 120.
Anima domus Dei 316. sq.
-- interior pars hominis 514, 516.
-- pro conscientia 473.
-- pro sanguine martyrum 473.
-- pro servo 463.
-- sancti antitypus 516.
-- sella Dei 230.
Annus septimus & Jubilæus distinguuntur 587.
Antichristianismus abolendus 488. sq.
-- Ægyptus mystica 456, 457.
-- antiquus 443, 444.
-- Basan mystica 457.
-- concubinæ 335.
-- convertendus 491. sq.
-- idololatricus 446, 447.
-- late patens 451, 452.
-- mare 440, 441.
-- peccatis deturpatus 487, 488.
-- Tyrus mystica 420. sq.
-- vanitas 587.
Antichristus Cherub 450.
-- Enthusiasta 486.
-- hostis Messiæ 208.
-- impius 252, 253.
-- superbus 448, sq.
-- vicarius Dei, Christi, Petri 448. sq.
Antiquitas a Papatu prætensa 443, 444.
Απεκδέχεσθαι 576. 577.
Apes pro facundis 142.
Αποκάλυψις filiorum Dei 575, 576.
Αποκαραδοκία τῆς κτίσεως 574. 575.
Αποκατάστασις πάντων 570. 571.
Apollinis lyra symb. pacis 54.
-- cultus apud Tyrios 445.
Apostoli antitypus Psalmistæ 94. sq.
-- attributa eorum potissima recensentur 94. sq.
-- femur Messiæ 166.
-- patres mystici 586.
-- tubicines 44.
-- typus Ministrorum Ecclesiæ in ultima periodo 590, 591.
Απφω 409. sq.
Aquæ symbolum doctrinæ 79. 80.
Arabia Muhamedanismus 459.
Aradus in Papatu 458.
Arbores proceræ illustrium personarum emblema 483.
Arca fœderis humanitatis Christi typus 123.
Archangelus Messias 119.
Architectus Ecclesiæ Deus 317.
Arcus executores judiciorum 201.
-- Messiæ 193. sq.
-- Ministri verbi 198.

Argen-

Argentei throni 232.
Argentum verbum Dei 465, 466.
Arietes in Papatu 474.
Arma sermonis symbolum 163.
Aromata designant Spiritum Christi 255, sq.
-- gloriam & perfectiones ejus 266. sq. 311. sq.
Asaphus typus Christi 94.
Asina Messiæ 259.
Arbores navium Tyriarum 484.
Assur Turcæ 459.
Astarte Tyriis culta 445.
Ασύλοι urbes 445. 446.
Atramentum Judæorum 86, 87.
-- emblema Spiritus 90.
Atrium typus Ecclesiæ externæ 350.
Audire primus gradus ad vocationem 390.
Aures tendere designat inclinationem voluntatis in vocatione 391, 392.
Auris dextra quid designet 392.
Aureum seculum 373.
Aurum arcæ fœderis humanitatem Christi expressit 123.
-- citharārum 58.
-- inter merces Tyri 465.
-- Ophiriticum 364, sq.
-- qualitates ejus variæ enarrantur 372, sq.
-- throni Salomonis & Messiæ 232.
-- typus donorum Spiritus 372. sq.
-- vestitus 366, sq. 518, 519.
-- umbra piorum 372, 373.
Auspicia regnorum a consultatione Deorum 254.
Authoris nomen cur aliquando omissum in sacris 2.
Αυτόθεος Christus 410.
Αυτὸς particula emphatica 409. 410.

B.

Babylon Antichristianismus 442.
Balsamum symbolum remissionis peccatorum 472.
Baltheus V. Cingulum
Basan in Papatu 457.
Bella Messiæ 160, sq.
-- Papalia 487.
Bellum conversionis gentium emblema 157.
-- per sagittam pictum 200.
-- pro uxoribus initum 413.
Βελομαντεία veterum 200.
Belus a Tyriis cultus 445.
Benedictio Messiæ describitur 146, sq.
-- æterna 148, 149.
-- fons omnis excellentiæ ejus 149. 150.
-- omnium gentium in Messia 593.
Binarius Cherubinorum 182.
-- tubarum 45.
Bona verba 68.
Bracchæ Sacerdotis summi quid adumbraverint? 301.
Buccinæ describuntur 47.
-- minas verbi Dei exprimunt 46, sq.
-- in excommunicatione 48.
-- septem Apocalypticæ 48, 49.
Buxus in navibus Tyri 489.
Byssus Tyri mysticæ 477, 478.

C.

Cabiri unde dicti 159.
Cacabus cordis symbolum 81.
Calamus aromaticus in Papatu 473.
-- mensorius, verbum Dei 318.
-- scriptorius Judæorum 86. 87.
-- emblema linguæ a Spiritu S. directæ 89. sq.
Calor sanguinis emblema vehementiorum motuum Spiritus 81. 82.
Calumniæ gentilium in Christianos 214. 215. 216.
Campi Elysii ad dextram 363. 364.
Canaanis occupatio victoriæ de gentibus symbolum 157. 191.
Canaan typus Judæorum carnalium & Papatus 445.
-- terra Typus Ecclesiæ 598. 599.
Candor in ebore sanctitatis emblema 322.
Canones quidam hermeneutici S. Sacræ illustrantur 7. 14. 37. 67. 334. 408. 428. 512. 534. 544.

Landesbibliothek Oldenburg

Cantica cur in cultu suo Deus esse voluerit 17.
-- doctrina omnis iis comprehensa 16. 17.
-- in nuptiis 18.
-- in vaticiniis 17.
Cantorum ephemeriæ in templo 21.
-- typus 21. sq.
Carmina in magno pretio apud veteres 16. 17.
Casiæ descriptio 306. sq.
-- significatus hieroglyphicus 308. 309. 312. 313. in Papatu 473.
Cedrinum lignum mysticum 232. 319. inter merces Tyri 467. sq. navium Tyri 482. sq.
Celebratio Dei in quo consistat 616. sq. citharæ comparata 52. sq.
Centum & viginti, numerus mysticus 45.
Centum cubiti templi Salomonis 320.
-- quadraginta quatuor, numerus mysticus 21. sq.
Certamina Messiæ 160. sq.
-- pro uxoribus inita 413.
χάρις de sermonis gratia usurpatur 137. 138.
Charismata Spiritus qualia in fine exspectentur 591.
Chartæ Judæorum 85. 86.
-- symbolum mentis 90. 91.
Chelbon in Papatu 457.
Cherubim cur bini? 122.
-- cur in parietibus sanctuarii efficti? 123.
-- non fuisse typum Filii & Spiritus Sancti evincitur 121. sq.
-- Petrus & Papa 450. 451.
-- thronus Dei 230.
-- varia ad mysterium eorum pertinentia 123.
Chittæi in insulis maris mediterranei quærendi 455.
-- typus Rerump. in Papatu 455. 456.
Choreæ nuptiales 530. sq.
Chordæ cithararum quid adumbrent? 54. sq.
Chrisma in Papatu 472.
Christus a Deo electus 255.
-- æqualis Patri 256.
-- אלהים 224. sq.
-- amat justitiam 251. sq.
-- amores ejus 19. 382.
-- a Patre distinctus 256.
-- a primis Christianis pro Deo agnitus 215. 216.
-- αὐτὸς & αὐτόθεος 409. 410.
-- bellica ejus fortitudo 159. sq.
-- cingulum 172. sq.
-- citharista 52.
-- Deitas ejus 107. 108. 225. 276. 277.
-- desiderium ejus, quo fertur in Ecclesiam 402. 403.
-- doctrinæ ejus suavitas 138. sq.
-- Dominus 404. sq.
-- donorum externorum Ecclesiæ origo 339.
-- eloquentia ejus 144. 151. 152.
-- e Regio stemmate oriundus 255.
-- Heros 149. sq.
-- Jehova 606.
-- Judex 234. 235.
-- Justus 248. sq. 187. 188.
-- lætus & lætitiæ fons 269. sq.
-- λόγος 606.
-- magnanimus 160.
-- mansuetus 187.
-- Maritus Ecclesiæ 342. sq.
-- Michael 116. sq.
-- nomen ejus 604. sq.
-- objectum confessionis 618. 619.
-- objectum cultus peccatoris 227.
-- odit impietatem 253.
-- oleo Spiritus unctus 265. sq.
-- palatium ejus 316. sq.
-- paludamentum ejus 170. sq.
-- Pater Ecclesiæ 386. 387. 556. sq. æternitatis 556. 557.
-- propheticum ejus munus 136. sq.
-- pulchritudo ejus tum corporalis 119. tum spiritualis 102. sq.
-- Rex 74. 75. 206.
-- Rex & Deus 223. sq.
-- Rex & Sacerdos simul 266. 286. 287.
-- Sagitta 194.
-- Sacerdos summus 324. in cœlis 325.
-- Sceptrum ejus 241. sq.

Spon-

-- Sponsus 329. sq. 342. sq.
-- Thronus ejus 229. sq.
-- Vestes ejus 369. 370.
-- Victoriæ ejus 159. sq.
-- unctio ejus 257. sq.
Cingulum ad gladios accingendos adhibitum 165.
-- majestatem Messiæ adumbrat 172. sq.
-- Sacerdotis summi quid adumbraverit 301.
Cinnamomum 307.
Cinnyra 55.
Cithara describitur 51. sq.
-- exprimit celebrationem Dei 52. sq.
-- in hymnis Deorum frequens 53.
-- sedat affectus 58.
-- Veneri cur appicta 27.
Citharœdi in pretio apud veteres 57.
Civitas est Antichristianismus 432. 433.
-- distinguenda ab urbe 433.
Civitates matres sunt 560. 561.
Clerus Romanus luxui deditus 460. sq.
-- mercatores 453. sq.
-- nautæ 484. 485.
Coccus cur inter merces Tyri 477.
Cœlum Ecclesia 131. 230. 231.
-- patria 548.
-- vestis Dei 297.
Coëmtio in nuptiis 413.
Cœnobia naves 482.
Coloniæ Tyri 451.
Colores vestium designant fructus Spiritus 521.
-- Tyriarum 475. sq.
Columna Christus secundum Cabbalistas 342.
-- nubis vestis Filii Dei 295.
Columnæ in domo Salomonis 320.
-- throni Christi 233.
-- proles mascula 556.
Concha Tyriorum symbolum cur? 476.
Concordiæ symbolum dextra 355. sq.
Concubinæ symbolum Antichristianismi 335.
Confessio Dei & Messiæ. 614. sq.
Confessiones sunt sepulchra 618.
Confessores Ecclesiæ 618.
Conjugium diversimode contractum 411. sq.
-- mysticum Christi cum Ecclesia 340. sq. 411. sq.
Conjux V. Uxor.
Consortes Messiæ 272. sq.
Conversio gentium V. Gentiles.
-- Judæorum V. Judæi
Convivium mysticum nuptiale N. T. duplex 99. 100.
Cor emblema voluntatis 75. sq.
-- sedes animæ secundum veteres 76.
-- vehementiones ejus motus fingebantur a poëtis 77. sq. quid adumbrent? 81. 82.
Cornuum typus 46. sq.
Coronæ Messiæ 260.
-- nuptiales 290.
Corpora sunt prostibula 463.
Corpus mysticum Christi Ecclesia 166.
vesti comparatum 291. sq.
Cotytus, Cotytia sacra 27. 28.
Creatura est Ecclesia 573. 574.
Crescens Christi adversarius 217. sq.
Currus bellici describuntur 179. sq.
-- ornamenta eorum designant virtutes Messiæ 188.
-- symbolum verbi veritatis 182. sq.
Cybele cum cymbalo picta 61.
-- cum tympano 59.
-- vestis ejus hieroglyphica 297.
Cymbala describuntur 25. sq.
-- eorum præfectus 25. sq.
-- typus 61. sq.

D.

Damascus in Papatu 457.
Dan Papistantium inter Protestantes emblema 458.
Danielis sapientiæ æmulus Antichristus 449.
David citharœdus typus Christi 52. 58.
-- in regnum a Deo exaltatus 254.
-- palatium ejus 319.
-- unctus 258. sq.
Decimæ cum lætitia comedendæ 538.
Dedan 460.
Deitas Filii demonstrata 107. 108. 225. sq. 276. 277.

-- ex confessione ejus. 619. 620.
-- ex regno ejus 228. 276.
Denarius mysticus 56.
Deorum imagines ex ebore 321.
-- vestes hieroglyphicæ 292. 293.
-- vestes induebant Imperatores 294.
Desponsatio mystica Christi cum Ecclesia 345. 413. 414.
Deus Domiducus 418.
-- est Dominus 404. 405.
-- est Pater 557. 558.
-- est Maritus 341.
-- est Rex 222.
-- Papa esse vult 448. 449.
-- per sinum in orgiis Jovis 341.
Deus Pater cur Elohim 146.
-- est pater Ecclesiæ 385. 386.
-- quomodo benedixerit Filio ? 147.
-- quomodo Deus Filii ? 256.
Dextra auris 392.
-- in desponsatione data 352. sq.
-- sceptrum gerit 244.
-- symbolum amicitiæ 355. 356.
auxilii 361.
cœlestis gloriæ 363. 364.
fidei 358. sq.
liberalitatis 363.
majestatis communicatæ 362.
protectionis 360.
roboris 189. sq. 360.
Dextrum femur sedes gladii 165.
Diabolus a Messia devictus 161.
-- domus ejus 396.
-- pater impiorum 395. 396.
Diana Tyriis culta 445.
Dies fausti in nuptiis electi 530.
Digitus Dei Spiritus Sanctus 87. 88.
Dii Reges dicti 222.
Disciplina Ecclesiæ ultimis temporibus restituenda 546. 601. sq.
Divites sunt fideles 493. 494.
-- Ministri Evangelii 494. 495.
Doceri quomodo Messias possit 192.
Doctores commendat pulchritudo 103. V. Ministri
-- patres dicti 559.
Doctrina Christi suavis 138. 139.
-- quomodo recipienda 153.
-- & robore simul excellere rarum 155. 156.
Dolores partus Ecclesiæ 562. 563. Judaicæ 583.
Dominus dicitur Deus 404. 405.
-- maritus 406.
-- Messias 404. sq.
-- Rex 405. 406.
Domiducus Deus 418.
Domiductio sponsarum 417. 418.
-- sponsæ Messiæ 507. sq.
-- cum variis lætitiæ signis conjuncta 530. seq.
-- symbolum consummationis operis Dei in anima 522.
-- symbolum glorioſi ſtatus Ecclesiæ in fine mundi 522.
Domus Dei animæ fideles 316. 317.
-- Diaboli impii 396. sq.
-- eburneæ 314. 315.
-- filiæ Pharaonis 320.
-- mystica Ecclesia 317. 318. 515.
-- patris 304. sq.
-- pro uxore 515.
-- typicæ Dei in V. T. quatuor in mysterio distinguendæ 543.
Ducenti octoginta octo numerus mysticus 21.
Duces belli forma commendat 103. 104.
Ductio a tractione distincta quid notet ? 522.
Duodenarius mysticus 22. 23. 570. 590. 591.
Duplicatio literarum radicalium emphatica 115.
Dux militaris Christus 160.

E.

Ebrietas spiritualis 78.
Ebullire verbis tribuitur 80. 81.
Ebur adhibitum in ornatu ædium 314. 315.
-- cornu & dens est 314.
-- cum hebeno jungitur 468.
-- Ecclesiæ varias virtutes adumbrat 321. 322. 467.
-- thronorum 231. 232.
Ecclesia amat Christum 19.
-- cœlum 131. 230. 231.
-- corona 260.

corpus

-- corpus Christi mysticum 166.
-- Creatura 573. 574.
-- domus 316.
-- filia Dei 385. sq. 508.
-- gloria ejus 509. sq.
-- interna 514. sq.
-- interna ab externa distinguenda 334. 349. 350.
-- mater 387. 388. 560. sq.
-- mulier 344.
-- navis 481. 482.
-- occulta 516.
-- palatium 316. sq.
-- pharetra 198.
-- populus 202.
-- regina 348. 349.
-- Sponsa Messiæ 340. sq.
-- templum 316. sq. & Sponsa simul 544.
-- thronus Messiæ 230. sq.
-- vestis ejus 367. sq.
-- vestis Messiæ 297. 298.
-- uxor Messiæ 340. sq.

Ecstasis poëtica 66.
Ecstaticum Psalmorum genus 14.
Effusio Spiritus & gratiæ 140. sq.
-- non in solos Apostolos facta 45
-- per accinctum Messiæ adumbrata 166. 167.

Ego, Tu, Ille Trinitatem designat in Kabbala 408. 409.
Ἐκστάσις 580.
Electio Regum a Deo facta 254. 255.
Eliesер typus Spiritus S. 523.
Eloquentia & fortitudo raro juncta 134. 135.
-- Messiæ 135.
Emtione ducebatur uxor 412.
Enthusiasmus Poëticus 66. 67.
Ἐπάυλια 502.
Ephemeriæ cantorum 21.
-- mysterium eorum 21. sq.
Ephodi typus 301.
Epithalamia a virginibus cantata 18.
-- sacra a prophanis differunt 517.
-- quid in futurum ominari soleant? 553. 554.
Equites olim in bello inusitati 179.
Equi in Papatu mystici 474.
Eructare metaphora de abundanti dictione 78. 79.
Erudiri quomodo Messias possit? 192.
Ethan typus Ecclesiæ 94.
Ethnici V. Gentiles
Evæ creatio mystica 342. 346.
-- cum dæmoniis concubitus 396.
-- maternitas 561.

Evangelium currus Messiæ 182. sq.
-- cymbalis simile 61. 62.
-- organis Musicis 18.
-- Sagittis 194. sq.
-- sceptrum Messiæ 244. sq.
-- sermo bonus 69.
-- tibiis comparatum 49.
-- tubis 44. sq.
-- tympanis 60. 61.
-- verbum veritatis 181.

Eucharistica cum lætitia comedenda 538.
Evomere metaphora de poëtis usurpata 78.
Excommunicationes per buccinas fiebant 48. 49.
Exercitus apud veteres bipartitus 179.
Exserto capite exspectare 574. 575.
Exitus Messiæ & Ecclesiæ mysticus 179. 545.
Exspectatio Ecclesiæ 574. 576. 577.
Exuere vestes 370. 371.
Exultationes mysticæ fidelium 540. 541.

F.

Faces Sponsæ prælatæ 526.
Familia impiorum 396. 397.
Farina symbolum fidelium 499.
Felicitatis diuturnitas sponsis vovetur 554. sq.
Feminalia Sacerdotis summi quid notaverint 301.
Femur sedes gladii 165.
-- Messiæ symbolum Ministrorum 166.
Fenestræ Ecclesiæ 318.
Feræ Ægyptiæ Romæ sunt 456.
Fermenti emblema 500.
Ferrum symbolum crudelitatis 466.
Ferta cultus Levitici & eorum mysterium 497. sq.

Landesbibliothek Oldenburg

Ferventes spiritu 81.
Festum tabernaculorum 539.
Fidei symbolum dextra 358. 359.
Fides citharārum, quid adumbrent 54. sq.
Fides Ecclesiæ dicitur adorare 400.
-- dare dextram 364.
-- stare 351.
-- ὁμολογία est 615.
Filia Ecclesia vario respectu 384. sq.
-- Regis 509.
-- totius Trinitatis 385. sq.
-- Tyri cur Antichristianismus 492. 493.
Filiæ Regum cur a sponsa distinctæ 333. sq.
-- regiones & populi 331. 332. 493.
Filii Adami 124. 125.
-- Dei Fideles 564. 579.
-- Ecclesiæ 565.
-- masculi 565. 566.
-- Messiæ 563. sq.
Judæi 583. 584.
-- Diaboli 395. 396.
-- Prophetarum 559.
Filius Dei angelus est, in quo nomen Dei 110. sq.
-- divinitas ejus adstruitur 107. 108. 225. sq. 276. 277. 619.
-- in nomine Patris loqui solet 110. 118.
-- nomen per excellentiam Christo datum 607.
-- pulchritudo ejus triplex 107. sq. V. *Christus*.
Fimbriæ vestis Messiæ 295.
Floridæ vestes in nuptiis 289.
Flumen symbolum orationis 141.
Fœcunditas sponsi vovetur 553. 554.
Fœdera data dextra sancita 359.
Fœdus gratiæ spirituali conjugio comparatur 340. 341.
-- nomen Messiæ est 606.
Fœminæ V. *Mulieres*.
Fontes Doctorum symbolum 79.
-- Salomo cur ad eum unctus 258. 260.
Fores occlusæ 546.
Formæ præstantia V. *Pulchritudo*.
Fragrantia V. *odor*.
Fruges designant veritates fundamentales 470. sq.
Fulcra Ecclesiæ 233.
Fulmen cur cum sagitta comparatum 199. 200.
Fundæ auri 578. sq.
Funes fraudes Antichristianismi 479.
-- monachorum cannabini 479.

F.

Gabriel est Spiritus Sanctus 120. 121.
Galea cur spei emblema 574.
Ganimedei in Papatu 457.
Gaudium V. *Lætitia*.
Gebal in Papatu 437.
Gemitus Ecclesiæ præcipue sub promissione 583.
Gemma inedita illustratur 26. sq.
Gemmæ in luxu fœminarum 336. 337.
-- in pectorali Pontificis quid figurarint? 301.
-- symbolum earum 337. sq. 464.
Genealogia Diaboli 396. 397.
Generatio & generatio 613. 614.
Gentes conversæ Regum filiæ 332. 333.
Gentiles vanitas 578.
Gentilium conversio cum occupatione Canaanis comparatur 191.
-- cum victoria 157.
-- ejus circumstantiæ 212. sq.
-- ritus omnes in sacris Deus non respuit 24. 25.
Gigantomachiæ fabula unde orta 208.
Gihon fons regni Messiæ symbolum 259. 260.
Gladius accinctus femori 165.
-- describitur 163. 164.
-- emblema ejus in sacris 163. sq.
-- non designat obedientiam Christi 157.
Gloria cœlestis 547. sq.
-- columna nubis 123.
-- Dei 510.
-- Ecclesiæ 509. sq.
-- Messiæ vestis ejus 170.

Mini-

-- Ministrorum Ecclesiæ ultimæ 529.
-- nomen Messiæ 607.
-- vestis 290.
-- vestis Adami 370.
-- vestis Messiæ 170.
-- viri uxor 346.
Gloriosus Ecclesiæ in ultimo tempore status 495. 504. 511. sq. 523. 529. 539. 545. sq. 566. 567. 596. sq.
-- typus æternæ gloriæ 544.
Gradus quindecim in atrio 320.
-- throni Christi 233.
Γραμματεῖς quinam? 84.
Graphia 85. 86.
-- symbolum linguæ 89. sq.
Gratia Messiæ & labiorum ejus describitur 137. sq.
-- nomen ejus 605.
-- sermonis 138.
Gubernatores navium quid notent 484. 485.

H.

Hanna typus Mariæ & Ecclesiæ 93. 94. 561.
Harmonia chordarum in cithara hieroglyphica 54. 55.
-- Musica apud gentiles quid figurarit 34. sq.
-- nexum veritatum adumbrat 39.
Hasmonæi cur a Deo puniti? 285. 286.
Hasta roboris in bello symbolum 245.
Hebenus inter merces Tyri literaliter & mystice explicatur 468. sq.
Hellenisticus N. T. stylus 605.
Hercules Tyrius 445. 447.
-- author navigationis 480.
-- inventor purpuræ 476.
Hermon mystice 457.
Herodis vestis 294.
Heroes Deorum filii 159.
Heros Christus 159. sq. 211.
-- Diabolus 160.
Hierocles Philosophus Christi adversarius 217.
Hirci in Papatu 474.
Hiromus Rex Tyri 430.
Historia N. T. typica 590. 591.
Homagium Regi præstitum quid adumbrarit? 260.
Homerus cur Tyri non meminerit? 443.
Honor Christo exhibendus 399.
-- qui fidelibus datur 511.
Hosanna 409.
Hoseas typus Christi 93.
Hospitibus data dextra 356.
Hostes Christi 160. 207. sq. 216. sq.
-- infelicitas eorum 219. 220.
Humanitas Christi arcæ fœderis comparata 123.
-- pulchritudo ejus spiritualis 108.
corporalis 129.
-- vestis ejus 291. sq.
Humilitas Ecclesiæ 351.
-- Ministrorum verbi 496. 528.
Hyperbolæ Propheticæ non facile admittendæ 427. 598.
Hymni ad lyram cantati 13.
-- sacri V. *Psalmi*.

I.

Jacobi paternitas 588.
Januæ occlusio 546.
Javan Ecclesia Græca 459.
Idololatria Tyri 445.
-- Papatus 446. 447.
Idumæi typus hostium Ecclesiæ 6.
Jehova quomodo a Græcis expressum? 54.
-- nomen Messiæ adscriptum 606. 607.
Jeremias typus populi Judaici 93.
Jerichuntis expugnatio mystica 47. sq.
Jesabel mystica 448.
Jesaias typus Paulli 93.
Ignis amoris divini 500. 501.
-- Spiritus instinctum notat 81.
-- vehementiores affectus 82.
Ille, emphaticum 408. sq.
Imagines Deorum ex ebore 321.
Impedimenta regni sui quomodo Messias superaverit? 176. 212. 213. 216. sq.
Imperator Christus 159. sq.
Imperatores forma commendat 103. 104.
-- schema Deorum assumsere 223.
Imperium in propriam animam 349
-- Romanum Papismi murus 437. sq.

Impie-

Impietas describitur 252.
Impii sunt hostes Dei 207. 208.
Implementum prophetiarum necessarium 427. 428.
Impleri Spiritu quid? 82.
Incarnatio Christi, opus Spiritus S. in ea 270. 271. 279.
-- pulchra 108.
India sedes Ophiræ 365.
Induere arma quomodo Messiæ tribuatur? 170. 171.
-- Christum 368. 369.
-- se per fidem dicuntur fideles 371.
Inquisitionis tribunal 457. 466.
Inspiratio immediata Scriptorum sacrorum etiam quoad verba defenditur 89.
-- Scriptoris Psalmi 45. probatur 2. 92. 93.
Institutio quid designet? 15. 16.
Instrumenta Musica templi typica 28. sq.
Insulæ Chittæorum 455.
-- symbolum Rerumpublicarum 455.
Insula Tyrus 422. 439.
Interior hominis pars est anima 514. 516.
Interna est gloria Ecclesiæ 514. sq.
Introitus sponsæ in gloriam cœlestem 547.
-- in palatium Regis 545. sq.
Jonæ prædictio cur non impleta? 428.
Joves dici volebant Reges 223.
Isaaci paternitas 588.
Israël typus fidelium N. T. 202.
Israelis XII. tribus typus Ecclesiæ N. T. 570.
Ithobalus Tyri Rex 447. 448.
Juda & Israël Ecclesia Protestantium 458.
Judæi hostes Messiæ 208. 212.
-- impii 252.
-- spirituales 614. 615.
-- vanitas 578.
-- ultimis temporibus convertendi 583. sq. 594. 595.
Judas Ischariotes typus Antichristi 465.
Judex in Ecclesia Christus 234. 235.
Judicia Dei per sagittas adumbrata 199. sq.
-- in Antichristianismum 488. sq.
-- in orbem Romanum sub initiis Christianismi 214. 215.
Judicialis potestas sceptro adumbrata 243.
Juliani exitus 217.
Jumenta Papatus 474.
Juno cur cum tympano picta? 60.
-- ejus vestis hieroglyphica 297.
Jupiter, cur appicta ei lyra? 54.
-- Olympius Tyriis cultus 445.
-- Rex 222.
-- Sabazius, ejusque orgia 341.
-- vestitus ejus hieroglyphicus 297.
Juratum per dextras 539.
Justitia Christi vestis 170. 518.
-- descriptio ejus 250. 251.
-- fidelium vestitus aureus & variegatus 368. sq. 521.
-- in Messia conspicua 187. 188. 248 sq. 250. sq.
-- virtus heroica 186.
-- virtus regia 247, sq.
Juventus Ecclesiæ cur tribuatur? 385.

K.

Kilmad in Papatu 466.
Κίννυρα quid? 55.
Κάβαλοι dæmones 479.
Korah Judæorum typus 20.
Κτίσις est Ecclesia 568. 569. 573. 574.

L.

Labia Messiæ mystica 136. 137.
Labri ænei forma 25.
Lætitia Ecclesiæ N. T. 538. sq.
-- fidelium varia 535. sq.
-- in cultu templi typica 42. 538.
-- in nuptiis consueta 530. sq.
-- Messiæ 268. sq. super Ecclesiam 323.
Laminæ aureæ Pontificis M. typus 302.
Lampades sponsis prælatæ 526. 527.
Lana Tyri mysticæ 477.
Lapides fundæ quid? 209.
-- quadrati, secti serra, in Palatio Salomonis 320.
Lapis fundamenti Christus 317.
-- stanni 318.

Laus

Laus Dei describitur 616. 617.
-- finis operum ejus 622. 623.
-- per citharam adumbrata 52. sq.
Lectica Salomonis explicatur 231. sq.
Legis exemplar cur Regi traditum? 260.
Leones in throno Salomonis 233.
Libanus in Papatu 457.
Liberatio Ecclesiæ per gradus instituitur 581.
Liberi arbitrii Patroni refutantur 414.
Libertas gloriosa Ecclesiæ 582.
Ligna acerna thronorum 232.
-- pretiosa inter merces Tyri 467.
-- thyina 468. sq.
Lignum cedrinum 232. 319.
-- differt a thyino 468. sq.
-- inter merces Tyri 467. sq.
-- Libani 232.
Lilii forma diversis subjectis tribuitur 25. 26.
Liliis cur comparentur labia? 140.
Lis Messiæ de regno suo 274. 275.
Literarum radicalium duplicatarum emphasis 115.
λόγος convenit cum nomine Jehova 606.
Luctus Sacerdotibus & Regibus interdictus 269.
Lud in Papatu 460.
Luna typus Ecclesiæ 561. 562.
Luxus in Papatu 457.
Lyra V. *Cithara.*

M.

Magistratus officia inculcantur 282. 283.
Magnanimitas Messiæ 169.
Magnificentia Messiæ 168. sq.
-- bis demonstranda 174.
Majestas Messiæ describitur 168. sq.
-- similis cingulo 172. sq.
Malachbelus 222.
Mali navium Tyriarum 485.
Mansuetudo virtus heroica 185. 186.
-- in Messia conspicua 187.
Manuum usus fœderalis 615. 616.
Marcelli hæresis 278.
Mare æneum figuram lilii habuit 25.
-- symbolum Antichristianismi 440. 441.
Margaritæ designant veritates Evangelicas 465.
Maria typus Ecclesiæ 561.
Maritus dominium habet in uxorem 406. sq.
-- Ecclesiæ Christus 342. sq.
-- Est pater uxoris 386. 387.
-- tota Trinitas 341.
Marmor fidelium emblema 467.
Martyria falso jactat Papatus 470.
-- sunt puerperium Ecclesiæ 563.
Masculam prolem Reges desiderant 555.
Masculi sunt filii Messiæ 565. 566.
Μαπαιότης 577. 578.
Mater Antichristianismus 562.
-- Ecclesia vera 387. 560. sq.
-- Messiæ 387.
-- Luna 561.
Matres dicuntur civitates 560. 561.
Matrimonium V. *conjugium.*
Matutinum munus 501.
Mediatorii muneris Christi præstantia 109. sq.
Mel symbolum eloquentiæ 142.
-- eloquentiæ humanæ 471.
-- superbiæ 500.
Μέλκαρθος Hercules 447.
Melchisedecus communi hominum sorte augustior fuit 284. 285.
-- non fuit homo glorificatus 11.
-- non fuit Princeps religionis Antistes 11.
Membra corporis designant membra Ecclesiæ 166.
Membranæ 86.
Meminisse 610.
-- nominis Dei & Messiæ 608. sq.
-- pro celebrare 611.
Memoriæ cur sepulchra? 611.
Merbalus Rex Tyri 430.
Mercatores Clerus Romanus 453. 454.
Mercatura Tyri literalis & mysticæ 452. sq.
Merces Tyriæ late explicantur 460. sq.
Mercurius Tyriis cultus 445.
Meretrices falsi doctores 474.
Meretrix Antichristiana 447.
Mesech mystice 458.
Messias V. *Christus*

Landesbibliothek Oldenburg

Μετοχοι 272.
Metropoles 561.
Michael Messias est 116. sq.
Minæ Dei per prophetas buccinis comparatæ 46. sq.
-- cur non semper impletæ? 427. 428.
-- sceptro adumbratæ 245.
Minchæ præparatio quid designet? 81.
-- typus explicatur 497. sq.
-- vespertinæ præstantiores 501.
-- ultimis temporibus Ecclesiæ offerendæ 502. 503.
Ministri Ecclesiæ amicæ sponsæ 528.
-- amici sponsi 383. 523.
-- arcus 198.
-- asina Messiæ 259.
-- currus 182.
-- divites populi 494. 495.
-- femur Messiæ 166.
-- gemmæ 338.
-- gloria eorum in ultimis temporibus 529. 596. sq. 600. sq.
-- humiles 496. 528.
-- mulus Davidis 259.
-- nubes 182. 259.
-- officia eorum inculcantur 96. sq. 505. 552. 625.
-- Paranymphi 383. 523.
-- pedissequæ 335. 528.
-- Principes 596. sq.
-- sagittæ 194.
-- sceptrum 245.
-- virgines 527.
Miracula in occupatione Canaanis quid figuraverint? 191.
Mithra idolum 404.
Monachatus ferreum institutum 466.
Monasteria naves 482.
Monstrare pro experientiam dare 192.
Moses an sacerdos? 12. 285.
-- pulchritudine typus Christi 102.
Mulier cur Eccl. sia? 344.
-- cur filia Tyri? 493.
Mulieres symbolum nationum & provinciarum 331. 332. 493.
Muli in Papatu 474.
Mulus Davidis typicus 259.
Munera nuptialia 337. 502.
-- Regi Messiæ offerenda 496. sq.
Muri defensores 437.
-- Ecclesiæ veræ 317.
-- leges 439.
-- Papismi 436. sq.
-- Tyri 436.
Musæ unde dictæ 16.
Musica affectus temperat 40. 41.
-- Phœniciis in pretio 486.
-- Papatui 486.
-- templi mystica 28. sq.
Musici philosophi 16.
Myrrha describitur 302. 303.
-- quid adumbrare possit? 303. 304. 312. sq.

N.

Navarchæ rectores politici & Ecclesiastici 484. sq.
Naves emblema Ecclesiæ veræ & falsæ 481. sq.
-- rerumpublicarum 480. 481.
Navigatione Tyrus inclyta 479. 480.
Navium inventor Hercules 480.
Nautæ Tyri quid adumbrent 485.
Nebucadnezar quid adumbrarit? 490.
-- Tyrum insulanam non expugnavit 421. 425. sq. 429. sq.
Nilus doctrina Papatus 457.
Nix symbolum orationis facundæ 143.
Nomen Dei 604. sq.
idem quod gloria 604. 605.
Messiæ 605. sq.
novum filiorum Dei 567.
Nomina populorum unde sint derivanda? 454. 455.
Nomini tetragrammato omnes vocales Græcorum inesse creditum 54.
Non sponte fideles subjecti sunt vanitati 580.
Nubes adumbrant Ministros Evangelii 182. 259.
-- sagittarum 198.
-- vestis Deorum 295. 296.

Landesbibliothek Oldenburg

-- vestis Filii Dei 295.
Nudus homo peccator 370.
Nuptiæ mysticæ vita sapientum habebatur 340.
-- per septiduum celebratæ 99. 100.
-- symbolum Oeconomiæ N. T. 99. 100.
Nuptiales choreæ 531. sq.
-- dies 530.
-- faces 526.
-- vestes 288. sq. 366. 369. 516. sq.
Nuptialia carmina 18.
-- numera 337.
Nuptialis lætitia 530. sq.
Νυμφαγωγοὶ 522.

O.

Oblationes V. *Minchæ.*
Oblivio fidelium mystica in conversione quid includat? 398. 399.
-- populi & domus patriæ uxoribus communis 393. 394.
-- Tyri 489.
Obsides olim dabantur e Principum filiis 429.
Occasiones Psalmorum aliquando externæ indicari possunt 5. non tamen semper 4.
Occultus Ecclesiæ status 516. 517.
Occupatio Canaanis typus conversionis gentium 157. 191.
Oculus & sceptrum quid notet? 242.
Oculus symbolum intellectus 390. 391.
Ὠδῖνες Ecclesiæ 562. 563.
-- Ecclesiæ Judaicæ 583.
Odium impietatis Messiæ tribuitur 253.
Odor bonus nomen celebre 266.
-- perfectiones & virtutes 310. sq.
Oeconomiæ V. finis cum fine novæ conferendus 589. sq.
Oeconomicum Dei in Ecclesia regnum 318.
Officia Sponsæ Regi Messiæ exhibenda 388. sq.
Οἰκεῖοι 547.
Oleæ truncus Abrahamus 587. 588.
Oleum ad atramenta adhibitum 87.
-- aromaticum & ejus emblema 309. sq.
-- lætitiæ 267. sq.
-- lileaceum 267.
-- sacrum ad unctiones Regum Judæ adhibitum 261. 262.
-- symbolum Spiritus sancti 261. sq. 471. 499.
-- unctionis tempore Messiæ restituendum 263.
Olla cordis symbolum 81.
Ὁμολογεῖν 614. sq.
Opera dicuntur monumenta ingenii & carmina 75.
Ophir de ejus situ 364. sq.
-- emblema qualitatum fidei & sanctificationis 376.
-- non fuit duplex 365. 366.
Opobalsamum remissio peccatorum 472.
Oracula paullatim obmutuerunt 217. 218.
Oratio cum curru comparata 183.
-- cum flumine 141. 142.
-- cum nive 143.
-- cum pluvia 142. 143.
-- cum rore 142. 143.
-- cum sagittis 194.
-- cum sceptro 244.
-- cum vino 143. 144.
Organa V. *Instrumenta.*
Ornatus uxoris maritus 372.
Os vestium 309.
Osculum Messiæ dandum 260.
Osiris quomodo ab Ægyptiis pictus 242.
Ostendere pro experientiam dare 192.
Oves in Papatu 474.

P.

Pactum inter Patrem & Filium 256. 257.
Palætyrus 419. 420. 425.
Palatia ex ebore 314. 315.
Palatium Davidis mysticum 319.
-- Messiæ Ecclesia 316. sq.
-- Salomonis mysticum 319. sq.
Pallium Sacerdotis summi typicum 301.
Paludamentum Messiæ mysticum 170. sq.
Pan hieroglyphice vestitus 297.
Papæ fastus 448. sq. 452.
Papatus V. *Antichristianismus.*
Paradisus non fuit in confiniis Tyri, nisi mystice 431.

Landesbibliothek Oldenburg

Paranymphus quis? 522.
-- symbolum Spiritus S. & Doctorum 523.
Partus dolores Ecclesiæ 562. 563.
-- Ecclesiæ Judaicæ 583.
Pascha cur die 14. mensis Nisan comedendum? 320.
Pastores Reges dicuntur 241.
Pater Adamus 395.
-- æternitatis 556. 557.
-- Ecclesiæ Deus Triunus 385. sq.
-- fidelium Messias 556. sq.
-- impiorum Diabolus 395. 396.
-- uxoris maritus 386. 387.
Patres Abrahamus, Isaacus & Jacobus 586. sq.
-- Apostoli 586.
-- Dii 557.
-- Doctores 586.
-- filiis de uxoribus prospiciebant 411. 412.
-- populus Israeliticus ex Ægypto eductus 585.
-- Reges 332. 558.
Patris domus quid? 394. sq.
Patria cœlum 548.
Pavimentum throni Christi 233.
Paxilli Ecclesiæ 318.
Peccaminosæ actiones aliquando res sanctas adumbrant 534. 535.
Peccata Tyri mysticæ 487. 488.
Pectoralis judicii typus 302.
Pennatæ sagittæ 196. 197.
Peplus Minervæ 293.
-- variegatus reginarum & sponsarum 520.
Perfectio Ecclesiæ militantis restricta 511. sq.
Pergamenæ 86.
Persarum cum Tyro mystica commercia 460.
Personæ SS. Trinitatis distinctæ sunt 256.
Pestis per sagittam picta 200.
Petra Antichristianismi 435.
Petræ Ambrosiæ 435.
Petri Vicarius Papa 450. 451.
Petrus Cherub. 450.
-- fundator prætensus Antichristianismi 435.
Pharetra decretum Dei 201.
-- Ecclesia 198.
-- verbum Dei 198.
Philosophi Christi adversarii 217. musici 16. 17.
Phœnices fraudulenti 486.
-- Musicæ dediti 486.
Phœnicia ære abundans 466.
-- artificiis clara 485. 486.
-- inventrix pictarum vestium 520.
-- luxus ejus in navibus 482.
-- vestibus celebris 475.
Φθορὰ 578. 579.
Phut commercia habet cum Tyro mystica 460.
Pictæ vestes 519. sq.
Pleonasmi proprie dicti in stylo Spiritus S. non sunt statuendi 67.
Pluvia eloquentis dictionis symbolum 142. 143.
Plumbeo jugulare gladio 163.
Plumbum symbolum ignorantiæ 466. 467.
Polygamia Salomonis laudari nequit 72. 333.
Polymitarii Phœnices 475.
Populi, quibuscum Tyrus mercata est, describuntur 454. sq.
Populus Dei quid designet 202. 203. 493.
-- Ecclesiæ pristinus 395.
Populorum nomina unde derivanda 454.
Porphyrius Christi hostis 217.
Porta V. *Janua.*
Porticus tribunalis in domo Salomonis 320.
Potentia Dei est Spiritus Sanctus 121.
Præcepta Evangelica, jam sub lege valuerunt 13. 14.
Præconium Evangelii per Musicam templi præfiguratum 38. sq. V. *Evangelium.*
Præfationes prophetiarum mysticæ 93. 94.
Præfecti Musices in templo triplicis ordinis 23. sq.
Præfectus super Schoschannim 24.
-- quid adumbraverit? 64.
Præmium victoriæ vestes 300.
Preces fidelium inserviunt consilio Dei 163. 211.
-- nomen Messiæ in illis commemoratur 613.
Primitiæ cum lætitia comedi debebant 538.
Princeps Messias 117.

Landesbibliothek Oldenburg

Principatus filiorum Messiæ 595. sq.
Ministrorum spiritualis 596. sq.
Procidere gestus eorum, qui victi sunt, quid designet? 203. sq.
Proles mascula Messiæ 565. 566.
-- Regum 555.
-- desponsatis vovetur 553. 554.
Prologi Prophetiarum mystici 93. 94.
Prophetæ amanuenses Spiritus 88. 89.
-- cor eorum commotum 81. 82.
-- lingua eorum calamus 89. sq.
-- prophetandi modo typi Ministrorum N. T. 93. sq.
-- pulchri esse solebant 103.
-- scribæ 88. 89.
-- ungebant Reges 259.
Propheticum Christi munus 136. sq.
Prophetiæ carminice prolatæ 17.
-- implementum earum necessarium 427. 428.
Propitiatorii typus 123.
Προσκυνεῖν 399.
Psalmi an omnes externas occasiones habuerint 4.
-- ordo eorum non fortuitus 3. 4.
-- prologi eorum mystici 93. 94.
-- quid de sensu eorum literali & mystico statuendum sit? 5. sq.
-- qui non habent authoris nomen, non statim sunt Davidici 2.
Pseudodoctores increpantur 96. 97.
Puellæ symbolum Doctorum 335.
Puerperium Ecclesiæ 562. sq. 383. sq.
Pulchritudo designat quamcunque excellentiam 106. 107.
-- Doctorum, Imperatorum, Regum, Sacerdotum, Sponsorum 103. sq.
-- Ecclesiæ spiritualis 400. sq.
-- Messiæ 102. sq.
-- raro juncta cum facundia 134. 135.
-- Tyri & Papatus. 441. 442.
Purpura Messiæ magnificentia 171.
-- thronorum. 232.
-- Tyria, ejus inventio & symbolum. 475. 476.
Pythagoræ femur aureum. 166.

Q.

Quadraginta quinque columnæ palatii Salomonis. 320.
Quadrata forma Ecclesiæ. 318.
Quadrati lapides 320.
Quercus navium Tyri 482. sq.
Quindecim columnæ & gradus 320.
Quinquaginta cubiti domus Salamonis 320.

R.

Rami oleæ 587.
Recitationes veterum 82. 83.
Recordatio nominis Messiæ 608. sq.
Rectitudo sceptri Messiæ 246. sq.
-- verbi 249.
Reformatio Ecclesiæ prædicta 503. 504.
Regeneratio Ecclesiæ 570.
Reges a Deo constituti 254. 255.
-- amare debent justitiam 247. 248.
-- Dii dicti 222. 223.
-- Domini dicebantur 405. 406.
-- in sacris Bacchi 349.
-- Patres dicti 558.
-- pauci justi 253.
-- pulchri esse debebant 104.
-- Tyri 447. 448.
-- vestes eorum splendidæ 288.
Regia majestas divinæ propinqua 221. sq.
-- per sceptrum adumbrata 241. sq.
Reginæ symbolum nationum & Provinciarum 331. 332.
-- Ecclesiæ externæ 334. 335.
-- fidelium 348. 349.
Reginarum vestes splendidæ 366. 367. 520. 521.
Regna mundi fluxa 239.
Regnum a sacerdotio in populo Dei semper separatum esse debebat 284. sq.
-- Dei in Israele erat Theocraticum 222. 228. 255.
-- fidelium 348. 349.
-- Messiæ æternum 236.
-- Deitatem ejus manifestat 228.
-- generatim describitur 240.
-- in totam terram quomodo extendendum 597.

Landesbibliothek Oldenburg

-- peccatori exosum 209.
Remi navium Tyri 484.
Remiges Tyri 485.
Resina sunt indulgentiæ Papales 472.
Revelatio filiorum Dei 575. 576.
Rex Messias 74. 75. 521. 522.
-- cur potius quam Sponsus dicatur 521. 522.
-- in comparatione & oppositione aliorum 206.
-- quo jure? 240. 241.
-- seculorum 557.
-- Tyri mysticæ Papa 448.
Rhedæ in Papatu 474.
Rivi emblema orationis 141.
Romæ comparatio cum Tyro 432. sq.
-- excidium prædictum 490. 491.
Ros emblema orationis 142. 143.
Rotunditas quid adumbret? 260.
Ructus emblema dictionis 78. 79.
Rupes mysticæ 435.
Rupibus inædificata Tyrus 433. sq.

S.

Sabazii Jovis orgia 341.
Sacerdotes debebant membris integri & formosi esse 105.
-- gentium Christi adversarii 216.
-- non debebant lugere 269.
-- ungebant Reges 259.
Sacerdotium & regnum semper separari debebant 284. sq.
-- in Christo juncta 286. 287.
-- Messiæ duas habet periodos 287.
-- in cœlo consummandum 325.
-- præstantia ejus 324.
Sacramenta gemmis collata 338. 339.
Sacrificia confessionis 615.
-- matutina & vespertina 501. 502.
-- simul ad Christum & fideles respectum habuere 498.
Sagittæ, de earum forma, usu & emblemate 193. sq.
-- cur acutæ 201. 202.
Sal amoris symbolum 499.
Salomo, de eo Psalmus 45. non agit 2. 3. 69. sq. 389.
-- Palatium ejus typicum 319. sq.
-- Polygamia ejus laudari nequit 72. 333.
-- thronus ejus hieroglyphicus 230. sq
-- unctio ejus typica 259. sq.
Σάλπιγγες 48.
Saltationes nuptiales 531. sq.
-- -- a Patribus proscriptæ 532. sq.
Sanchoniathon spurius scriptor 443.
Sanctitas Ecclesiæ auro comparata 372. sq.
-- ebori 322.
-- vestitui 368. sq. 521.
-- unguentis. 311. sq.
Sara typus Ecclesiæ 561.
Sardonychum duorum typus 309.
Satellitium Messiæ 234 259.
Saturnus Tyriis cultus 445.
Saulis spiritus inquietus per citharam sedatus quid adumbrarit? 58. 59.
Scabellum throni Messiæ est Ecclesia militans 231.
Scaturire metaphoricum de sermone 79.
Sceptrorum origo, ratio, emblemata late explicantur 241. sq.
Sceptrum rectitudinis 246. sq.
Scortatio idololatriæ symbolum 446. 447.
Scribæ apud Judæos quinam? 83. sq.
-- symbolum Prophetarum 88. sq.
-- -- Spiritus Sancti 87. sq.
-- Synedrii 363.
Sedere ad dextram Dei 8. sq.
Sedere in throno quid designet? 234. sq.
Sella Dei anima 230.
-- eburnea Romanorum 231. 232.
Semen serpentis 395. 396.
Senir commercia habet cum Tyro mystica 457.
Sensus literalis in Psalmis Propheticis non est temere statuendus 5. sq.
-- -- in nostro Psalmo non habet locum 71. 72. 115. 116. 225. 333. 517. 527. 533. 534.
-- Propheticus & typicus differunt 7.
Sephiroth Judæorum 169. 170.
Sepiæ humor atramento aptus 87.
Septem buccinæ Apocalypticæ 48. 49.
-- chordæ 54.

perio-

-- periodi in Pſalmo XLV. 100.
Septuaginta anni oblivionis Tyri 489.
Sericum Tyri myſticæ 478.
Sermo V. *oratio*
Sermo bonus doctrina Evangelii 68. 69.
Sermo Chriſtus cum reſpectu ad nomen Jehova 606.
Serra verbum Dei 320.
Servi corpora dicti 463.
-- venumdati 579.
Servitus fidelium ſub corruptione 579.
Sidon mater Tyri 444.
-- typus imperii Romani gentilis 445. 456.
-- veſtium pictarum inventrix 520.
Sigillum Dei Meſſias 109.
Signa Romanorum cur dextris ornata? 189. 190.
Silenus Tyriis cultus 445.
Siloa fons typus regni Meſſiæ 259. 260.
Similago fidelium ſymbolum 499.
- inter merces Antichriſtianismi 471.
Similitudines rerum ſacrarum extra Scripturam non facile excogitandæ 37.
Simſon in morte typus Chriſti 161.
Siniſtra dextræ juncta robur adumbrat 189. 190
Sinus Abrahæ 587.
Socii Meſſiæ 272.
Solium V. *Thronus.*
Spes fidelium 574. ſq. 576. ſq.
Sphinx unde dicta? 391.
Spiritus Sanctus author lætitiæ ſpiritualis 269. 270.
-- non eſt angelus, in quo nomen Dei 110.
-- oleo aſſimilatus 264. ſq.
-- opus ejus in incarnatione Chriſti 270. 271. 279.
-- partes ejus in conſilio pacis 270.
-- ſceptrum Meſſiæ 244. ſq.
-- Scriba cœleſtis 87. ſq.
Sponſa Chriſti Eccleſia 340. ſq.
-- comitantur eam virgines in pompa nuptiali 332. 525. ſq.
-- elogium ejus differt ab elogiis mundanis 517.
Sponſæ ſolebant comitatum ſuum veſtibus donare 337.
Sponſarum veſtitus 366. 367. 517. ſq.
Sponſi cum Rege convenientia 329. 330.
Sponſus Eccleſiæ Chriſtus 342. ſq.
Sponſus ſponſæ obviam procedit 524.
Sponte ſua fideles non ſunt vanitati ſubjecti 580.
Stacte myrrhæ ſpecies 302. 303.
Stannum in Tyro myſtica traditionum &c. ſymbolum 466.
Stare cur Eccleſiæ tribuatur? 351. 352.
-- cur Meſſiæ? 117.
Στεναγμὸς deſcribitur 583.
Stylus helleniſticus N. T. 605.
-- hieroglyphicus S. Scripturæ caſte tractandus 36. 37.
-- prophetiarum eſt teſtamentarius 598.
-- ſcriptorius 85. ſq.
Subjecta eſt vanitati creatura 580. ſq.
Subjectum Pſ. 45. Meſſiam eſſe demonſtratur 69. ſq.
Suffitus Tyriorum myſticus 473.
Supplicatio filiæ Tyri facienda 495. 496.
Σωωδίνειν 583.
Syria commercia habet cum Tyro myſtica 457.
Συστενάζειν 583.

T.

Tabulæ navium Tyri 484.
-- ſcriptoriæ emblema mentis 90. 91.
Tabernaculi ſuppellex convenit cum mercibus Tyri myſticæ 462. ſq.
Tabernaculum typus Chriſti & Eccleſiæ 542. 543.
Ταχυγεγραφοι 85.
Tædæ nuptiales 526.
Targumim in Pſalmos & Canticum recentius opus ſunt 306.
Tarteſſi cum Tyro commercia 459.
Taxa ſacræ pœnitentiariæ 477.
Tectum domus myſticæ Chriſtus 317.
Tela V. *Sagittæ.*
Templorum nimius luxus 325.

in

Landesbibliothek Oldenburg

-- in Papatu 462. 463.
Templum Dei anima 316.
-- Ecclesia interna 350.
-- & tabernaculum conferendum 321.
-- Ezechielis mere spirituale ad ultima tempora N. T. respicit 543. 544.
-- Herculis Tyrii antiquissimum 442.
-- suppellex ejus in V. T. cum mercibus Tyri convenit 462. sq.
-- triplex in typica explicatione distinguendum 543.
-- typicum fuisse agnoscunt Judæi 542. 543.
Tenditur auris, quando voluntas in vocatione inclinatur 391. 392.
Tenebræ exteriores 549.
Terra χυρίως terra Canaan dicitur 599.
Terra tota regnum Messiæ 597. sq.
Terribilia Christi facinora 191.
Tessellæ vestium quid adumbrent 519.
Textura corporis humani 291.
Tharsidis cum Tyro mystica commercia 459.
Theocraticum Dei in Israële regnum 222. 228. 255.
Θεομαχοῦντες 216.
Thogarma in Papatu 458.
Throni Regum insigne 228.
Θρονισμὸς in mysteriis Bacchi 349.
Thronus Dei 228. 229.
-- Messiæ 229.
-- Salomonis mysticus 230. sq.
Thubal commercia habet cum Tyro mystica 458.
Thus precum & passionum 473. 499. 500.
Θύϊνον lignum 468. sq.
Θυὸς 469.
Tiaræ S. Pontificis typus 302.
Tibiarum usus & typus explicatur 49. sq.
Tigris fluvius unde dictus? 196.
Toga picta 520.
Torrens emblema orationis 141. 142.
Trabes domus Doctores adumbrant 317. 318.
Transtra navium Tyri mysticæ 484.
Tredecim anni palatio Salomonis impensi quid designent? 319. 320.
Tres Oeconomiæ in structura palatii Salomonis adumbratæ 320.
-- Viri Abrahamo apparentes quinam? 110.
Tribus XII. Israelis Ecclesiæ N. T. typus 570.
Triginta cubiti altitudinis in domo Salomonis 320.
Trinitatis SS. gloria in Christo conspicua 227.
-- mysterium in domo Salomonis figuratum 320.
Triticum fidelium symbolum 498. 499.
-- in AntiChristianismo 471.
Truncus oleæ Abrahamus 587.
Tubarum usus & typus 44. sq.
Tunica Christi inconsutilis mystica 299.
-- Sacerdotis S. typica 301.
-- tessellata sponsæ est justitia Christi 518. 519.
Turres Papismi 436. sq.
-- symbolum Defensorum 437.
Tyri 436.
Tympanorum usus & typus 59. sq.
Typi diversi de eadem re sæpe junguntur 542
-- peccaminosi res & actiones sanctas exprimunt 534. 535.
-- quam caute explicandi 36. 37.
Tyranni Christi adversarii 216.
-- eorum exitus 217.
Tyri urbis historia & mysterium prolixe pertractatur 419. sq.

V. U.

Vanitas quid in sacris designet? 577. 578.
Vasa personarum symbola 470.
Ubera Ecclesiæ 563.
Vectes adumbrant verbum Dei 182.
Vehiculum Messiæ V. *Currus.*
Venatores Monarchæ 456.
Venus cur cum lyra pingatur? 27.
Verbum Dei argento comparatur 465.
-- currui 182. sq.
-- gemmis 338. 339.
-- gladio 163. sq.
-- pharetræ 198.
-- sagittis 194. sq.

sce-

Landesbibliothek Oldenburg

-- sceptro 244. sq.
-- tubis 44. sq.
Verbum veritatis doctrina Evangelii appellatur 181.
-- nomen Messiæ 606.
-- rectitudo ejus 249.
Veritas in genere describitur 182.
-- verbi Dei 182.
Veritates fundamentales per fruges adumbratæ 470. sq.
Verminare metaphoricum de verborum copia 79.
Vespera fiebat domiductio 523.
-- mundi & Ecclesiæ 524.
Vespertinum munus 501. sq.
Vestes acu pictæ 519. 520.
-- Antichristianismi 475. sq.
-- aureæ 366. sq.
-- Deorum 292. 293. 297.
-- Ecclesiæ 367. sq. 517. sq.
-- symbolum sunt justificationis & sanctificationis 368. sq. 518. sq.
-- exuere 370. 371.
-- in sacris gentium 293.
-- Messiæ gloria ejus 171.
-- quid significent? 291. sq.
-- splendidæ finguntur a Judæis 288.
-- nuptiales 288. 289. 366. 369. 519. sq.
-- regiæ 288. 366. 518. sq.
-- sacerdotales 290. sq.
-- sericæ in Tyro mystica 578.
-- sponsæ cur toties laudentur? 517. 518.
-- stragulæ 478.
-- symbolum beneficiorum 289. sq
-- cœli 297.
-- corporis 291. 292.
-- Ecclesiæ 297. 298.
-- majestatis & gloriæ 170. sq. 294. sq.
-- regnorum & populorum 297.
-- Virtutum 292. sq.
-- tessellatæ 518.
-- victorum 300.
-- virgatæ 518.
Vestis Adami 370.
-- Christus 369.
Vestium Christi divisio 299.
Vexilla Romanorum cur dextris ornata? 189. 190.
Vicarius Dei, Christi, Petri, Papa 448. sq.
Victoria de cordibus electorum 219. 220.
-- de gentibus 157. sq.
-- de Satana 161. sq.
Videre idem ac intelligere 390. 391.
Vigiliæ templi typicæ 22. 23.
Viginti quatuor ephemeriæ 21.
Vinum symbolum doctrinæ de sanguine Christi 471.
-- martyrii 499.
-- orationis facundæ 143. 144.
Virgines Epithalamia canebant 58.
-- faces nuptiales præferebant 526. 527.
-- sponsam comitabantur 332. 525. sq.
-- symbolum Doctorum 527.
Vivat Rex acclamatum Messiæ 260. 261.
Ultimorum temporum Ecclesiæ gloria. V. *Glorioſus.*
Unctio Davidis typica 258. sq.
-- & benedictio Messiæ idem 148.
-- Messiæ prolixius pertractatur 158. sq.
-- -- fons omnis excellentiæ ejus Regiæ 275.
-- Regum quo oleo facta sit, inquiritur 261. sq.
-- Salomonis typica 259. sq.
Uncti sunt fideles 267.
Unguenta suavium rerum emblemata 303. 304.
-- symbolum eorum ratione Ecclesiæ 310. 311.
-- -- ratione Messiæ 310.
-- -- ratione Papatus 472.
-- vestes iis in variis occasionibus delibutæ 309.
Unio animæ cum Christo 346.
-- -- secundum Pseudomysticos 347. 348.
Vocationis efficacis gradus 389. sq.
Vomitus dictionis emblema 78.
Vox tubæ 45. 46.
Urbs Antichristianismus 432. 433.
-- differt a civitate 433.

Ussias Rex a Deo punitus 285.
Uxor Christi Ecclesia 340. sq.
-- domi manet 547.
-- est domus mariti 515.
-- est filia mariti 386. 387.
-- obliviscitur domus patriæ 393.
-- placere viro quærit 403. 404.

X.

Ξύλος homo elenchticus 163.
Xylaloe 305.

Y.

Ὑπόταξις creaturæ fidelis subvanitate 578. quomodo Deum authorem habeat? 580. 581.
-- uxoris sub viro 406. sq.

Z.

Zidon V. *Sidon.*
Zingiber 309.
Zona V. *Cingulum.*

ADDENDA.

Quoniam aliquid spatii restat, pauca hæc addere lubuit.

Pag. 82. post lin. 10. *Cicero* de Orat. libr. 2. ex Democriti & Platonis sententia ait: *Poëtam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse & sine quodam afflatu quasi furoris.* Consule & *Gyraldum* Dial. I. de histor. Poet. *Joach. Fellerum* diss. de furore poëtico & *Rabeneri* dissert. de naturalibus & philosoph. poeseos subsidiis n. 7. p. 7. sqq.

P. 266. lin. antepenultima post videbitur: Forte quoque ad mysterium referri debet, quod *oleum unctionis* ex cornu effusum. Sane secundum Judæos significationem id habuit firmitatis & roboris. *Saul enim*, ut putant, *inunctus fuit oleo lenticulæ fictilis, in signum quod regnum suum cito frangendum erat. David autem inungitur oleo cornu, quia regnum ejus duraturum erat in æternum.* Melius in antitypo saltem adumbraret thesauros decreti & beneplaciti Patris, ex quibus omnis gloria Messiæ fluxit.

P. 273. lin. 3. post intelligendi: Plena est succi & solaminis hæc appellatio. Præsupponit hæc dictio communionem, quam Messias cum

cum eorum natura accepit, quando *non erubuit eos fratres appellare, carnisque & sanguinis eorum* μέτεχε Hebr. II. 14. Quin quod majus est, in *societatem* maledictionis eorum venit, quam latronum in morte societas vividissime expressit. Sed per hanc societatem, quam iniit cum peccatoribus, iis reciproce viam ad suam societatem aperuit. *Socii* Messiæ sunt fideles in *actionibus*, quatenus ambulant in ejus vestigiis, & quæ ille egit, perfectissimum sanctitatis exemplar exprimens, eadem ipsi quoque pro modulo suo imitantur. *Socii* sunt in *passionibus*, 2. Tim. II, 11. 12. *Socii* sunt in *donis* Spiritus, qui simul super Christo quievit, simul super ipsos descendit, atque adeo arctissimum inter utrosque vinculum nectit. *Socii* sunt in *familiari consortio*, in quo cum Christo consuescunt, cum parrhesia ad eum accedentes & novis favoris amorisque signis identidem inebriati. *Socii* sunt in *constantia & fide*, quæ ab utrisque partibus sacrosancta est. *Socii* denique erunt in beatitudine & gloria, ubi cum eo erunt in æternum, ejusdemque splendoris & majestatis radiis illustrabuntur. Luc. XXIII. 43. 2. Cor. V. 8. Phil. I. 23. Apoc. III. 21.

P. 542. post lin. 10. non debuisset omitti vera ratio cur ædificium Templi *Palatii* nomine soleat designari, quæ fuit, *tum* quia Deus volebat tanquam Rex in Israële considerari, unde tota cultus ejus ratio regiæ magnificentiæ & ministerii similitudinem habuit: *tum* ut sic quoque Sacerdotii & Regni Christi conjunctio exprimeretur. In antitypo, Ecclesia nempe N. T. id singularem emphasin habet, ubi Christus *in throno* suo simul *dominatur*, simulque *Sacerdos est* Zach. VI. 13. Atque inde domum suam spiritualem simul ut Templum simul ut palatium considerat.

Erra-

Landesbibliothek Oldenburg

Errata potiora.

Pag. lin. 28. leg. *Melchioris.* p. 32. lin. 4. l. *tubicines.* p. 52. lin. 1. l. μυσικώτατον. p. 56. lin. 3. l. chordis, quædam quæ duodecim ſonis gaudebant. p. 67. lin. 16. l. הרים. p. 69. lin. 7. l. & poſt eum. p. 74. lin. 3. lege דברי p. 89. lin. 9. l. ipſe Spiritus. p. 91. lin. 4. l. *Baſilius.* p. 103. lin. 17. l. רבי p. 115. lin. 28. l. præferendum p. 119. lin. 17. l. *cœli* p. 121. lin. 12. l. ſancti p. 124. lin. 26. l. deſignant p. 145. lin. 28. l. objectæ. p. 199. lin. 16. l. *molle* p. 241. lin. 33. l. & haſtis: in fine vero lineæ deleatur: &. Ibid. lin. 26. in margine l. *quatuor* deſignat 1) *metonymice* p. 251. lin. 32. l. quia in ea. p. 274. lin. 28. l. quoque p. 305. lin. 20. l. creſcit. p. 324. lin. 10. l. *culturam ſuam.* p. 348. lin. 25. l. Mich. IV. 8. p. 349. lin. 9. poſt 14. 15. adde: 5) Honor, qui a Deo, Chriſto, fidelibus & ipſis quandoque impiis iis exhibetur. p. 369. lin. 1. l. veſtitus pag. 399. lin. 9. l. periclitatæ ſunt p. 431. lin. 28. l. c. XXVIII. p. 434. in nummo ſecundo l. TYRUS METRO p. 472. lin. 4. l. deglutitis

Cætera, quæ inter legendum moram non injiciunt, B. L. excuſabit.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg